

3
H.IV.12

Opuscula
Theol. & Phil.
P. Nazarij.
Tom. 2.



101

3.
H. IV. 12.

G. A.
U. V. 30.



OPVSCVLA
VARIA
THEOLOGICA,
ET PHILOSOPHICA

Adm. Reuerendi Patris Fratris Io. Pauli Nazarij
Cremonensis Sacrae Theologiae Magistri
Ordinis Prædicatorum,

REVERENDISSIMO PATRI
FRATRI NICOLAO
RODOLFO

Eiusdem Ordinis Generali Magistro
DICATA.

Tomus operum Auctoris septimus.



BIBLIOTECA
COMUNITATIVA
DI BOLOGNA

Bononia, Typis Francisci Catani. 1637.

Superiorum permissu.


Biblioteca comunale dell'Archiginnasio

REVERENDISSIMO PATRI
FRATRI NICOLAO
RODULFIO

TOTIVS ORDINIS PRAEDICATORVM
GENERALI MAGISTRO.

Fr. Io. Paulus Nazarius à Cremona Sacrae Theologiae
Magister eiusdem Ordinis

Perpetuam à Domino felicitatem.



Dilosoforum omnium grauissimus
Plato rationalis animae nostrae di-
gnitatem praecellenti sui intellectus
acumine contemplatus asseruit eam
à Deo rerum omnium conditore
scienti js, ac virtutibus omnibus tam
intellectiuae, quam appetitiuae potentiae decoratam in
actu suae creationis emanare, sed ex naturali corporis,
cui iungitur, grauitate quaedam impedimenta sortiri,
ne proprios illarum virtutum actus valeat exercere,
ea tamen longa, & assidua disciplina, & exercitio re-
moueri. Contrariam huic opinioni sententiam te-
nuit Auicenna, negans scientiam, & virtutes animae
nostrae fuisse congenitas, affirmans autem eas ex intel-
ligentiae agentis influxu quotidie nostris animabus
immiti: at Peripateticae Princeps Academiae mediam

f 2 viam

viam ingressus scopula solus censetur attingisse veritatis, docens in Ethicis propensionem quandam, seu coaptationem, aut habilitatem ad scientias, ac virtutes, non autem rationes earum perfectas animabus nostris fuisse congenitas, aut extrinsecus illis influxas. Ego verò, Pater Reuerendissime, ex admirabili virtutum tuarum splendore in singulis, ac vniuersis tuis actibus emicante, & ex earum facili, ac celerrima acquisitione, augmento, & perfectione mensuram multis huius nostri Seculi celeberrimi nominis Viris à Deo concessam excedente, quo tibi dictorum modorum scientiæ, virtutesq; omnes, homini Religioso, præsertim autem in præcella dignitate constituto, congruentes aduenerint, & vires animi tui nobilissimas tanquam proprias, firmasq; sedes inhabitandas elegerint, haud facile dixerim. Cum enim à teneris vnguibus specimen earum dederis clarissimum prudentibus, ac sapientibus omnibus admirandum, congenitas eas animo tuo iuxta Platonis sententiam fuisse declarasti: vix enim annos infantia transcendens liberalium scientiarum à Magistris documenta, morum autem regulas à Parentibus, & Domesticis traditas adeo facile suscepisti, & exercitio, ac opere te eas possidere demonstrasti, vt magis eas habere congenitas, & excitante Magistro ad memoriam fuisse reuocatas, quàm alijs docentibus acquisitas fuisse declaraueris. Ad hanc autem tam perspicuam coniecturam altera longè maior accessit, cum Annos pubertatis

attingens aliud insigne corruscantis in anima tua virtutis indicium præbuiti: siquidem ad supremum Christianæ perfectionis cacumen annhelans sacrum, ac cæteris religiosorum ordinibus præcellens institutum Fratrum Prædicatorum elegisti, summisq; precibus in eorum recipi consortiū postulasti; quo tibi à Præside cum maxima illius, ac totius Conuentus gratulatione concessio, noua se tibi obtulit exercendæ fortitudinis, & heroicæ virtutis occasio; Patris nimirum tui nobilissimi sanctæ iam à te inchoato Religionis instituto potentia repugnans, teq; per Summi Pontificis auctoritatem è Religioso Prædicatorum Conuentu ad Palatium transferens Eminentiss. Alexandri Medici S. R. E. Cardinalis, qui postea in Summum Pontificem electus Leo Vndecimus est appellatus. Vbi tanquam alter Thomas Aquinas de sancto proposito deserendo, & de præuaricandis, in delectu præsertim ciborum, sanctæ Religionis institutis sæpè tentatus, constanti, viriliq; pectore restitisti, quo tam egregio facinore permotus integerrimus ille Cardinalis virtutis amator, te semper vt filium tenerrimè dilexit, animi constantiam, & fortitudinem admirans, prudentiam, moresq; tibi supra communem mensuram cæteris coequalibus impertitam suspiciens: Qui & in ipso sui Pontificatus exordio te ad Eminentissimum Purpuratorum ordinem promouere decreuerat, quod executioni mandasset, nisi morte præuentus ex humanis vigesimo sui Pontificatus die decessisset.

fisset. His igitur argumentis scientias, virtutesq; tibi fuisse congenitas facile posset, vt probabile non abhorrentibus Platonice philosophiæ documenta suaderi. Sed, dum attenta mentis acie considero admirabiles tuos progressus in difficillimis scientiarum, tam naturalium, quam supernaturalium quæstionibus enodandis, & auditoribus exponendis; aut etiam in Romana Congregatione supremi Tribunalis, vbi reorum violatæ fidei causæ proponuntur, voto proferendo; aut in regimine Conuentuum, & totius tuæ Romanæ Prouinciæ pro sancto Religionis Instituto reparando, conseruando, & promouendo, leges, & decreta condendo; aut in Magisterio Sacri Palatij (quod est onus omnium onerum Romanæ Curiaë grauiissimum) prædicando, ad grauisima Summorum Pontificum quæsitæ respondendo, pro legum diuinarum, & Ecclesiasticarum conseruatione strenuè laborando, & contra violatores fortissimè dimicando; aut deniq; in toto nostro Prædicatorum Ordine tibi à Patribus vnanimi consensu credito gubernando, summq; te virum prudentiæ, sapientiæ, pietatis, benignitatis, iustitiæ, religionis, ac fortitudinis, rebus omnibus ritè dispositis, & egregiè compositis, ac firmissimè constitutis, lucidissimè declarando: dum inquam hæc considero, Diuini muneris influxu, tam præfulgidum sapientiæ lumen, quam prætiosissima virtutum ornamenta persuadere mihi videor, tibi veluti alteri Thomæ, aut Salomoni diuinitus magis fuisse collata, quam

hu-

humano labore comparata, aut tibi congenita mole corporis obruta, & obliuione sepulta. Denique, si vetustissimam familiæ tuæ nobilitatem, Heroes quamplurimos ex ea genitos publicis muneribus Florentiæ, Romæq;, & ad supremos Principes Legationibus summa cum laude perfunctos, seculari, aut Ecclesiastica, etiam Purpurea dignitate sublimes attendo, ex quibus duos tuos germanos fratres, alterum S.R.E. Cardinalem, alterum Marchionis excellenti potestate conspicuum vtrūque gloriosè vita functum, oculo mentis intueor, in Peripateticæ philosophiæ sententiam totus inclino, admirabilemq; sapientiæ, ac prudentiæ tuæ, cæterarumq; virtutum exuberantiam nec tibi fuisse congenitam, nec intelligentiæ agentis influxu in superiores animi tui vires è Cælo fuisse delapsam, sed præcellenti mentis acumine audiendo, videndo, legendo, & experientia comprobando, à te mira facilitate fuisse comparatam: nobilissimo namq; corporis temperamento nobilissima congruit anima eiusdem nobilitatis viribus exornata, quibus debita, pariq; accedente educatione Parentum, ac cæterorum domesticorum prudentia procurata, ac opere perfecta, planissima sternitur via ad perfectam breui tempore scientiarum eruditionem, virtutumq; omnium apicem assequendum. Cum autem inter cæteras præcellentes animi tui dotes maximè fulgeat ardens in creditam tibi Religionem affectus, quo eam niteris ad sublime sanctitatis, & doctrinæ (præsertim Angelici nostri

† 4

noſtri

nostri Doctoris) culmen totis viribus exaltare, ausus
sum. Volumen hoc Opuscula varia continens Theo-
logica, & Philosophica, præsertim autem defensionem
eorum operum Angelici nostri Doctoris D. Thomæ,
quæ recentiores quidam in dubium reuocarunt, an es-
sent tanti Doctoris partus legitimus; ausus inquam sum
Volumen hoc tui nominis splendore decoratum pu-
blicè legendum exponere, prius à te lectum, & sapien-
tissimo tuo iudicio comprobatum, quo ad eam præci-
pue partem, quæ de scriptis agit eiusdem Sanctissimi
nostri Doctoris Aquinatis. Prodeat igitur sub tui no-
minis protectione securus nolter hic Benjamin mi-
nimus librorum omnium, quos Diuinæ largitatis munere
fecundata mens mea peperit, ad Dei gloriam, & An-
gelicæ Doctrinæ defensionem, nostræ Religionis, ac
omnium veritatis Studiosorum vtilitatem. Tibi verò
Reuerendissime Pater, pro multis mihi collatis à te
beneficijs sit munusculum hoc latentis meæ volunta-
tis indicium longè maiora tibi gratitudinis signa red-
dere cupientis. Vale perpetuò fœlix Religionis, &
Ecclesiæ iubar splendidissimum. Bononiæ, die prima
Decembris, Anno Salutis 1630.

Fra-

Frater Ioannes Paulus Nazarius.

PROVA euidensissima
che il Nazario non scrisse altro

che; sic voll. Com. di S. Tomaso
e 12 Tomi di opuscoli.

3) l'ariaudo due in M. iust.
d'Alena aurea.

6) Religione sua legaz. me
e Filippo de V. C. W.

Non è concepibile che abbia messo
di rivedere opuscoli filosofici. L'uni
più importanti.

delicet:

nostri Doctoris) culmen totis viribus exaltare, ausus
sum / Volumen hoc Opuscula varia continens Theo-

Frater Ioannes Paulus Nazarius.

LECTORI OPTIMO.



*Post edita sex Voluminibus impressa commentaria
in primam, & tertiam partem Summae Theologiae
D. Thoma de ceteris eiusdem Summae tractati-
bus, & voluminibus exponendis vehemens subijt
cogitatio ardenti publicae utilitatis communita de-
siderio; quod multorum assstantibus petitionibus in dies augeba-
tur; sed mentis oculos ad decrepita meae senectutis infirmitatem,
& alia plurima huic aetati congenita mala conuertens animadu-
verti vires meas huic oneri subeundo, nec ex digna aliqua parte
sufficere; multa siquidem adhuc volumina mihi superessent ex-
aranda, quibus consuecendis praeteritae virilitatis vigor esset ap-
primè necessarius. Verùm otio, cui ab ineunte aetate perpetuum
bellum indixi, me quasi victum tradere indignum ducens, ad
Opuscula varia, breuia, & legentibus utilia scribenda mentem
applicui; ut quia in quolibet eorum cum hac mortali vita termi-
nato censeri possit labor huius nostri postremi voluminis accipere
complementum, nullum sit ex nostris operibus, quod desiderata
perfectioe fraudetur. Ex his autem Opusculis tria sunt, quae
ad diuersorum petitiones sunt elaborata; primum scilicet De
scriptis Angelici nostri Doctoris D. Thoma Aquinatis; sextum
continens Responsiones ad quasita Casuum conscientiae, ex quibus
decem tantum huic operi sunt inserta, cetera sapimus inter scri-
pta mea diligenter quasita reperire non potui; septimum deniq;
voluminis huius Opusculum duas continens Metaphysicales con-
trouersias instantibus pluribus nostri Ordinis studiosis scripsi,
& impressioni mandavi. His autem addidimus alia tria, vi-
delicet:*

delicet: Disputationem solemnem de sacrosancto Missa Sacrificio; & Opusculum in ordine quintum de entibus supernaturalibus, quomodo sub obiecto intellectus nostri contineantur: duas De Magia olim ad finem tertij voluminis ad primam partem impressa, & aliud Opusculum De Regimine Imperiali, & Regali ante triginta & octo annos Praga impressum, & in additionibus Operum nostrorum quinto volumini per impressores appositum. Prater hac unum a multis annis, nimirum, a tempore Serenissimi Ducis Mansua Gulielmi servatur in illius Bibliotheca. In eo ad mandatum dicti Ducis, cui Theologus in servitium, notata sunt à me loca viginti trium Ecclesia Doctorem Latinorum, & Græcorum, in quibus obiter aliquas partes currentium in toto anno Evangeliorum exponunt: Hoc propter impedimenta bellorum, & pestis, ut impressioni traderetur, habere non licuit. In Archivis etiam Civitatis Mediolani aservatur volumen manu scriptum continens acta nostra Legationis apud Reges Hispaniarum Philippum Tertium, & eius successorem Philippum Quartum, cuius voluminis aliud exemplar habetur in Archivis Civitatis Cremonæ; sed illud est prorsus integrum, & undequaque perfectum, hoc autem in aliquibus partibus est mutilum, & minus ordinatè dispositum. His ergo nostra senectutis fructibus, qualescunque sint, fruere, si lubet, benigne Lector, & pius apud Deum pro delictorum meorum impetranda remissione, & vita sempiterna promissis mihi (licet immeritò) misericorditer ab eo conferendis, sis orator. Vale. Bononia Die 2. Mensis Decembris, Anno salutis M. DC. XXX.

Nos

Nos Fr. Nicolaus Rodulfus sacra Theol. Profess.
ac totius Ord. Prædicat. Magister Generalis.

Cum librum, cui titulus est: Opuscula varia Theologica, & Philosophica Adm. R. P. Magist. Fr. Ioannes Paulus Nazarius composuerit, facultatem concedimus, ut Typis mandetur, dummodo duo ex Moderatoribus nostri Studij generalis Bononien. quibus commissum fuerit, illam recognoscant, ac in lucem edi posse probauerint; & seruentur omnia, quæ iuxta Decretum Sac. Concilij Tridentini, & nostrarum Constitutionum dispositionem sunt servanda. In quorum fidem, &c. Dat. Bononiæ in nostro Conventu S. Dominici die 16. Maij 1630.

Fr. Nicolaus, qui supra, manu prop.

Loco O sigilli.

Regist. fol. 18.

Fr. Dominicus Paulatius Magist. & Soc.

ATTESTATIONES.

Dilectissimi NAZARII mihi Patria Conciuis, Sapientia Magistri, Amore Patris, OPUSCULA, si verba, volumina, si sucum specto, iubente Reuerendissimo Generali nostro, summa cum iucunditate perlegi, maxima alacritate approbo. Quid nisi collaudabunt & Momi, deprædicabunt Sapientes, etiam EX VNGVIBVS LEONEM, nec mirum mihi Lector; Bos enim lassus (ut de se Hieronymus ait) fortius figit pedem, at Septuagenarius iam Auctor: dignissima igitur me Iudice Solis aspectu, quæ à Sole THOME AQUINATIS, Commentariorum in eundem Auctoris, Conscientia delicatioris tetras nubeculas discutient, dissipabunt: Ergo prodeant in lucem, & in lucis fugas, Dominicana enim Familia letitia, Auctori laus, Mundo utilitas, DEO gloria.

Fr. Thomas Turcus Sac. Theol. Magister Ord. Prædicatorum,
Eminentissimi Cardinalis Ludouicij Theologus, in Studio
Bononienfi Regens.

Opu-

Opuscula varia Theologica, & Philosophica Adm. R. P. Magistri Fr. Io. Pauli Nazarij Cremonensis Auctoris toti Europæ notissimi, secundum Catholicam veritatem Superiorum sancita, & bonos mores firma, perutilia, & egregia secundum eius in alijs compositis consuetudinem mihi infrascripto attentè legenti visa sunt, præcipuè verò D. Thomæ elaborata sectantibus profutura, cum fundamenta scolæ Thomisticæ à Neotericis aliquibus satis liberè impugnata inconcussè defendat, propriamq; Angelici Doct. Academia- rum Principis doctrinam à varia, siue aliena discernat, propriam rationibus, & responsis tuendo, spuriamq; contra aduersantium abijciendo conatum, opus quidem perdificile, haud in ea versatis; sed tanti Expositoris, ac Defensoris acri ingenio aptum, qui fufissimis, simulq; lucidissimis commentarijs in præcipuas partes summæ Theologiæ Sancti Præceptoris eius mentem intimè explicantibus iudicium discreti- uum eiusdem doctrinæ se adeptum fuisse latis ostendit; vnde prælo digna censeo, attestor, & vt imprimantur, exopto;


Ego Fr. Thomas Marciannus de Orazzano Partenopenfis in Almo Bononiensi Studio Baccalaureus officio Moderator.

D. Homobonus de Bonis Pœnitent. pro Eminentiss. & Reuerendiss. D. Card. Archiepisc. Bonon.

Imprimantur.
Fr. Hieronymus Onuphrius pro Reuerendiss. P. In-
quisit. Bononiæ.

SE-

S E R I E S
O P V S C V L O R V M,
E T C A P I T A,
Siue partes præcipuæ singulorum, quæ pro Indice
Lectori sufficient.



O P V S C V L V M . P R I M V M .



E scriptis D. Thomæ Aquinatis .	pag. 1
Ordo dicendorum .	ibidem
Catalogus operum S. Thomæ Aquinatis ex Sancto Antoni- no 3. parte historiali tit. 18. cap. 10. qui consonat catalogo Fratris Reginaldi socij S. Thomæ, vel æo à Ioanne Antonio Flaminio in vita eiusdem S. Doctoris .	2
Alia multa S. Doctoris opera catalogis recentiorum inserta .	7
Opuscula dubia .	9
Regule quinque ad discernendas legitimæ Sancti Thomæ lucubrationes à spurijs .	10
Prima dubitatio: vtum pars moralis summæ D. Thomæ sit eius partus le- gitimus .	13
Responsiones duæ ad argumentum Bellarmini .	17
Reijcitur secunda, & ostenditur primam esse veram, & optimam .	19
Secunda dubitatio: De scripto D. Thomæ in sententias ad Anibaldum .	21
Rationes dubitandi .	ibid.
Resolutio, & obiectionum confutatio .	ibid.
Tertia dubitatio: An Opusculum de Regimine principum rectè D. Thomæ tribuatur .	22
Rationes dubitandi sex à Bellarmino productæ .	ibid.
Resolutio multis optimis argumentis roborata .	23
Solutiones argumentorum Bellarmini .	26
	Alia

SERIES OPUSCULORVM

Alia defensio pro libris de Regimine principu Domini Sebastiani Matij.	33
Rationes Bellarmini confutata.	34
Aliae rationes Bellarmini de Remouendis à D. Thoma libris de Regimine Principum, earumq; solutio, & confutatio.	41
Solutio secundae oppositiōis.	47
Quarta dubitatio: De Commentarijs in Genesim.	49
Quinta dubitatio: De expositione libri, qui dicitur Ecclesiastes.	50
Sexta dubitatio: De commentarijs in Isaiam, Hieremiam, & Trechos.	51
Septima dubitatio: De commentarijs in Mattheum.	52
Octaua dubitatio: De commentarijs in Epistolas Canonicas.	53
Nona dubitatio: De postilla in Apocalypsim.	54
Decima dubitatio: De opusculo 54. quod inscribitur: De venerabili Sacramento Altaris.	ibid.
Undecima dubitatio: De opusculo 68. quod incipit: Quia quæstisti à me. pag. 55.	
Duodecima dubitatio: De commentarijs in Metaphysicam.	ibid.
Anotationes in alia plura scripta præferentia nomin D. Thoma.	58
Plurima, & insignia pro doctrina S. Thomæ Aquinatis testimonia Philosophorum, Oratorum, Iuristarum, Theologorum Ecclesie Catholice, Summorum Pontificum, & Christi Domini nostri Redemptoris.	60

OPUSCULVM SECVNDVM.

Disputatio solennis de sacrosancto Missæ sacrificio facta cum quibusdam Calvinianæ sectæ Ministris.	76
Narratio occasionis, temporis, & loci dictæ disputationis, & conuentionis inter partes de puncto disputationis; Decretum Summi Pontificis, & nomina Theologorum Catholicorum, & Ministrorum sectæ Calvinianæ, qui ad disputationem conueniunt.	ibid.
Responsio Apologetica ad præfationem Martij.	82
Septem capita præfationis Martij proponuntur.	84
Primum est licitam esse disputationem de dogmatibus Fidei; quod explicatur, & in eo sensu, quo falsum est, confutatur.	ibid.
Huic Capiti sunt inserta tria puncta. Primum punctum est Salvatore, postquam ex hac vita migratus Apostoli, Sanctam Ecclesiam non dereliquisse, sed singulis succedentibus seculis ad eam misisse D. Ares, & Pastoris viros magnæ doctrinæ, & sanctitatis, vi Tertulianum, Origenem,	

ET CAPITA.

genem, Basilium, Athanasium, Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum, & alios, qui populum Christianum erudirent in Doctrina Apostolorum, & Prophetarum. Quo puncto tamquam gladio Golia Martius iugulatur, allegando singulorum dictorum Patrum pronuntiat de sacrosancto Missæ sacrificio.	85. & seq.
Secundum punctum insinuat Ecclesiam Catholicam non predicare Christi Euangelium, & doctrinam, & nouas leges, ac ritum honorandi Deum introduxisse. Quod contra Martium, & alios Hereticos, Lutheranos, & Calvinistas militare conuincitur.	89
Tertium punctum tangit occultationem Ecclesie, & aduentum Antichristi; cuius prima pars diluitur puncto sequenti, secunda verò confutatur ex sacris litteris.	ibid.
Quartum punctum tangit scholasticam Theologiam caeremonias Ecclesie Catholice, & occultationem Ecclesie: circa qua singula veritas Catholica declaratur, & probatur, & errores Martij confutantur ex sacris litteris, & Patribus.	90. & seq.
Quintum punctum repetit occultationem, & Ecclesie reuelationem, & addit Euangelium apud nos sectarios predicari, & eorum predicationem dilatatam fuisse ad integra Regna, & eorum sectam esse Ecclesiam Dei, & eam à nostris pari persecutionem: qua singula breuiter, & efficaciter confutantur.	93
Secundum caput principale duo continet puncta. Primum insinuat nos ponere duo sacrificia omnino distincta. Quæ impostura confutatur, & ostenditur differentia inter sacrificia Christi Domini cruentum, & incruentum.	95
Secundum punctum agit de sufficientia sacrificij cruenti: qua contra Martium catholicè declaratur.	96
Tertium caput principale duo puncta complectitur. Primum est ordo, & modus in disputatione tenendus: in quo errores Martij tres deteguntur, & confutantur.	ibid.
Secundum punctum est status controuersie; Quem multis ex partibus à Martio fuisse malè declaratum ostenditur.	97
Quartum caput quatuor puncta complectitur. Primum sex constat propositionibus. Prima est, Missam non esse sanctam illam Cenam, quam Dominus noster expleuit cum discipulis suis, & præcepit, vt in sua passionis memoriam celebrarent. Quam propositionem esse falsam probatur, ostendendo ex diuinis scripturis, & Patribus in ea Cæna, & in qualibet Catholice Ecclesie Missa esse duo essentialia sacrificio propriè dicto, qualis	

quale sacrificium esse Missam firma Fide catholice confitemur . pag. 98.
 & sequentibus .
 Secunda Martij propositio est : Missam non esse illud sacrificium , quod Christi de semetipso fecit in Cruce ; de qua nulla est controuersia . 104
 Tertia eiusdem propositio est , Missam non esse sacrificium Eucharisticum ;
 quae confutatur ex Sanctis Patribus Chrysostomo , Augustino , & Leone .
 Quarta eiusdem propositio est , Missam non esse sacrificium applicatorium ;
 Quae confutatur ex suprascriptis .
 Quinta eiusdem propositio est , Missam non esse sacrificium commemoratiuum
 passionis , & mortis Christi ; Quae confutatur ex Euangelio , & ex
 suprascriptis .
 Sexta eiusd. propositio est , Missam non esse sacrificium representatiuum , &c .
 Quae confutatur ex Diuina scriptura .
 Secundum punctum quarti capituli Missae postulat definitionem ; quae praemissa
 multiplici nominis significatione profertur , & per singulas partes
 diligenter explicatur , & excluditur imperfecta Martij definitio ; nostra
 vero testimonijs Diuinae scripturae roboratur .
 Tertium punctum , de cruento tractat Christi Domini in Cruce sacrificio ,
 quo incrementum Missae sacrificium contendit excludi .
 Prima huius puncti propositio est , sacrificium Crucis esse plenariam omnium
 peccatorum indulgentiam , & remissionem : Cuius duplex sensus
 aperitur , alter Catholicus , alter Haereticus , & prior conceditur , posterior
 confutatur .
 Secunda eiusdem puncti propositio est , Crucis sacrificium esse virtutis , &
 efficacitatis aeternae , & esse per se ipsum potens , & sufficiens ad saluandum , &c .
 Tertia eiusdem puncti propositio est , per Crucis sacrificium adimpleta fuisse
 legalia sacrificia abiatos , & ad nihilum redactos fuisse Sacerdotes , sacrificia ,
 hostias , oblationes , &c . Quae confutatur ex Patribus , & usu
 Ecclesiae antiquissimae .
 Repetit Martius humanas scientias non esse praedicationi Christi inferendas ;
 Quod ex communi Sanctorum usu confutatur .
 Quintum caput principale de probationibus agit , quibus uti debet , qui probare
 quidpiam intendit : has entem ad tria capita restringit . s. ad rationes ,
 ad scripturas , & ad testimonia ; quae singula perperam a Martio explicata
 partim confutantur , & partim adhibitis distinctionibus explicantur .

Sextum Caput , quod summam continet errorum Martij circa Sacrosanctum
 Missae sacrificium , quo ad singulas eius partes distincte proponitur , &
 sacrarum scripturarum oraculis , Sanctorum dictis , & firmissimis
 argumentis efficaciter confutatur .
 Sub eodem capite Martius nobis opponit sex contradictiones , seu repugnantias
 inter Missae sacrificium , & Christi , & Apostolorum doctrinam :
 Quae singula tamquam haeretica figmenta reiciuntur ex solidis catholicae
 doctrinae fundamentis .
 In fine eiusdem capituli tribus argumentis nititur ostendere Missae sacrificium
 esse Christo contrarium : Quae ex eadem Ecclesia Catholica doctrina
 diluuntur .
 Vltimum Caput glosas quasdam Martij continet generales ; quas diuersis
 nititur accomodare diuinae scripturae , & Sanctorum Patrum locis , in
 quibus sermo fit de sacrificio , Hostia , oblatione , Altari , & Sacerdotio ,
 dicens ea non secundum proprietatem , sed secundum similitudinem ,
 & improprie esse intelligenda . Sed eas esse commentitias , & falsas ex
 ipsius Diuinae scripturae verbis , & Sanctorum Patrum dictis euidenter
 ostenditur .
 Disputatio primae diei tres habet partes . In prima contendit Martius omni
 argumentandi nobis esse subeundum ; sed publica scriptura conuentionis
 inter partes per Cancellarium lecta , conuictus munus argumentis assumit .
 In secunda probare nititur ex Origene , & August. dogmata fidei ex
 solis diuinae scripturae verbis esse probanda . Sed , ex ipsa diuina
 scriptura manifestatur , ac probatur opposita veritas , & explicantur
 dicta Origene , & Augustini . In tertia disputatur , an in sacris
 litteris fiat mentio de sacrificio Missae , & contra Martium afferuntur
 loca ex Euangelijs , & ex Epistola prima ad Corinth. in quibus agitur
 de Sacrosancto Missae sacrificio , & explicatur eorum sensus . pag. 131.
 & sequentibus .
 Disputatio secunda diei est de Missa , an in sacris litteris contineatur , & de
 eius definitione ; cuius occasione tractatur de finibus Missae , & conuincuntur
 Martius , & Calanarius de manca definitione ab eis assignata , &
 adduntur particulae necessariae , & explicantur fines omnes sacrificij
 Missae , & reijciuntur imposturae .
 Disputatio tertiae diei quatuor habet partes . In prima disputatur : an in
 scriptura sacra noui testamenti inueniatur institutio sacrosancti Missae
 sacrificij , & contra Martium ostenditur ex verbis Matthaei , Marci , Lucae ,
 & ex Epistola prima ad Corinth. cap. 11. additis praesertim San-

SERIES • OPUSCULORVM

- Horum Patrum expositionibus. 143. & seqq.
 In secunda disputatur: an scriptura divina sit facilis, an difficilis intellectu, & contra Martium ostenditur ex multis sacrorum librorum dictis eam esse difficilem intellectu; quibus adduntur multa Sanctorum Patrum testimonia. 146. & seqq.
 In tertia contendunt iterum Calvinista argumentandi nobis onus imponere, sed ex scriptura publica, & ex communi lege disputationis ostenditur dictum onus ad eos pertinere. 143. & seqq.
 In vltima parte imponitur terminus disputationi, latis duabus sententijs oppositis altera pro Catholicis à Preside Catholico altera pro hareticis à Preside Calvinista. 152. & seqq.

OPUSCULVM TERTIVM.

- R**esponiones ad censuras Fasoli. 155
 Prima Censura, & eius confutatio circa sensum dicti Sanctorum Dionysij, & Thomae de causa, & causato. ibid.
 Secunda Censura, & eius confutatio circa illud dictum Sanctorum Patrum: Deus est supra, & extra mundum. 156. & seqq.
 Tertia Censura, & eius confutatio circa significationem aternitatis, & durationis. 159
 Explicatur propria ratio durationis, & confutatur sententia Fasoli. pag. 160. & seq.
 Durationis nomen tres habet significationes. 162
 Argumenta Fasoli, & eorum solutiones. 163
 Quarta Censura, & eius confutatio circa visionem beatificam, an sit per speciem expressam. 165
 Sententia Fasoli, & eius probatio. ibid.
 Diluitur eius argumentum, & probatur oppositum de mente D. Thomae. pag. 166.
 Quinta Censura, & eius confutatio circa rationem, qua Thomista negant visionem beatam fieri per speciem impressam creatam. 168

OPUSCULVM QVARTVM.

- R**esponiones ad obiecta Ioannis Gonzalez. 169
 Prima obiectio, & eius solutio. De habitu sapientiae, qualis sit. ibid.
 Sen-

ET CAPITA.

- Sententia Gonzalez, & eius probatio. ibid.
 Diluitur eius argumentum, & probatur opposita veritas. 170
 Secunda obiectio, & eius solutio, de reuelatione, an Deo sit adaequata. pag. 171.
 Sententia Gonzalez. ibid.
 Diluitur eius argumentum, & ostenditur opposita veritas. 172
 Tertia obiectio, & eius solutio, De imitabilitate exemplari, an per se conueniat formae, vel conceptui. 173
 Sententia Gonzalez, & eius probatio. ibid.
 Diluitur eius argumentum, & probatur opposita veritas. ibid.
 Quarta obiectio, & eius solutio; De necessitate, qua Deus vult suam bonitatem. 176

OPUSCULVM QVINTVM.

- Q**uomodo Deus, & entia supernaturalia sub obiecto creati intellectus contineantur, & quomodo ad eorum visionem possit homo, & Angelus eleuari. 177

OPUSCULVM SEXTVM.

- R**esponiones ad quaesita Casuum Conscientiae. 188
 Primus Casus. An Matrimonium contractum inter Sempronium, & Bertam illud procurantem per maleficiu amatorium, sequuta etiam copula, sit validum. ibid.
 Secundus Casus. De Domino N. promoti ad ordines sub titulo patrimonij sibi assignati à B. & C. cum tamen nihil vnquam percipere potuerit, an penam suspensionis incurrerit, & C. 188
 Tertius Casus. De quodam contractu Societatis inito inter A. ex vna parte, & D. & C. Fratres ex altera parte, multis referto conditionibus in fauorem A. quibus aggrauantur dicti Fratres; an dicta Societas sit facta secundum regulas, & formam iustitiae ex vtraque parte. pag. 190. & seqq.
 Quartus Casus. De quadam summa tritici empta à Ciuitate Cremonae mandato Gubernatoris status Mediolanensis an ad seruandam in demum Ciuitatem possit vendi maiori pretio quam empta fuerit propter

SERIES OPVSCVLORVM

ingentes expensas itinerum, vectionum, vectionum, Gabellarum, &c.
pag. 195.

Rationes Ciuitatis pro parte affirmante. ibid.

Rationes D. Pratoris Cremona pro parte negante. 196

Resolutio negativa. 197

Responsio ad rationes pro parte Ciuitatis. 199

Quintus Casus. De Seio procuratore quorundam Canoniorum qui, lecta quadam scriptura protestationis coram Episcopo, dum hic illam e manibus procuratoris conatur eripere, retinente eam procuratore, fuisse ex ea parte, qua trahebatur ab Episcopo lacerata, per publicas schedulas excommunicatus, eo quod retinere vi eripere scripturam predictam de manibus Episcopi Pontificalibus vestibus induti coram capitulo, & Synodo, &c. ibid.

Resoluitur negativè. 200. & seqq.

Sextus Casus. De Titio Doctore Collegiato agente aetatis suae annum 74. qui, cum a multis annis ardorem pateretur urinae cum emissione sanguinis copiosi, ad eo ut quandoq; vires resolverentur, & mortem proximè attingeret, qui etiam difficultate spirandi vexabatur, ducere volebat uxorem puellam virginem annorum 22. de quo facto interrogati periti medicinae Doctores respondent, Titium, considerata eius aetate, & infirmitate multiplici non posse coitum exercere sine maximo sui detrimento, & repentinae mortis periculo. Quaesitum est, an dictus detentus talibus affectionibus possit uxorem ducere, & eo magis Virginem, & an filij eius licitè possint eum impedire a tali matrimonio contrahendo. 203

Resolutio est, non solum filijs licitum esse patrem a supradicto matrimonio contrahendo impedire, sed eos etiam teneri. 204

Septimus Casus est. De Sempronio nobili sororem habente Seiam Titio nuptam; quae ad evitanda scandala imminencia posita est in quodam Monasterio, hac apposita conditione iuramento Seiae, & Titij firmata, ut a Monasterio non possit exire sine licentia Sempronij. 207

Quaesitum est primò, an possit cogi Sempronius ad licentiam Seiae concedendam, ut exeat Monasterio. Secundò, an Sempronio denegante licentiam, possit Seia ex Monasterio exire. Tertiò, an vellet possit Episcopus, reclamante Sempronio, Titium, & Seiam absolvere a vinculo praestiti iuramenti. 207. & seqq.

Resolutio est negativa quoad singula Capita. ibid.

Octavus Casus est de Titio Sacerdote Seculari; quem nocturno tempore cum

ET CAPITA.

Socio pergentem ad sua negotia duo viri armati sunt aggressi; quorum alter Titium hasta vulneravit, alter Sclopum Titij nitentur de manu eius eripere; quem Socius Titij, ipso Titio non vidente, vulneravit, ita ut in terram caderet, & in eundem Titius Sclopum exoneravit, & occidit existimans se sine manifesto periculo vitæ fugere non posse. 211

Quaesitum est: an Titius Sacerdos incurverit irregularitatem ex dicto homicidio, & an Legatus Bononiensis possit cum ipso dispensare, casu quo esset irregularis, praesertim cum causa deducta sit ad forum contentiosum. ibid.

Resolutio ad utrumq; quaesitum est negativa, additis nonnullis limitationibus, seu conditionibus. ibid. & seqq.

Nonus Casus est de Seio Regulari Sacerdote; qui audita Sacramentali confessione Sempronij illum induxit, ut extra confessionem coram se, & Titio confiteretur furtum quarundam rerum ablatarum a Titio, qui post aliquot dies, cum graves a Titio passus fuisset iniurias, petijt, & obtinuit eum incarcerari, non ut contra eum, sed ut contra alium complicem dicti furti procederet. 213

Quaesitum est: an Seius Sacerdos pro veritate, & iustitia possit in dicta causa ut testis examinari, aut etiam ad examen subeundum, ipso renitente, compelli. 214

Resolutio est de rigore externi fori posse Seium examinari, sed non expedire, nec fieri posse tuta conscientia. ibid. & seqq.

Decimus Casus est de quodam Sacellano Ecclesiae Collegiatae, qui ab alio sacellano existente in dicta Ecclesia cum superpelliceo in vindictam iniuriae ab eo acceptae statim eum alapa percussit, duobus praesentibus, propter quam percussorem excommunicatione incurrit canonis: si quis suadente. 218

Quaesitum est: an ista percussio sit enormis, ac proinde Summo Pontifici reservata. ibid.

Resolutio est negativa. ibid. & seqq.

OPVSCVLVM SEPTIMVM.

Prima Controversia de subiecto Metaphysicæ; an .f. ens, quatenus ens communissimè sumptum, sit adæquatum subiectum Metaphysicæ. 220

Sententia Doctorem. ibid. & seqq.

SERIES OPVS CVLORVM

Resolutio: distinguitur multiplex huius vocis subiectum significatio, pag. 222.
 Assignantur, & explicantur tres conditiones necessariae ad cognoscendum subiectum commune scientiae. 223. & seqq.
 Regula optima ad cognoscendum proprium, & adequatum subiectum in qualibet scientia. 226
 Impugnatur regula Suarezij, & vt falsa reuocatur, & ostenditur entia rationis sub obiecto Metaphysica contineri. 227
 Quomodo ens distinguatur in ens per se, & ens per accidens, & quot modis dicatur vtrumq;. 229
 Sensus quasi. 231
 Principia scientiae multiplicia. 232
 Quomodo ens, in quantum ens, habeat principia, & causas. 233
 Quomodo Deus consideretur a Metaphysico. 234
 Conclusiones deductae, & probatae. 236
 Prima Conclusio: Deus non est adequatum subiectum in prima Philosophia. ibid.
 Secunda Conclusio: Subiectum Metaphysicae praecipuum, ac dignitate praestantissimum inter ea, quae in hac scientia considerantur est Deus, vt cognoscibilis a Creaturis. 237
 Tertia Conclusio: Subiectum adequatum Metaphysicae non est substantia separata absolute sumpta, prout abstrahit a creatura, & increata, & vtrique communis est. ibid.
 Quarta Conclusio: Substantia separata sic absolute sumpta dici potest subiectum commune pure Metaphysicum, & potest etiam dici subiectum commune principale, &c. 238
 Quinta Conclusio: Subiectum Metaphysicae non est substantia, vt substantia est, abstrahens a materiali, & immateriali, creata, & increata substantia. ibid.
 Sexta Conclusio: Substantia, vt substantia sic abstracta dici potest prima Philosophiae subiectum commune principale distinctum contra commune secundarium, quod est accidens, &c. ibid.
 Septima Conclusio: Subiectum adequatum Metaphysicae non est ens, quod diuiditur in decem praedicamenta. ibid.
 Octaua Conclusio: Ens diuisum in decem praedicamenta dici potest prima philosophiae subiectum, de quo per veras causas, seu principia probantur passionis, siue proprietates. 239
 Nona Conclusio: Ens, in quantum ens, commune Deo, & creaturis, enti

ET CAPITA.

reali, & rationis, enti per se, & enti per accidens est subiectum adequatum in Metaphysica. 239
 Argumenta contra singulas Conclusiones, & eorum solutiones. pag. 244. & sequentibus.
 Secunda Controuersia de distinctione relationis a fundamento; an .s. sit ab eo distincta realiter. 251
 Sententiae Doctorum. ibid.
 Resolutio. 253
 Multiplices modi distinctionis. ibid. & seqq.
 Diuersa D. Thomae dicta, quae videntur opposita, & aliorum etiam sententiae conciliantur. 255. & seq.
 Ad relationem completam constituendam, quae concurrant. ibid.
 Relationis tria genera, & eorum fundamenta, & naturae declarantur. ibid. & seq.
 Quot modis vna res dici possit ab alia distincta realiter. 257
 Relatio potest habere esse tripliciter .s. fundamentaliter, formaliter, & vtroque modo respectu diuersorum. 258
 Quando, seu quomodo aliquid dicatur proprie mutari. 259
 Relatio dupliciter potest induci, & dupliciter corrumpi. ibid.
 In relationibus realibus aliud est esse relationis ab esse substantiae. 260
 Qualibet relatio habet proprium esse in distinctum saltem realiter Metaphysica ab esse fundamenti. ibid.
 Prima Conclusio. Probabile est relationem, & fundamentum esse duas res distinctas formaliter, & materialiter. 262
 Secunda Conclusio. Probabilius est relationem, & fundamentum distingui solum realiter metaphysice seu ex natura rei, & formaliter, actualiter ante omnem operationem intellectus. 265
 Tertia Conclusio. Valde probabile est relationem in substantia fundatam esse rem ab ea distinctam formaliter, & materialiter, quamlibet autem aliam relationem realiter formaliter, seu realiter Metaphysice a suo fundamento distingui. 267
 Vltima Conclusio. Relationem sola ratione ratiocinata a fundamento distingui non potest suslineri in via diui Thomae, neque simpliciter. 270
 Argumenta, & solutiones. 271. & seqq.

OPVSCVLVM OCTAVVM.

Controuersie de Magia. 279
 Prima Controuersia de Magia naturali. ibid.
 Magia communiter sumpta notitiam multis scientiarum, & bonarum artium professoribus esse necessariam; quid nomine Magia significetur, qua sit eius definitio, & diuisio, & qui primi fuerint eius professores. ibid. & seqq.

QV AESTIO I.

De vi imaginationis tã circa corpus ipsius imaginantis, quã circa corpus alienum, ipsi tamen imaginanti coniunctũ. 286

QV AESTIO II.

De vi imaginationis circa corpus ab imaginante separatum, & distans. 289
 Sententia Doctorum. ibid. & seqq.
 Resolutio. Virtute imaginationis mutari non posse immediatè corpus extrinsecum, sed medijs tantũ corporeis spiritibus in illud transmissis, atq; ita per vetularum aspectum puerulos fascinari. 293
 Fascinationem secundum vnã rationem esse voluntariam, & secundum aliam rationem esse naturalem. 296. & seqq.
 Nullius aspectu, contactu, aut balitu, vel sibilo posse quemquam naturaliter ab infirmitate curari. 298. & seqq.
 Conclusiones deducta, & probata. 299
 Prima Conclusio. Magia est ars, seu facultas ad efficiendum opera occulta, & mirabilia extra verum cursum, & supra hominum opinionem, & captum. ibid.
 Secunda Conclusio. Imaginationis virtute potest corpus alienum corpori imaginantis coniunctum immutari. ibid.
 Tertia Conclusio. non potest anima humana vi sua naturali per fortiam imaginationem, aut solo mentis affectu elementa mouere, nubes in aere

condensare, pluuias, niues, & grandines ex caelo trahere, &c. ibid.
 Quarta Conclusio. Imaginationis actu quantumuis vehementi non immutatur immediatè corpus alienum. 300
 Quinta Conclusio. Imaginationis actu vehementi potest immutari corpus alienum ex sanitate in agritudinem media corporis ipsius imaginantis alteratione spiritus commouente, &c. ibid.
 Sexta Conclusio. Fascinatio, qua fit hominis oculo, secundum vnã rationem est voluntaria, secundum verò aliam est naturalis. ibid.
 Septima Conclusio. Fascinatio virtus neque consequitur humanam speciem, aut animalis naturam, neq; est in quolibet homine, neq; in quolibet animali. ibid.
 Octaua Conclusio. Homo virtutibus etiam heroicis exornatus, & perfectissimum corporis temperamento donatus non potest vi sua naturali, quamuis maximè velit, vlli agrotanti sanitatem asserre. ibid.
 Nona Conclusio. Nullus homo potest vi sua naturali per contactum, balitum, aut sibulum alterum à morbo curare, &c. ibid.
 Argumenta, & solutiones. 300. & seqq.

QV AESTIO III.

An per chrisopeiam, siue alchimiam effici possit verum aurum. 308
 Sententia Doctorum. ibid. & seqq.
 Resolutio. Per artem chemicam non posse fieri verum aurum secundum mentem D. Thomae. 310
 Conciliantur dicta D. Thomae. 313
 Impossibile esse per artem chemicam fieri verum aurum veritate speciei, quamuis fieri possit aurum verum veritate communis assimationis. pag. 314.
 Differre specie id, quod est à natura, ab eo, quod est ab arte, & id, quod est per putrefactionem, ab eo, quod est per seminationem, probatur. pag. 315.
 Conciliantur omnes sententia Doctorum circa presentem quaestionem. 328
 Prima Conclusio. Per artem chemicam nequit effici verum aurum strictè, & propriè dictum, &c. 318
 Secunda Conclusio. Fieri potest aurum alchimica facultate, quod sit verum secundum communem vtentium assimationem. ibid.

SERIES OPUSCULORVM

Tertia Conclusio: Hac proposito: Per artem chemicam potest fieri verum aurum secundum communem vntium estimationem, est propositio per se, & necessaria necessitate physica. *ibid.*

Vltima Conclusio: Ars aurifacina non ab omnibus vtrumq; peritis, sed a solis verè sapientibus summa cum prudentia licitè potest exerceri, pag. 319.

QVÆSTIO IV.

AN Magia Mathematica sit alicuius efficaciz. *325*
Sententia Doctorum. *ibid.*

Resolutio: Mathematicas quantitates, numeros, & figuras nullius actionis, aut passionis esse posse principia. *327*

Conclusiones deductæ, & probatæ. *331*

Prima Conclusio: Entia Mathematica, siue sint continua, vt linea, &c. siue sint discreta, vt numeri, nullius sunt actionis, aut passionis principia. *ibid.*

Secunda Conclusio: Figura quodammodo cum principium est in motu locali causando, & in applicatione agentis ad passum. *ibid.*

Tertia Conclusio: Quantitas non est propriè dispositio materiae, vel substantiæ materialis ad alia accidentia recipienda. *332*

Argumenta, & solutiones. *ibid. & seqq.*

QVÆSTIO V.

DE Magia Astronomica figurarum, seu imaginum operatiua. *pag. 335.*

Sententia Doctorum. *ibid.*

Resolutio: Imagines arte factas ad similitudinem caelestium imaginum nullius esse virtutis. *336*

Affertur locus S. Thomæ, què pro sua sententia Caietanus allegat, & exponitur, ac rejicitur expositio Caietani cum interpretatione Suarezij, cuius argumenta diluantur, & explicatur intentio S. Thomæ. pag. 340. & sequentibus.

Conclusiones deductæ, & probatæ. *344*

Prima Conclusio: Imagines Astronomicae, siue figurae, secundum se, quatenus

ET CAPITA.

tenus tales sunt, vel vt quaedam artificialia, non possunt sydereos influxus recipere, nec vllam habere virtutem ad agendum. *ibid.*

Secunda Conclusio: Imagines Astronomicae, quatenus speciem causant, aut in specie constitunt artificiatu nullius sunt capaces caelestis influxus, nec vim aliquam habent ad agendum. *ibid.*

Tertia Conclusio: Imagines Astronomicae ratione materiae naturalis, & praua alterationis subiecti, in quo recipiuntur, virtutem aliquam ex syderum influxu receptam habere possunt ad agendum. *ibid.*

Argumenta, & solutiones. *345*

QVÆSTIO VI.

DE Magia Astronomica, Diuinatiua, siue Iudiciaria.

Distinguitur Astronomica Magia Iudiciaria in quatuor partes, quae singulae declarantur, & distinguuntur licita ab illicitis. *350*

Non posse Astronomos ex syderum motibus, coniunctionibus, & aspectibus de futuris humanis actibus liberis certò, aut satis probabiliter iudicare. *ibid. & seqq.*

Conclusiones deductæ, & probatæ. *353*

Prima Conclusio: Caelestia corpora non influunt in intellectum, nec in voluntatem, nec vllam eis inferunt necessitatem. *ibid.*

Secunda Conclusio: Caelestia corpora dispositiue indirectè, & quasi per accidens, & per quandam redundantiã mouent humanam mentem. *ibid.*

Tertia Conclusio: Præscire possunt Astronomi dispositiones, & inclinationes ex caloribus influxibus in corpore futuras in ordine ad actus voluntatis. *ibid.*

Quarta Conclusio: Ex caelestium corporum, siue syderum aspectibus, & influxibus præcognosci non possunt actus humanae voluntatis, nisi coniecturali notitia valde debili. *354*

Quinta Conclusio: Multa futura sunt in rebus naturalibus, quae, cum sint contingentia, non possunt ex caelestium corporum motibus, & aspectibus præcognosci. *ibid.*

Sexta Conclusio: Haec, quae de futuris actibus humanae voluntatis possunt præcognosci, valde prudenter, & sobriè sunt enuncianda, nè mentes hominum impleantur vanitate. *ibid.*

Argumenta, & solutiones. *ibid.*

QVÆ-

QV AESTIO VII.

Platonicorum opinione reiecta, quæ sit efficacia Musicæ, declaratur. 355

QV AESTIO VIII.

DE Magia Perspectiua, & Præstigiatrice. 356

SECUNDA CONTROVERSIA.

DE Magia non Naturali, sed Dæmoniaca, & Superstitiosa. pag. 358.

Proposita duplici nominis significatione, definitur Magia superstitiosa latè sumpta. *ibid.*

Distinguntur, & explicantur quinque modi generales Magiæ superstitiosæ diuinantis ex pacto cum Dæmonibus explicito. 360

Distinguntur modi communes Magiæ diuinantis ex pacto cum Dæmone tantùm implicito. 364

Illicitam esse diuinationem omnem, quæ sit per Dæmonis inuocationem explicitam, aut implicitam. 366

QV AESTIO I.

DE diuinatione, quæ sit per astra. 367

Probatum octo generibus argumentorum, vanam, & superstitiosam esse partem illam Astrologiæ Indiciariæ, quæ versatur circa liberos humanæ voluntatis actus præcognoscendos, ac præannunciandos. *ibid.*

Conclusio deducta: Astrologiæ Indiciariæ Diuinatio tota vana est, & illicita. 372

Argumenta, & solutiones. *ibid.*

QV AESTIO

QV AESTIO II.

De Diuinatione, quæ sit per Auguria, Auspicia, Aruspicia, & omnia. *ibid.*

Hos omnes diuinationis modos illicitos esse probatur ex scripturis. *ibid.* & seq.

QV AESTIO III.

De Diuinatione Physiognomica, & Chiromantica. 374

Distinguntur Physiognomia, & Chiromantia in suas partes, siue modos, quorum singulorum rationes explicantur. *ibid.*

Multa futurorum assignantur differentia, & eorum præsertim, quæ ex libero voluntatis arbitrio derivantur. 376

Physiognomum naturalem, tria posse cognoscere, scilicet corporis temperamentum, futuram ægritudinem, & sanitatem, & inclinationes ad tales actus liberos, non tamen ipsos actus futuros, & eorum prænotionem multò minus haberi posse per Astronomicam Physiognomiam. 378

Conclusiones deductæ, & probatæ. 380

Prima Conclusio: Physiognomia merè naturalis secundum totam suam latitudinem sobriè, & prudenter exercita licita est. *ibid.*

Secunda Conclusio: Physiognomia astrologica vana, & illicita profus est, nec digna est nomine scientiæ, vel artis. 381

Tertia Conclusio: Aegyptij quidam per orbem vagantes, & publicè Chiromantiam exercentes, qui vulgo Zingari nuncupantur, non videntur esse tolerandi. *ibid.*

Argumenta, & solutiones. *ibid.*

QV AESTIO IV.

De Diuinatione, quæ sit per somnia. 382

QV AESTIO V.

De Diuinatione per sortes. *ibid.*

QV AESTIO VI.

An opera Magorum vniuersa præstigiiosa sint, & vana, an verò sint ex eis aliqua realia, & solida. 383

Magorum opera quedam esse præstigiiosa, & quedam realia, & quomodo hæc ab illis discernantur. *ibid.*

Con-

SERIES OPUSCULORUM

Conclusio deducta: Quamuis multa Magorum opera sint prestigiosa, sunt tamen nonnulla, quae talia secundum substantiam in rebus existunt, qualia sensibus nostris offeruntur. 384
Argumenta, & solutiones. ibid. & seqq.

QV AESTIO VII.

An Artis Magicæ facultate verum miraculum effici possit. 385
Perum miraculum arte Magica fieri non posse, & quibus notis vera miracula discernantur à falsis. ibid.

QV AESTIO VIII.

An, & quomodo Magi in suis operibus utantur Dæmonum ministerio. 387

QV AESTIO IX.

An Magi per artem notoriam scientias valeant efficaciter adipisci. ibid.
Artem notoriam illicitam esse, & inefficacem ad scientiam acquirendam, ibidem.
Rerum cogitationem à Dæmonibus acceptam non esse illuminationem, neque scientiam, sed magis illusionem, & deceptionem. 390

QV AESTIO X.

An Magia potestatem aliquam habeat in Dæmones. 391
Nullis Magicis artibus cogi posse Dæmones directè, & immediatè, sed tantum indirectè, & mediatè virtute pacti cum ipsis Dæmonibus federati. 392

QV AESTIO XI.

An obseruantiz Magicæ ad proficuas corporum immutationes ordinatæ sint alicuius efficaciz, & an licitè valeant exerceri. 394

QV AESTIO XII.

De Magia Cabala. 395
Opinio Rabbiorum, & Ioannis Pici Mirandulani. ibid.
Cabalam secundum sui primam originem bonam esse, & à Deo reuelatam. Sed prout à Rabbiniis asseritur efficax ad patranda miracula, impium, & bareticum esse figmentum. 397
CON-

ET CAPITA.

Conclusiones deductæ, & probatæ. 401
Prima Conclusio: Probabile est, Cabalam secundum propriam sui rationem, & primam originem à Deo in monte Sinai, Moysi fuisse reuelatam, & ab eodem septuaginta senioribus fuisse communicatam; & de ore in os, ac de aure in aurem succedentium in Hebræo populo seniorum usque ad Esdra prophetam tempora transisse, & ab eodem scripturæ senioribus tantum communicandæ fuisse commendatam. ibid.
Secunda Conclusio: Magia Cabalistica nullius est efficaciz ad patranda miracula, vel mirabilia. 402
Tertia Conclusio: Inquirendis mysterijs circa nomina, syllabas, elementa, puncta, & accentus Hebræica scripturæ, sine locutionis non est anxietate laborandum. 403
Argumenta, & solutiones. ibid.

QV AESTIO VLTIMA.

De Maleficijs. 404
Maleficij significationes, & differentia. ibid.

OPUSCULVM NONVM.

Communissima cuiusque Regiminis ratio, quæ Imperatoriz dignitatis, ac Monarchiz Fons est, & origo. cap. 1. 413
Suprema Sempiterni Regis Dei Monarchia. cap. 2. 414. & seqq.
Angelicus Principatus. cap. 3. 418
Humani dominatus distinctio, & Imperium in bruta. cap. 4. 420
Monarchia humana ratio. cap. 5. 423
Imperialis Regalisque Regiminis modus. cap. 6. 425
Imperatoris, & Regis Insignia. cap. 7. 429
Imperatoria, & Regalis Philosophia. cap. 8. 430
Imperialis, & Regia Probitas. cap. 9. 432
Casarea, & Regalis Potentia. cap. 10. 435
Augusta, & Regalis Clementia. cap. 11. 437
Pax, & Bellum. cap. 12. 438
Imperatoria, Regalisque Gubernationis intentio. cap. 13. 442
Regis Regum Iesu Christi Monarchia. cap. 14. 444
Petri Monarchia. cap. 15. 447
Summum Pontificem Petro succedere in Monarchia Ecclesiastica. cap. 16. 447
pag. 451. Am-

SERIES OPVSC. ET CAPITA.

<i>Amplissima legum ratio, cap. 17.</i>	454
<i>Lex Aeterna, cap. 18.</i>	456
<i>Lex Naturæ, cap. 19.</i>	457
<i>Lex Humana, cap. 20.</i>	458
<i>Legis Divina Ratio, cap. 21.</i>	461
<i>Lex Divina Vetus, cap. 22.</i>	462
<i>Moralia Præcepta, cap. 23.</i>	465
<i>Ceremonialia Præcepta, cap. 24.</i>	467
<i>Indiciaria Præcepta, cap. 25.</i>	469
<i>Lex Evangelica, cap. 26.</i>	470
<i>Lex Pontificia, cap. 27.</i>	471

OPVSCVLA VARIA

THEOLOGICA,

ET PHILOSOPHICA

Admodum Reuerendi Patris Fratris Ioannis
Pauli Nazarij Cremonensis Sacræ
Theologiæ Doctoris Ordinis
Prædicatorum.



*Opusculum primum de Scriptis D. Thomæ
Aquinatis.*

Ordo Dicendorum.



VONTIAM inter ea, quæ Doctrinæ lucem
afferunt intelligentiæ, vim obtinet singu-
larem ordo rerum, de quibus scripto le-
ctores, voce autem auditores instruuntur;
hic erit à nobis in hoc Opusculo de Operi-
bus D. Thomæ diligenter obseruandus.
Proponemus itaq; primò Catalogum Operum eiusdem
Angelici Doctoris ex D. Antonino; recēsendo etiam ex re-
centiorum Catalogis alia opera plurima partim certa, par-
tim dubia, quæ sub eiusdem S. Doctoris nomine circumfe-
runtur, aut etiam certis eius operibus sunt inserta, vel quasi
extrinsecus agglutinata. Secundò præfigemus quinq; re-
gulas, quibus à quolibet prudente lectore legitima S. Do-
ctoris opera discerni possint à spurijs. Tertiò Dubitatio-
nes de quibusdam veris S. Doctoris operibus, quæ nonnul-
li recentiores friuolis quibusdam propositis argumentis in
Controuersiam vocauerunt, aut etiam patris Angelici no-
stri Doctoris esse negauerunt, & eas pro posse definiemus.

A

Quar-

Quartò de quibusdam agemus eiusdem S. D. operibus, quæ inter incerta à pluribus enumerantur. Postremò ad excellentiam, & soliditatem Angelicæ, ac planè Diuinæ Doctrinæ Sanctissimi nostri Doctoris Aquinatis demonstrandam afferremus testes omnis Ordinis fide dignos; qui tanti Magistri Doctrinam Summis laudibus extulerunt. Hi verò sunt Philosophi, Iurisperiti, Theologi, tam Scholastici, quam Positivi, Antistites, Summi Pontifices, Ecclesia Catholica, Christus ipse Dominus, ac verus Deus, & homo; quibus etiam nonnullos adiungemus hereticos indirectè saltem Angelici nostri Doctoris sapientiam efferentes.

CATALOGVS OPERVM

S. THOMAE AQUINATIS,

Ex S. Antonino tertia parte historiali
titulo 18. cap. 10.

Qui consonat Catalogo Fratris Raynaldi, siue Rignaldi Socij S. Thomæ relato à Ioanne Antonio Flaminio in vita eiusdem Sancti Doctoris.



OC igitur ordine Sanctus Antoninus recenset opera D. Thomæ.

Summa Theologiæ, quam (inquit) tripartit in naturalem, Moralem, & Sacramentalem; quas singulas partes in suos distinguit tractatus; quos in alias fecit partes minutiores secundum distinctiones, & ordinem seruatum à D. Thoma.

Scripta, siue expositiones in quatuor libros sententiarum valde prolixæ, opus (inquit) stylo: disertum; intellectu profundum, intelligentia clarum, & nouis articulis dilatarum.

Scriptum aliud in primum Sententiarum factum ab eo Romæ post tres annos sui Magisterij, cum redijisset in Italianam

liam tempore Urbani Papæ; sicut (inquit) testatur in Cronica Dominus Frater Prolomeus Episcopus Torcellanus; qui ex discipulis eius fuit auditor, asserens se vidisse illud in Conuentu Lucano; quod nunc non inuenitur; quia furto ablatum fuisse creditur.

Summa contra gentiles; quam in quatuor libros distinxit, in vno tamen Volumine. Est autem (inquit) opus hoc stylo disertum, & rationum nouitate, & subtilitate profundum; in quo opere dum scriberet, frequenter inuentus est sic ab exterioribus sensibus abstractus, vt videretur totaliter in Diuinis absorptus.

Opus insigne de mandato Urbani Papæ Quarti in quatuor Euangelia mirabili ordine contextum ex dictis, & authoritatibus Sanctorum Doctorum; ex quibus sic vniuscuiusq; Euangelistarum continuauit historiam, vt Doctoribus videatur esse lectura: Inscriptio huius operis est: *Cætana aurea.*

Fertur quoq; fecisse expositionem super Euangelia Dominicalia totius anni; quæ vix, aut rarissimè inuenitur. Ego (inquit) credo me vidisse, sed talem, vt mihi videatur excerpta ex prædicto opere super Euangelia quatuor.

Officium totum tam diurnum, quam nocturnum Corporis Christi, ac etiam Missa.

Postilla super Euangelium Ioannis; maximè super quinque capita stylo proprio: Residuum dicitur reportasse Frater Raynaldus Socius eius, ipso legente; quod postmodum idem Doctor correxit, & approbavit.

Postilla super Epistolas Pauli ad Romanos, ad Corinthios, ad Hebræos vsq; ad vndecimum caput, & super alias Epistolas Pauli. Reportatæ sunt per prædictum Raynaldum Socium suum post ipsum legentem; quas idem Doctor fertur postea correxisse.

Postilla super Isaiam; quæ rarè inuenitur. In cuius (inquit) expositione, cum in quodam passu textus difficili anxietur, post orationes, & lacrimas, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, qui eum de illo textu instuxerunt, meruit visionem.

Commentaria super Iob ad litteram; quod nullus Doctor

Nota.

Nota.

&or prius attentauerat.

Expositio in Hieremiam, & Trenos, & in Cantica Cantorum; multum tamen breuiter, & ad litteram.

Postilla in tres nocturnos psalterij circa finem vitæ; Frater Raynaldus dicitur eam reportasse, ipso legente: Quæ incipit: *In omni opere dedit confessionem.*

Lectura in Mattheum; quæ defectiua est: dicitur eam reportasse Frater Petrus de Adria.

Expositio libri de anima, quam Frater Raynaldus reportauit.

Quæstiones de Veritate; de Potentia Dei; de Anima; de Virtutibus; de Malo; de Spiritualibus creaturis.

Quodlibeta duodecim disputata.

Expositio in libros Aristotelis, Physicorum: in Methaphysicorum, in tres libros, de cælo, & mundo, in librum de Generatione, & Corruptione, in duos libros Meteororum, in secundum, & tertium de anima, in librum de sensu, & sensato, in librum de memoria, & reminiscaris, in librum Ethicorum, in quatuor libros Politicorum, in librum de Causis, & propositionibus Proculi, in librum primum, & secundum posteriorum, in librum Periermenias.

Opuscula diuersa circiter quadraginta: videlicet: De principijs naturæ ad Fratrem Syluestrum; incipiens: *Quoniam quidem potest esse, licet non sit.*

De quatuor oppositis; incipiens: *Quoniam quatuor sunt oppositiones.*

De principio indiuiduationis: incipiens: *Quoniam sunt duæ potentie.*

De natura instantis, seu de instantibus: incipiens: *Quoniam omnem.*

De Verbo, seu natura Verbi: incipiens: *Ad intellectum huius nominis, quod dicitur Verbum.*

De natura Verbi intellectualis: incipiens: *Quoniam circa naturam verbi intellectus, sine quo imago Trinitatis non inuenitur in homine expressa.*

De motibus naturalibus corporis, seu de operationibus, & actionibus occultis naturæ ad quendam militem; incipiens: *Quoniam in quibusdam naturalibus corporibus.*

De

De motu cordis ad Magistrum Philippum: incipiens: *Quoniam omne, quod mouetur.*

De quidditate entium, seu de Ence, & Essentia ad Fratres, & socios: incipiens: *Ad habendam cognitionem.*

De fallacijs ad quosdam nobiles artistas; incipiens: *Quoniam Logica est rationalis scientia.*

De Angelis, seu de substantijs separatis ad Fratrem Raynaldum; incipiens: *Quia Sacris Angelorum solemniss.*

Contra errores Auerroistarum de Unitate intellectus; incipiens: *Sicut omnes homines natura scire desiderant.*

De sortibus: Vtrum sortibus sic vtendum, ad Dominum Iacobum de Burgo; incipiens: *Postulauit a me vestra dilectio.*

De iudicijs astrorum: Vtrum liceat vti eis; ad Fratrem Raynaldum; incipiens: *Quia petisti, vt scriberem.*

De regimine Iudæorum ad Ducissam Brabantie: incipiens: *Excellentie vestra recepi litteras.*

Responsiones ad quadraginta tres articulos ad Magistrum Ordinis: quæ incipiunt: *Reuerendo in Christo Patri.*

Responsio ad multos articulos ad Fratrem Gerardum Lectorem Bisuncinum; incipit: *Reuerendo in Christo sibi.*

Responsio ad triginta sex articulos ad Lectorem Venetum: quæ incipit: *Litteris vestris inueni.*

Contra errores Græcorum; incipiens: *Libellum ab excellentia vestra mihi exhibitum.*

De Regimine principum, ad Regem Cypri: incipiens: *Cogitanti mihi, quid offerrem Regiæ celsitudini.*

De propositionibus modalibus; incipiens: *Quia propositio modalis.*

De æternitate mundi; Vtrum scilicet possit esse ab æterno; incipiens: *Supposito secundum Catholicam fidem.*

Expositio Symboli; Credo; quæ incipit: *Primum, quod est necessarium Christiano.*

Expositio salutationis Angelicæ; Ave Maria; quæ incipit: *In salutatione ista continentur sua.*

Expositio Orationis Dominicæ, Pater noster: quæ incipit: *Inter alias orationes Dominica oratio.*

De articulis Fidei, & Ecclesiæ Sacramentis ad Archiepiscopum Panormitanum; incipiens: *Postulauit a me dilectio vestra.*

A 3

Bre-

Breuis declaratio quorundam articulorum, quos impugnant Græci, Armeni, & Saraceni ad Cantorem Antiochenum: quæ incipit: *Beatus Petrus Apostolus.*

Expositio primæ Decretalis de Summa Trinitate, & Fide Catholica, *Dammamus;* quæ incipit: *Saluator noster.*

Expositio secundæ Decretalis de Summa Trinitate, & Fide Catholica, *Dammamus;* quæ incipit: *Exposita forma.*

De perfectione vitæ Spiritualis; incipiens: *Quoniam quidam perfectionis ignari.*

De forma absolutionis Sacramentalis ad Magistrum Ordinis; incipiens: *Perlesto libello.*

De militione elementorum ad Magistrum Philippum; incipiens: *Dubium apud multos solet esse.*

Expositio libri Boetij de Hebdomadibus, quæ incipit: *Præcurre prior in domum tuam.*

Super librum Boetij de Trinitate, incipiens: *Ab initio natiuitatis meæ inuestigabo.*

Expositio librorum Dionysij de Diuinis nominibus.

Contra impugnantes religionem præcipue mendicantium, videlicet Vuilielmum de Sancto amore, & sequentes eius; incipiens: *Quoniam ecce inimici tui Deus sonuerunt.*

De perfectione Christianæ religionis; incipiens: *Christiana Religionis propositum.*

Compendium Theologiæ ad Fratrem Raynaldum; quod incipit: *Aeterni Patris Verbum.*

De præceptis: quod lex amoris fuit homini necessaria; incipiens: *Tria sunt homini necessaria.*

De fato; incipiens: *Quæritur de fato.* Post hæc subdit immediate S. Antoninus. Ex his patet, quod post illa super Genesim, & Ecclesiasten, quas vidi sub titulo S. Thomæ, & Compendium quoddam Theologiæ; quod incipit: Theologiæ facultatis; quod etiã Beato Thomæ aliqui ascribunt, non sunt eius; cum non connumerentur inter suprascriptos: Et post pauca: Nec Compendium hoc est Alberti Magni, vt alij quidam dicunt, sed cuiusdam alterius doctissimi viri, qui dictus est Frater Thomas.

S. Antoninus.

Alia

Alia multa Sancti Doctoris opera recentiorum Catalogis inserta.

Sed in recentiorum Catalogis multa recensentur volumina; de quibus in præmisso Catalogo nulla fit mentio.

Nam Tritemius in fine sui Catalogi, & Ferdinandus Castilius libro tertio historiæ S. Dominici capite trigesimo primo, narrat D. Thomam scripsisse Commentaria in librum Porphitij; quod tamen nullus alius, quem viderim, affirmat. Dicit etiam ipsum scripsisse in duos libros Periermenias Aristotelis, cum tamen constet Caietanum suppleuisse Commentaria libri secundi, duabus tantum primis lectionibus exceptis; quæ sunt D. Thomæ; ait etiam eum scripsisse in quatuor libros Meteororum; quod verum est: dicit etiam eum scripsisse in quatuor libros de Cælo; cum tamen constet Petrum de Aluernia suppleuisse medietatem Commentarij tertij libri, & totum quartum exposuisse. Addit etiam Commentaria in libros Oeconomicorum Aristotelis; quæ etiam recensuerat Vielmius libro secundo pagina 46. Id etiam affirmat Plodius; Sed ego illa nūquam vidi: idem Castilius recenset Commentaria in librum Aristotelis de Somno, & Vigilia. Plodius; & Bellarminus adiungunt etiam Commentaria in reliqua parua naturalia Aristotelis; quæ omnia habentur in impressione Romana; & in alijs impressionibus Operum D. Thomæ post dictam impressionem Venetijs, & alibi factis. Abbas Tritemius ait eum commentaria scripsisse in omnes lib. Aristotelis. Prædictis etiam Plodius ait addi posse Commentaria in Genesim; non illa, quæ S. Antoninus rejicit, sed illa, quæ in Flandria inuenta sunt in villa, quæ dicitur Vulexion, & per Fratrem Antonium Senensem, siue Senesium Lusitanum impressioni data sunt Antuerpiæ anno 1572. & postea etiã impressa fuere Lugduni, & Parisijs: hæc (inquit) Plodius nonnullam habent in stylo cum cæteris operibus D. Thomæ conformitatem, & ex multis scriptoribus quasi certum est

Tritemius, Castilius, Caietanus, Aluernia, Vielmius, Plodius, Castilius, Bellarminus, Tritemius, Ant. Sen., Plodius.

A 4

est

DE SCRIPTIS

est D. Thomam in librum illum scripsisse Commentaria. Bellarminus nullum de his iudiciū profert, dicens se Commentaria illa non vidisse.

Bellarminus.

Tritemius.

Tritemius, quem etiam refert Sixtus Senensis in saepe allegato libro quarto, asserit D. Thomam scripsisse lectiones Scholasticas in quatuor Evangelia; sed ait Senensis se tantum vidisse lectiones in Mattheum, & Iohannem: ego à multis fide dignis audiui lectionem S. Doctoris in Lucam esse in Bibliotheca Serenissimi Ducis Urbini manu scriptam, & Ducem illum pluries requisitum nunquam permittere voluisse, ut impressioni mandaretur. Castilius, Plodius, & Bellarminus in suis Catalogis tantum duo iam dicta recensent.

Nota.

Castilius.
Plodius.
Bellarminus.

Sixtus Senensis.

Sixtus autem Senensis ait D. Thomam duplicem expositionem fecisse in Cantica Canticorum, & ingens volumen in Apocalipsim: quod tamen alij negant esse D. Thomæ, præsertim Vielmius, & Castilius alij de hoc volumine nec verbum habent. Ad hoc idem Senensis addit septem libros in omnes Canonicas Epistolas: eadem commentaria recenset Tritemius in suo Catalogo: de quibus Bellarminus sic loquitur: *Commentaria verò in Epistolas Canonicas videntur mihi erudita, & digna ingenio S. Thomæ: Neq; obstat, quod in editione Romana hoc opus non recensentur; Siquidem eo tempore hoc opus nusquam inveniebatur, & primum in lucem prodijt Antuerpiæ Anno 1592.* Sed, cum multo ante cognitum fuerit à Sixto Senensi, mirum videtur tãto tempore Romanos illos Doctores latuisse, qui diligenter in inquirendis, & noviter imprimendis operibus omnibus D. Thomæ laborabant.

Vielmius.
Castilius.

Bellarminus.

Vielmius.

His adde Vielmium Sixto antiquiorem, aut saltem æqualem libro secundo, pagina 52. asserere dicta Commentaria fuisse divulgata, sed nec stylo, nec diligentia cum alijs D. Thomæ Commentarijs conferri posse, nec ab antiquioribus D. Thomæ sectatoribus fuisse cognita; ita ut pluribus coniecturis ea, vel non esse veros factus Aquinatis nostri dubitare liceat, vel certè eundem supremam manum illis non imposuisse: quod etiam affirmat de Commentarijs in Apocalipsim.

Ad-

D. THOMAE AQUINATIS. 9

Addunt etiam nonnulli Commentaria in libros Machabæorum Parisijs impressa; de quibus Bellarminus ait se non habere, quid dicat, cum ea non viderit.

Bellarminus.

Prædictis etiam addendum est secundum scriptum in quatuor libros Sententiarum ad Anibaldum; quod primò in flu Pauli Papæ Quarti fuit impressioni mandatum. Hoc autem opus esse D. Thomæ testatur Ptolomæus Lucensis Ordinis nostri, qui fuit eiusdem Sancti Doctoris auditor, ut refert Frater Thomas Nerijs in præfatione prima ad lectorem apposita primo libro dicti operis in impressione Parisiensi facta anno 1564. quod etiam inter opera D. Thomæ recensent Castilius, Plodius, & Bellarminus, habetq; Romanæ impressionis, & Germanæ conformitatis cum cæteris Sanctissimi nostri Doctoris, operibus testimonium.

Secundum scriptum D. Thomæ in sent.

Nerijs.

Castilius.
Plodius.

Opuscula Dubia.

Postremò his omnibus addenda sunt (licet ut dubia) Opuscula illa; quæ, cum in antiquis Catalogis Fratris Raynaldi Socij D. Thomæ, & S. Antonii Archiepiscopi Florentini minimè sint comprehensa, in Romanæ tamen impressionis Tomo continentur, cuius titulus est: *Opuscula D. Thomæ*, & in Catalogo eidem volumini præfixo recensentur; sunt autem hæc: videlicet.

Raynaldus.
S. Antonius.

Responsio ad Magistrum Iohannem de 108. articulis. Opusculum in ordine nonum.

De natura materiæ, & dimensionibus interminatis, trigagesimum secundum.

De natura generis, quadagesimum secundum.

De potentijs animæ, quadagesimum tertium.

De Tempore, quadagesimum quartum.

De pluralitate formarum, quadagesimum quintum.

De natura Syllogismorum, quadagesimum sextum.

Aristotelis totius Logicæ Sûma, Quadagesimum octavum.

De sensu respectu singularium, & intellectu vniuersalium, quadagesimum nonum.

De inuentione medijs, quinquagesimum.

De natura luminis, quinquagesimum primum.

De

- De natura loci, quinquagesimum secundum.
 De intellectu, & intelligibili, quinquagesimum tertium.
 De quo est, & quod est, quinquagesimum quartum.
 De Vniuersalibus, quinquagesimum quintum.
 Item de Vniuersalibus, quinquagesimum sextum.
 De Sacramento Altaris secundum decem prædicamen-
 ta, quinquagesimum nonum.
 De humanitate Christi, sexagesimum.
 De dilectione Dei, & proximi, sexagesimum primum.
 De Diuinis moribus, sexagesimum secundum.
 De beatitudine, sexagesimum tertium.
 De modo confitendi, & puritate conscientie, sexagesi-
 mum quartum.
 De officio Sacerdotis, sexagesimum quintum.
 De expositione Missæ, sexagesimum sextum.
 De emptione, & venditione ad terminum, sexagesi-
 mum septimum.
 De modo acquirendi Diuinam Sapientiam, sexagesi-
 mum octauum.
 De vitijs, & virtutibus, septuagesimum primum.
 De concordantijs sui ipsius, septuagesimum secundum.
 De Vsuris in communi, septuagesimum tertium.
 Quæ sunt numero 29. & cum Opusculo 32. sit omnino
 idem cum Opusculo 46. reliqua Opuscula, quæ reputantur
 indubitate esse S. Thomæ, remanebunt 42.

Tritemius. Tritemius addit sermones multos, subdēs eum alia quo-
 que multa edidisse, tam in diuinis scripturis, quam in se-
 culari philosophia, quæ ad manus eius non venerunt.

His adde Postillam in Ecclesiasten; quam S. Antoninus
 negat esse D. Thomæ, quia non inuenitur in Catalogis an-
 tiquis: sed oppositum esse probabilius ostendemus inferius.

*Regula ad discernendas legitimas S. Thomæ lucubrati-
 ones à spuris.*

1. Regula. **P**rima Regula. Illa opera censenda sunt esse D. Tho-
 mæ, quæ communicer non solum à Magistris, & Do-
 ctoribus Ordinis Prædicatorum, qui doctrinam eius
 pro-

proficentur, atq; ideo Thomistæ nuncupantur, sed etiam
 ab alijs viris Doctrina, Sanctitate, aut dignitate insigni-
 bus veeiusdem Angelici Doctoris partus hæctenus recepta
 fuerunt, aut allegationibus, vel etiam laudibus approba-
 ta, aut in antiquis Catalogis inter eius opera recensita co-
 gnoscuntur.

2. Regula. Secunda Regula. Opera omnia sub D. Thomæ nomine,
 non solum antiquitus, sed etiam seculo nostro in lucem edi-
 ta illius esse censenda sunt; si dicendi stylus, scribendi for-
 mam, ac docendi modum, & eruditionem præferant; ita
 tamen, vt non in omnibus, ac singulis eius operibus ad in-
 uicem collatis quo ad singula prædicta exigatur æqualitas.
 Hæc enim neq; necessaria est, nec in omnibus etiam indu-
 bitatis operibus D. Thomæ reperitur; atq; adeo nec in alijs,
 de quibus est aliqua dubitatio, prædictæ notæ pares ad
 æquilibrium sunt exigendæ, sed regulis subsequentibus ad
 ea diiudicanda prudenter vtendum est.

3. Regula. Tertia Regula. Illa opera inter vera, ac legitima D.
 Thomæ regulariter computanda sunt; quæ scriptis eiusdem
 S. Doctoris antiquitus inserta nomen eius præferunt; nisi
 graues coniecturæ eas adulterinas, siue supposititias esse
 declarent; nullus enim nisi ex graui, & probata causa legi-
 tima rei propriæ possessione priuandus est.

4. Regula. Quarta Regula. Illa opera scriptis Angelici Doctoris
 sunt annumeranda; quæ, cum eius scriptis inueniantur in-
 ferta, tradita ab eo in alijs locis Doctrinæ non repugnant;
 nec valde diuersum habent docendi, loquendi, aut expli-
 candi modum, aut inepta sint, vel frivola, tantiq; Docto-
 ris sapientia, & grauitate prorsus indigna.

Declaratur hæc Regula. Nam primò clarè constat om-
 nibus versatis in Doctrina D. Thomæ quædam illius opera
 longè maiori ab eo studio, ac diligentia fuisse conscripta,
 quam alia; atq; ideo non solum doctrina, sed etiam ordine,
 metodo, stylo locutionis, cæteris communi sapientum iu-
 dicio esse præferenda; vt patet de summa Theologiæ, & de
 summa contra gentiles, in quo opere scribendo, vt ait S. An-
 toninus in 3. p. historiali titulo 18. cap. 10. S. Thomas fre-
 quenter inuentus est sic ab exterioribus sensibus abstra-
 ctus.

Etus, ut videretur penitus in Diuinis absorptus.
 Secundò certum est D. Thomam quædam scripsisse in iuuentute, quædam in ætate virili, & quædam senectuti proximum, aut in ea constitutum, ac proinde secundum naturalem humani iudicij, ac scientiæ per singulas ætates profectum necesse est etiam ea perfe&ionis gradibus esse differentia.

S. Antonii.

Tertiò constat ex S. Antonino, & alijs inferius allegandis D. Thomam non omnia opera sua scripsisse manu propria, sed multa eo dictante scripta fuisse per amanuenses, aut eo docente ab eius auditoribus excepta, ac proprio eorum stylo latius extensa, aut etiam compendio restricta; de quibus inferius; adeo ut necesse sit non paruam styli; siue phrasidis inter hoc scribendi modos esse differentiam; licet harum omnium scripturarum vnus, & idem sit author, & doctor. Ex quibus omnibus apparet propter dictas differentias scripta minus excellentis eruditionis inter opera D. Thomæ à veteribus recensita non esse facile tanquam spuria reiicienda, sed prudētis, ac maturo iudicio esse prius secundum præfixas regulas examinanda.

5. Regula.

Ultima Regula. Ex impressione Romana: Inter Opuscula D. Thomæ illa sunt censenda legitima, quæ maioribus caracteribus sunt impressa; ea verò, quæ minoribus sunt excussa caracteribus, neq; legitima, neq; spuria regulariter certò æstimanda sunt, sed tanquam dubia recipienda: Huius Regulæ præcipuum fundamentum est auctoritas doctissimorum virorum, qui de mandato Summi Pontificis Pij V. deputati sunt ad discernēda Opuscula D. Thomæ certa ab incertis, aut etiam à suppositijs; ut hæc postrema penitus reiicerentur, prima verò à secundis caracterum differentijs distinguerentur.

Et quia longum, ac difficile nimis opus esset singula S. Doctoris Opuscula; quorum authorem haud certum est exticisse D. Thomam examinare, de quibusdam solum agemus; quæ in controuersiam, aut suspicionem aliquam vocata sunt, aut etiam à nonnullis existimata sunt non esse D. Thomæ.

Pri-

Prima Dubitatio.

An pars moralis Summæ D. Thomæ sit eius opus legitimum.

Prima dubitatio ea est, quam Robertus Bellarminus in suo libro de scriptoribus Ecclesiasticis sub Anno 1265. pagina 209. mouet de tota parte morali Summæ Theologiæ S. Thomæ diuisa in primam secundam, & secundam secundam; ubi rationem afferens dubitandi ait: *Mirum est valde, quod magna pars prima secundæ, & secundæ secundæ inueniantur iisdem verbis in primo, & tertio libro speculi moralis Vincentij Bellouacensis; & quidem non videtur Vincentius potuisse speculum suum morale conficere ex doctrina, & verbis S. Thomæ, cum ipse obierit anno Domini 1256. ut testatur Senensis ex Vaseo in Bibliotheca Patrum, & S. Thomas obierit anno Domini 1274. & in extrema ætate summam Theologiæ confecerit. Sed neq; est vilo modo credibile S. Thomam summam suam partem secundam, eamq; nobilissimam ex alio scriptore hausisse: Cui difficultati respondens subdit: In his angustijs nihil mihi occurrit, nisi speculum illud morale fortasse non esse Vincentij Bellouacensis, sed alicuius authoris posterioris, qui fortasse etiam Vincentius diceretur, qui que secundam partem S. Thomæ in compendium redigere voluerit. Id quod videtur posse confirmari ex eo, quod speculum morale grauius multò esse videtur, quàm sit speculum doctrinale, naturale, & historiate; quæ tria sine vilo dubio sunt Vincentij Bellouacensis. Hæc ibi Bellarminus: Qui, dum, quas sibi struxit angustias, effugere nititur, in maiores incidit: Nam Vincentium Bellouacensem fuisse speculi moralis authorem, non minus fuit semper apud omnes indubitatum, quàm quod cæterorum trium voluminum author extiterit. Vnde etiam Henricus Gandauensis, qui proximus fuit temporibus Bellouacensis, in suo tractatu de Scriptoribus Ecclesiasticis allegat speculum Morale sub nomine Vincentij Bellouacensis. Melius fortasse dici posset cum alijs perspicacioribus viris alium aliquem incerti nominis publicæ utilitatis studiosum speculum*

Bellarmini. Dubitatio, & solutio.

Reiicitur solutio Bellarm.

Henricus.

culum illud Morale à Bellouacensi promissum, sed morte preueniente non exhibitum conscribere, & sub eiusdem authoris nomine in lucem edere voluisse; quod plures alios circa scriptorum illustrium opera mortis iniuria debito complemento carentia fecisse clarissimè constat; Nam & speculo historiali Bellouacensis ab incerto authore additus est totus trigessimus primus liber, qui terminatur in Anno Domini 1490. ad quem annum certum est Bellouacensem non peruenisse. Quòd autem speculum morale Bellarmino cæteris grauius videatur, non authoris, sed doctrinæ in illud translatae maiorem indicat grauitatem. Ad argumentum autem ex temporibus à Senensi notatis dicemus inferius.

Vera solutio.
1. Ratio.

Nobis igitur alio longè meliori, ac euidentiori modo videtur prædictæ difficultati posse satisfieri. Principio autem admirabile apparet in cursu trecentum, & quinquaginta annorum à morte D. Thomæ nullum ex ijs lectoribus operum D. Thomæ, & Bellouacensis, qui libros aliquos ediderant, prædictam dubitationem excitasse; quòd sanè facere debuissent, si vni, aut alteri, firmo, vel saltem probabili fundamento niteretur. Cum præsertim scriptores omnes, qui Catalogum Operum Angelici Doctoris texuerunt, totam Theologicam summam cum prædicta parte morali tanquam nobilissimam eius lucubrationem recensuerint. Ex quibus præcipui sunt Raynaldus, siue Riginaldus socius S. Thomæ à Flaminio relatus; qui libros omnes recenset à S. Doctore compositos. S. Antoninus in tertia parte historiali titulo 18. capite primo. Abbas Tritemius in suo opere de scriptoribus Ecclesiasticis. Hieronymus Vielmius Episcopus Argolicensis de scriptis D. Thomæ libro secundo, pagina 60. Sixtus Senensis Tomo primo Bibliothecæ Sanctæ, libro quarto, pagina mihi 560. Ferdinandus Castillius parte prima Historiæ Generalis Ordinis Prædicatorum libro 3. capite 31. Ioannes Michael Plodius parte secunda de viris illustribus Ordinis Prædicatorum, libro primo, sub Anno 1264. Et Bellarminus loco supra citato. His adde Doctores ferè omnes, tam Scolasticæ, quàm positivæ Theologiæ professores; qui post obitum D. Thomæ

Raynaldus.

S. Antoninus.

Tritemius.
Vielmius.

Sixtus Sen.

Castillius.

Plodius.

Bellarminus.

Do-

Doctrinæ summæ scripta legenda reliquerunt, partem illam moralem vt legitimam, ac propriam tanti Doctoris opus sæpius allegasse, & tot alios insignes eiusdem Doctoris interpretes tam Ordinis nostri, quàm extraneos eandem partem vt Theologicæ summæ præcipuam, aut Commentarijs illustrasse; aut cæteras exponendo frequenter eius Sententias sub nomine Sancti Doctoris allegasse. Deniq; Doctores omnes, etiam aduersarij D. Thomæ, qui de partis illius moralis doctrina meminerunt, illius eam legitimam esse partem, omni postposita dubitatione, crediderunt: Insignis igitur, ac ridicula stultitiæ leuitas est, ob tam friuolas, vanasq; supra positas coniecturas, tot illustrium Doctorum spreto iudicio, cum vno, aut altero leuiter delirante sentire.

Secundò: Incredibile, ac improbabile prorsus est Doctorem omnium maximum vnus ex infima Doctorum classe, eodem ferè tempore viuentis, quæstiones, aut articulos iam vbiq; terrarum euulgatos ad verbum in sua scripta transtulisse; attenta maxime Sanctissimi nostri Thomæ consuetudine; qui quater, aut quinquies eandem in diuersis suorum operum locis versans difficultatem, & eandem afferens Doctrinam, ad eius resolutionem alijs, atq; alijs vtitur verbis, stylo tamen sibi consueto non immutato.

Tertiò. Longè probabilius est, eum, qui partem alicuius Doctrinæ solum habet, ab eo eam accepisse, qui eam totam, integram, ac omnibus numeris absolutam in suis libris expressit; præsertim, si illius eruditio non nisi ab usu huius sapientiæ valeat comparari: Cum igitur apud Bellouacensem pars quædam prædictæ moralis Doctrinæ reperiatur, tota verò, & integra illa Doctrina duabus illis Summæ D. Thomæ partibus sic plenè, cumulatèq; comprehensa, firmo, ac euidenti potest argumento deduci non ex Bellouacensi D. Thomam, sed ex S. Thoma Bellouacensem partem, seu partes in sua scripta transtulisse.

His adde, articulos illos communes D. Thomæ, & Bellouacensi apud D. Thomam esse vndequaq; perfectos, & omnibus numeris absolutos, cum apud Bellouacensem, nec argumenta, nec eorum habeant solutiones, ex quibus Do-

ctrine

2. Ratio.

3. Ratio.

4. Ratio.

Et inae corporis maximum additur complementum.
 Quartò. S. Thomæ Doctrina in omnibus suis Scholasticæ Theologiæ libris eodem inuenitur scribendi modo, ac stylo veluti quodam proprio caractere designata, vt ante dictum est; certum est autem eundem scribendi modum, ac stylum in duobus supradictis moralis Doctrinæ D. Thomæ voluminibus luce meridiana clariore elucescere. Quomodo igitur vir doctus, bonus, ac prudens induci poterit ad credendum, aut vel leuiter suspicandum magnam illius Doctrinæ partem ex Bellouacensie, cuius stylus longè diuersus est, & in immensum distat à celsitudine styli D. Thomæ, ab ipso D. Thomæ fuisse desumptam? Et quomodo Doctor indigens aliena lucubratione, qualis fuisse D. Thomam prædicti suspicantur, potuisset maiorem suæ Doctrinæ partem suffurata Doctrinæ stylo conformare?

5. Ratio.

Quintò. Vincentius Bellouacensis in prologo speculi sui naturalis capite primo suam explicans intentionem affirmat se in suis operibus positurum esse flores ex diuersorum Doctorum tam Theologorum, & Philosophorū; quam Poetarum scriptis acceptos; Et capite tertio sic loquitur. Deniq; quoniam, vt supradictum est, ex diuersis authoribus hoc opus contextum est; vt sciatur, quid, cuius sit, singulorum dictorum nomina annotauit, Et capite 4. ait: Cum hoc opus vtiq; meum simpliciter non sit, sed illorum potius, ex quorum dictis ferè totum illud contextus. Nam ex meo ingenio pauca, & quasi nulla addidi. Et capite 7. 8. & 20. idem confirmat; quod etiam clarius aserit in primo libro speculi Doctrinalis capite primo, vt scilicet immensum in tot sui temporis scriptorum libris innumeris scarentibus errorum maculis Doctrinæ adipiscendæ laborem studiosis eriperet.

6. Ratio.

Sextò. Idem author Angelicum nostrum Doctorem multis in locis allegat, Thomam illum Aquinatem appellans; præsertim autem in speculo naturali, libro 26. cap. 74. vbi quærit, quomodo Angelus animam doceat, & cap. 82. vbi quærit, quid sit prophetia, & cap. 105. vbi quærit, quid sit raptus; cui eam assignat diffinitionem, quam affert S. Thomas in secunda secundæ, quæstione 175. articulo primo, in primo argumento.

Septimò. S. Thomas, vbicunq; sententiam, seu dictum affert alicuius Doctoris, nomen etiam prodit authoris, ex quo desumptum est; quod insignis modestiæ signum esse Caietanus aduertit in suo Commentario ad tertiam partem summæ; igitur indicium esset impudentiæ, tot quæstiones, & articulos iam Vniuersorum lectioni propositos in sua trāsferre volumina, seq; eorum authorem publicè profiteri; Quod quantum ab Angelici Doctoris nostri sanctitate, & ab eius ad mirabili sapientia sit alienum, & abhorrens, nullus est, qui non videat, nisi planè cæcus, ac mentis inops.

Responsiones ad Argumenta Bellarmini.

Iam verò ad argumentum à Bellarmino propositum, solutione eius omiſsa, tanquam minimè sufficienti; Dico primo, Vincenium Bellouacensem secundum aliquos obiſse anno 1256. secundum alios 1264. vt notat Pater Magister Ioannes Michael Plodius Inquisitor Mediolanensis in secunda parte de hominibus illustribus Ordinis nostri, libro primo, columna 32. S. Thomas autem secundum omnes obiſt anno 1274. potuit autem S. Thomas aliquibus annis ad minus duobus ante mortem Bellouacensis prædicta sua euulgasse volumina, antequam Bellouacensis sua publicè legenda proponeret; quo casu potuit Bellouacensis ex lucubrationibus D. Thomæ sua scripta complere.

Nec obſtat, quòd S. Thomas in extrema ætate summam confecerit Theologicam; hoc enim intelligendum est de summa quo ad suum complementum; quando autem fuerit inchoata, aut quo tempore fuerit terminata, non clarè constat; quare fieri potuit, vt aliquo tempore ante publicationem operam Bellouacensis in lucem editæ fuerint partes illæ morales summæ D. Thomæ.

Secundò dici posset, Bellouacensem in ipso principio speculi sui naturalis, scilicet capite eius primo, valde reprehendere scriptores amanuenses illius temporis, quòd adeò corruptè scriberent, vt nomen Gregorij pro nomine Augustini, autè conuerſo notarent, & scarentias Patrum

7. Ratio.

Caietanus.

8. Solutio.

9. Solutio.

in codicibus allegatas tot erroribus deturparent, ut earum sensum immutarent, & vix dignosci posset, quam sententiam author operis voluerit allegare; facilius autem eiusdem seculi amanuenses, qui diem, aut annum obitus ipsius Bellouacensis ex primo illius narrationis authore transcripserunt, in characteribus numeralibus errare poterunt, vno saltem eorum mutato, sitq; Bellouacensem prius, S. Thomam verò posterius obijisse posuerint; cum tamen ille fortasse posterius, hic verò prius obierit. hic autem error in primis illis scriptoribus semel admissus, transmitti facile potuit ad subsequentes, qui fidem antiquioribus de rebus in eodem seculo gestis habere debuerunt.

fieri potuit, vt

Confirmatio. Sixtus Sen.

Huic suspicioni, seu coniecturæ fauet Bernardus Guido in additionibus ad Cronologiam manu scriptam de rebus Ordinis Stephani de Balasco ponens Vincentium Bellouacensem post D. Thomam, nihil tamen affirmans de tempore, quo Bellouacensis obierit. Seruatur dicta Cronologia in amplis. Bibliotheca Conuentus nostri Bononiensis, & in Conuentu nostro Romano Sanctæ Mariæ super Mineruam.

Quæ Confirmari possent ex narratione Sixti Senensis in primo Tomo suæ bibliothecæ in Verbo Vincentius Bellouacensis, vbi ait eum vixisse tempore Philippi Valesij Gallorum Regis, eius verba sunt: Vincentius Bellouacensis Episcopus natione Burgundus ex Ordine Prædicatorum inexplebili discendi, docendi, legendi, scribendiq; ardore captus, & nullis inquam studiorum laboribus, ac Vigilijs fessus, cum omnes inueniam penè gentium libros longo tempore, & assidua diligentia reuoluisset, hortatu amicorum, & sumptibus Philippi Valesij Gallorum Regis adiutus collegit ex dictis innumerabilium authorum tam Christianorum, quam gentilium in exameron volumen ingens triginta duobus magnis libris diuisum; quod idcirco speculum Naturale inscripsit, quia in hoc vno complexus esset, quidquid speculatione, & admiratione dignum inueniri potest in his, quæ in mundo visibili ab initio vsq; in finem facta, vel dicta sunt, siue etiam adhuc futura sunt, annotatis intra ipsas contextus lineas singulorum authorum nominibus, ex quorum scriptis hoc opus confarctauit, &c.

Posseuinus.

Quæ omnia ad verbum Posseuinus in suum sacrum tra-

stulit apparatus, & eadem etiam recenset Tritermianus in suo opere de Scriptoribus Ecclesiasticis, omisso tamen nomine proprio Regis Gallorum. Ex quibus manifestè sequitur primò, Vincentium Bellouacensem floruisse circa annum 1328. Hoc enim tempore Philippum Valesium in Gallijs regnasse affirmat Bzouius in suo quodam manuscripto, in quo presentem versat difficultatem.

Tritermianus

Bzouius

Reijcitur secunda solutio, & ostenditur primam esse veram, & optimam.

Verum, cum Sixtus Senensis loco supra notato dicat Bellouacensem claruisse sub Friderico Imperatore secundo, anno Domini 1340. non est necesse tempus illius ex tempore Regis Gallorum in quo forsitan errauit Senensis, inuestigare. Nam, & Bellouacensis ipse clare notauit tempus, quo vixit, & sua quædam volumina terminauit. Ac primò, in speculo naturali lib. 31. cap. 101. narrat S. Petrum Martyrem Ordinis nostri, fuisse numero Sanctorum ascriptum ab Innocentio quarto anno Pontificatus eius decimo: cum autem Innocentius creatus fuerit Pontifex anno 1243. consequens est S. Petrum Martyrem anno 1253. in Sanctorum numerum fuisse relatum. In Capitulo verò 102. dicit idem author se complexisse speculum naturale anno Domini 1250. Pontificatus Innocentij quarti octauo. In speculo autem historiali cap. 105. ait se huic speculo, quod est totius summæ postremum, finem imposuisse, anno Papæ Innocentij Quarti vndecimo; qui est anni 1254. licet ibi per errorem sit notatus annus 1244. sicut etiam aliqui moderni codices loco anni vndecimi Innocentij habent annum secundum; hos autem esse manifestos errores clarissime constat ex omnibus illis Chronologijs, quæ de prædicti Pontificis creatione, & de dicti Sancti Canonizatione meminerunt, & ex ipsa bulla, seu diplomate Canonizationis; vnde etiam Chronica magna antiquissima, quæ est in nostra Bibliotheca Bononiensis, narrat Bellouacensem anno Domini 1254. suum historiale volumen terminasse; quare mirandum non est, si, positis illis

Sixtus Sen.

Bellouacensis.

Error in Bellouacense.

Chronica magna.

erroribus in scriptis Bellouacensis, eisdem etiam secuti fuerint posteriores, qui Bellouacensis autoritate subnixi temporum rationes, ut par erat, diligenter scrutari neglexerunt. Ex quibus etiam apparet Bellouacensem obiisse anno 1264. ut habetur in centurijs Ordinis nostri, non autem anno 1256, ut quidam asseruerunt, duos iam dictos errores secuti; adeo ut decem tantum annorum interitum fuerit inter mortem Bellouacensis, & D. Thomæ. Nam historia Pontificalis significat eum fuisse superstem anno 1261. & Jacobus Suranus in historia Ordinis affirmat eum viuum extitisse anno 1264. quod etiam asserit Frater Albertus Castellanus in sua Chronica cap. 7, Ferdinandus Castilius in prima parte lib. 2, cap. 69. & Frater Alphonsus de Rivera in historia sacra de Sanctissimo Sacramento, tractatu ultimo, paragrapho 15. quod optimis probat argumentis. Ex his apparet manifestè consonantia eorum dictorum, quæ supra notauimus ex speculo naturali, & historiali. Nam, cum speculum historiale sit vltimum summæ dicti authoris volumen, & speculum naturale sit completum anno 1250. dici nullo modo potest speculum historiale fuisse completum anno 1244. ut in dicto cap. 105, per errorem est notatum; igitur iuxta prædicta censendum est, dictum volumen historiale fuisse terminatum anno Domini 1254. Secundò constat Bellouacensem decem annis tantum obiisse ante D. Thomam. Tertiò patet etiam, stantibus præsertim ceteris omnibus supra notatis, facile potuisse Bellouacensem videre partem Moralem summæ D. Thomæ, & ex ea doctrinam illam moralem decerpere, quæ ferè ad verbum conuenit cum doctrina eiusdem D. Thomæ in secunda secundæ, aut etiam in prima secundæ.

His adde rationes supra notatas, quibus ostenditur suspicionem à Bellarmino propositam, & prius etiam à quibusdam vix leuiter musitatam quàm longissimè à probabilitate distare, & viri prudentis, ac boni in Sanctissimi nostri Thomæ Doctrina versati iudicio esse prorsus indignam.

Dubi

Dubitatio Secunda.

De Secundo Scripto D. Thomæ in Sententias ad Anibaldum.

Rationes Dubitandi.

Rationes dubitandi sunt: Prima; Quia S. Antoninus loco supra notato texens *Cara Regum Operum D. Thomæ* nec verbum quidem habet de dicto secundo scripto, & in fine dicti Catalogi duas postillas excludit ab eius operibus scilicet in *Genesim*, & in *Ecclesiasten*, eo quod cum alijs ibidem recensitis non connumerentur, scilicet ab antiquis, ex quibus Catalogum ordinauit. Vnde nec habetur scriptum illud in Catalogo Fratris Raynaldi apud Io. Ant. Flaminium.

Secunda ratio. Dubitandi est; quia Dionysius Carthusianus in secundum Sententiarum, distinctione secunda, quæstione prima ad finem referens sententiã ex dicto opere sub Anibalis nomine illud allegat dicens. *Porro Anibal refert, &c.* & quæstione quarta prope finem de authore eiusdem operis loquens ait: *Porro Anibal sequitur responsionem Thomæ in scripto; Quamquam Thomas in Quodlibetis, &c.* de eodem opere, & authore meminit distinctio tertia, quæstione secunda non longè à principio, & distinctio quarta, quæstione prima versus finem.

Resolutio.

Sed grauissimi scriptores opus hoc ceteris annumerant operibus D. Thomæ: præcipui verò sunt: Vielmius prædictus libro secundo pagina 55. dicens: *Deinde verò ætate prouectior (scilicet D. Thomas) Ad Anibaldum Cardinalem magnopere efflagitantem contractè, & prescius illustrauit opus Petri Lombardi; quod Sententiarum inscribitur: idem opus ascribunt D. Thomæ Castilius, Plodius, Bellarminus, & alij. Quod etiam pluries allegat Aluarez sub nomine D. Thomæ in suo volumine de auxilijs diuinæ gratiæ. Sed*

B 3

& opus

Hist. Pontificalis. Suranus.

Alb. Castellanus. Castilius. Alph. Riueræ. Corollaria.

S. Antoninus.

Carthusianus.

Vielmius.

Castilius. Plodius. Bellarminus. Aluarez.

& opus ipsum manifestè clamat se partum esse nobilissimum intellectus Angelici nostri Doctoris, cum eandem, quam in prioribus Commentarijs ad libros sententiarum Doctrinam latius explicauerat, in his posterioribus mira breuitate restricta nulla claritatis, aut firmitatis, ac propriæ phrasis facta mutatione, aut diuersitate contineat. De hoc opere Thomas Nerius Florentinus in præfatione ad impressionem Parisiensem factam anno 1574. sic loquitur: *Quoniam Sanctissimi D. nostri D. Pauli Quarti Pontificis Maximi, cum esset adhuc in minoribus, primum a siderium fuit cunctis prodesse, hoc D. Thomæ autem opus, quod diu quasi sub terra latuerat, in lucem eius providentia extulit, quod veluti totius sacre Theologiæ summarium quoddam est: Et infra: Placuit eidem Sanctissimo D. nostro, ut in marginibus alia tibi assignarem loca, in quibus eadem D. Thomas pertractat, & copiosum insuper principium, magisq; notabilium propositionum indicem huic præmitterem operi.* Ex quibus apparet hoc opus examine, iudicio, & mandato eiusdem Summi Pontificis viri doctissimi, atq; pijsissimi in lucem post multa secula, in quibus latuerat, prodijisse, atq; ideo mirum non esse, si D. Antoninus, & alij antiquiores illud inter opera S. Doctoris non recensuerint. Quod autem Dionysius illud alleget sub nomine Anibalis, facile fieri potuit, aut ex falso titulo codicis, aut quia nimia vetustate consumpra esset inscriptio, ita vt solum nomen Anibaldi cum vltimæ sillabæ defectu legi posset, vt in vetustissimis scriptis haud raro cõtingit; quo factum est, vt opus illud Dionysius ascripserit non D. Thomæ, nec Anibaldo, sed Anibali: quod est nomen satis differens ab Anibaldo.

Nerius.

Solutio rationum dubitandi.

Tertia Dubitatio.

An opusculum de Regimine Principum rectè D. Thomæ tribuatur.

Rationes Dubitandi.

Tertia Dubitatio est, de Opusculo Vigesimo; quod inscribitur de Regimine Principum, & in quatuor libros distinguitur. Nam Bellarminus in dicto libro

Bellarmin.

bro de Scriptoribus Ecclesiasticis dictum Opusculum ex Catalogo operum D. Thomæ nititur expungere.

Primò, quia libro tertio, capite Vigesimo scribit author illius operis suo tempore accidisse, vt Adulphus Imperator Rodulpho, & Albertus Adulpho succederet: At S. Thomas obiit anno 1274. Adulphus autem Rodulpho successit anno 1292. & Albertus Adulpho 1299. Si dicas fieri posse, vt ista verba ex margine annotata ab aliquo posteriore in textu irreperint, Contra hoc (inquit) est, quòd oratio continuata responsionè istam nõ videtur admittere.

Secundò, quia libro tertio capite decimo non semel vocat author dicti operis Summum Pontificem Christi successorem; quod improprie dictum esse nemo est, qui nesciat, nisi qui Christum Pontificem æternum non aduertit; cui nemo succedit, sed omnes ministrant: At S. Thomas ita improprie loqui non solet.

Tertiò. Dicitur author stylum habet à stylo S. Thomæ valde diuersum: hic enim pressè, & breuiter scribit, & multa paucis complectitur; ille contra verbis abundat, & pauca multis explicat.

Quartò. Quia dictus author non pauca leuia profert explicando Ethimologias nominum magistratuum libro tertio cap. 22. & libro 4. cap. 26. quæ S. Thomæ nunquam excidissent.

Quintò. Quia fortasse ob dictas causas in editione Louaniensi anni 1562. dicti libri de Regimine Principum inter Opuscula S. Thomæ non inueniuntur.

Vltimò. Cum S. Thomas scripserit septem libros de eruditione principum, planè vtilissimos, qui habeantur inter Opuscula Romæ edita, non videbatur necessarium, vt scriberet etiam de Regimine principum.

Resolutio.

Sed opus hoc cæteris esse D. Thomæ scriptis annumerandum plura, ac solidiora suadent argumenta.

Nam primò S. Antoninus titulo, & capite supra notato recenset illud inter opera D. Thomæ. Violanius li-

B 4

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

4. Ratio.

5. Ratio.

6. Ratio.

1. Ratio. S. Antonin. Violanius.

bro 3. de operibus D. Thomæ pagina 46. de opere illo sic loquitur, *In quibus (scilicet Opusculis) qui de Regimine principum inscribitur, maximè inter morales eius libellos eminet, & frustra ab historia scriptoribus quibusdam recentioribus, nunc D. Thomæ germanus sit, in dubium reuocatur: Idem opus D. Thomæ ascribunt, Raynaldus Socius S. Thomæ in Catalogo à Flaminio fideliter relato, Ioannes Garzo apud Leandrum Albertum de viris illustribus Ordinis Prædicatorum libro quarto, Castilius, Plodius, & alij.*

Raynaldus
Abbas Tri-
tensium, si-
ue Tritem.
Garzo.
Castilius.
Plodius.
2. Ratio.
Romana
impressio.

Secundò: in impressione Romana iussu pij Quinti facta hoc opus, diligenti doctissimorum Theologorum consultatione præmissa, cæteris Angelici Doctoris proprijs; veris, ac legitimis, fuit annumeratum, ac eisdem (grandioribus scilicet) characteribus insignitum, quo à cæteris nõ adeo certis, qui minoribus sunt impressi characteribus, distingueretur.

3. Ratio.

Tertiò. Theologi ferè omnes, præsertim verò Thomistæ opus illud legitimum esse D. Thomæ iudicarunt: vnde non solum à Theologis, sed etiam à Philosophis moralibus frequenter allegatur, sub nomine D. Thomæ; vt constat verè doctis, & in morali Doctrina versatis.

4. Ratio.
D. Thom.

Quartò: D. Thomas in eadem materia Scholastica, licet eandem præferat loquendi phrasim, quandoq; tamen breuius, quandoq; latius eandem explicat veritatem; vt patet consideranti Commentaria in libros Sententiarum, Questiones disputatas, Commentaria librorum de Cælo, & Mundo: in his enim operibus latior, ac vberiori discursu Doctrinæ suæ flumen effundit; in Summa verò, & in Sententijs ad Anibaldum strictiori dictu discipulorum mentibus Doctrinæ suæ laticem impartitur, & adhuc strictius in Diuino compendio Theologiæ, quod secundum inter Opuscula D. Thomæ numeratur. Quandoq; etiam styli sui gravitatem, ac maiestatem altius atollit; vt omnibus notum est de libris ab eo scriptis contra gentiles. At quando de ijs, quæ ad communem hominum cognitionem pertinent, agendum fuit, modum assumpsit scribendi, qui ab omnibus etiam in Scholasticis disciplinis non inimè versatis intelligi, ac probari facile posset; qualem dicendi modum

præ-

præcipuè seruat, in Opusculo contra impugnantes Religionem, & contra retrahentes à Religione, & de Regimine Principum; hæc enim à D. Thoma fuere composita, vt à legentibus cuiuscunq; gradus intelligerentur; & ideo latiori, ac communiori stylo vtens Doctrinam suam intelligentiæ, seu capacitati legentium attemperauit: nihil igitur obstat stylus ille paulò solatior Angelici nostri Doctoris, quàm sit eius stylus in Scholastica Theologia, quo minus opus illud cæteris annumeretur eiusdem S. Doctoris operibus.

Quintò: Libros illos de Regimine Principum scripsit S. Doctor ad Americum Lusignanum Regem Cypri, pietate quidem præstantem, sed ineruditum, ac profus inerte instruendum; vt igitur ab illo Rege Doctrina illi maximè necessaria bene, ac facile caperetur, prudenter Angelicus Doctor consuetam styli profunditatem, ac maiestatem prolixiori, ac faciliiori quodam explicationis modo temperauit.

5. Ratio.

Sextò. S. Doctor in dicto opere libro 4. cap. 8. præcellentia sua erectis animi magnitudine viris eximie duntaxat propria Sanctitatis, pronuntiat; in partibus Liguriæ, Aemiliæ, & Flaminie, quæ hodie dicitur Lombardia, nullum habere posse perpetuum principatum, nisi per viam Tyrranicam, Duce solo Venetorum excepto; cuius regimen (inquit) est temperatum.

6. Ratio.

Hanc autem animi celsitudinem singulariter habuisse D. Thomam ex eius responsione ad Regis Neapolitanæ ciuitatis, & Regni interrogationem manifestè cognoscitur. Nam scriptor quidam non ignobilis vitæ D. Thomæ narrat Regem illum, vt intellexit Sanctum Doctorem à Gregorio Decimo Summo Pontifice ad Concilium Lugdunense fuisse destinatum, illum interrogasse, quid de Rege ipso dicturus esset in Concilio, si fuisset interrogatus, Sanctum autem respondisse solam se veritatem esse dicturum; cum tamen Rex grana quædam in eo Concilio sibi esse obijcienda dubitaret.

Celsitudo
animi D.
Thomæ.

Deniq; Doctrina quatuor illorum librorum de Regimine Principum in nullo profus discrepat, sed maxime consonat Doctrinæ eiusdem S. Doctoris de eadem materia tra-

7. Ratio.

ditæ

ditz in libris Politicorum, & in Summa Theologica: Cui igitur tantum opus hoc illustribus notis consignatum, hoc propugnatoribus, & argumentis vallatum à tanto separamus authore, cum præsertim nullus alius vel diuinando valeat assignari.

Diluuntur argumenta Bellarmini.

Superest, ut argumenta ex Bellarmino proposita diluamus. Ad primum dico narrationem illam trium Imperatorum sibi in imperio succedentium margini prius inscriptam, postea amanuensium scriptorum incertitia existimantium eam ad textus integritatem pertinere in illius corpus fuisse translata. Ad Rationem aduersus hanc responsionem: Dico primò, Longè melius orationem illius loci continuari ea narratione sublata, quàm illa manente. Comparat enim ibi S. Doctor Imperiale Dominium Regali, & Politico quo ad tria, quæ sunt: electio cum electoribus, electi, & successores. Nam primò, sicut Romani Consules, & Dictatores assumebantur per viam electionis, siue à Populo, siue à Senatoribus, ita & Imperatores quandoq; assumebantur à Senatu, ut Traianus, & Diocletianus, quandoq; ab exercitu, ut Vespasianus, & Focas. Secundò: Sicut Consules, & Dictatores non semper assumebantur de genere nobili; sicut patet de Lucio Valerio Fabricio, & Quinto Cincinato, sic & Imperatores; ut patet de Vespasiano, & Diocletiano. Tertiò: Sicut Consulibus & Dictatoribus dominium non transibat in posteros, ita nec Imperatoribus. Post hanc comparisonem sequitur immediatè narratio de prædictis tribus Imperatoribus, Rodulpho, Adulpho, & Alberto: in hæc verba: *Quantum autem ad ista duo (scilicet quo ad duas posteriores comparationes) exemplum habemus etiam modernis temporibus, quòd electi sunt Imperatores, videlicet Rodolphus simplex comes Auspurgi quo mortuo, assumptus est in Imperatorem Adulphus de Anasione; quo occiso ab Alberto Rodulphi filio, eodem modo assumptus est.*

Deinde sequitur conclusio; videlicet: *Hoc ergo generale est.*

est, nisi fortè vel ipsorum probitate contingeret ipsos assumi, vel gratia patris ipsorum, ut de Arcadio, & Honorio filijs antiquioris Theodosij contigit, & similiter de Theodosio iuniore Honorij filio, & c. Legas obsecro prudens, & candide lector tota mentis attentione prædictam discursus, & verborum texturam, & faciliè deprehendes dicti scriptoris amanuensis imperitiam, & recentiorum imposturam. Nam primò narratio illa de tribus Imperatoribus sibi succedentibus Rodulpho, Adulpho, & Alberto, quæ contigit circa tempora D. Thomæ, nihil ad institutum D. Thomæ in illo vigesimo capite pertinet; ibi enim de antiquis Romanorum in creandis imperatoribus consuetudine sermo est, ut patet ex principio dicti capitis; & ideo ad eam comprobendam nouem antiquorum imperatorum exempla referuntur; quibus satis impertinenter ex margine intrusi, & illis permisti additi sunt tres illi recentiores. Vnde etiam, expuncta dictorum trium narratione, optimè sequitur deducta ibi Conclusio, videlicet: *Hoc ergo generale est nisi forte, & c.* quæ statim cum sua limitatione declaratur exemplo Arcadij, & Honorij Imperatorum: ex quo etiam patet D. Thomam ibi ad institutum sui probationem exempla tantum antiquorum Imperatorum assumere voluisse: Quia nimirum ad probandam antiquam electionis Imperatorum consuetudinem, ea, quæ ex sui temporis Imperatoribus afferre potuisset, inepta prorsus esse iudicauit.

Secundo: Albertus non vi electionis, sed vi declarationis sui Patris Rodulphi assumpsit imperiũ; igitur hoc, exemplo magis destruitur, quàm probetur intentio D. Thomæ.

Tertiò: Non potuit hic ad imperium assumi propter Rodulphi patris merita; qui propter insignem, ac valde sordidam avaritiam, omnibus notissimus, & populo erat exosus, & Imperitoria dignitate reddebatur indignus. His adde ob iniustam regnandi cupiditatem parricidam Adulphi Imperatoris occisionem; propter, quam ab imperio merebatur excludi; Vnde & ipse postea, Diuino sic decernente iudicio, in criminis vitium à Ioanne Fratris filio fuit occisus. Quæ omnia perspicuè patet instituto S. Doctoris ibidem aduersari.

Quar-

1. Confutatio.

1. Confutatio.

3. Confutatio.

Ab Alberto.

4. Confu-
tatio.

Quartò: Verfaris in Doctrina D. Thomæ constat illum nunquam ex hominibus, præsertim autem ex principibus sui temporis, sed ex antiquis tantum exempla desumere, ne viuentes, aut quo ad male facta traducere, aut quo ad benè gesta adulatione delinire videretur.

5. Confu-
tatio.

Denique postrema illa verba: *Quo occiso ab Adolpho Rodulphi filio, eodem modo assumptus est*; nullum secundum regulas Grammaticales legitimū sensum admittit; cum nulla ratione ad eruendā eorum intelligentiam rectè valeant ordinari; quod nec Angelici nostri Doctoris excellentiæ, nec alterius cuiusvis viri docti potest eruditioni congruere: Igitur patet dictam narrationem ut spuriam, & ex margine in textum intrusam, & authoris intentioni contrariā, & loco illi minimè congruentem, & in postrema parte nihil rectè significantem ex illo capite esse delendam, & secundum communiorē, & magis rationabilem omnium ferè antiquorum, ac recentiorum sententiā quatuor illos libros de Regimine Principum inter opera D. Thomæ recensendos.

3. Thom.

Ad Secundum argumentum respondeo, D. Thomam in illo capite decimo, præmittere distinctionem Domini in quatuor genera, Videlicet Regale, & Sacerdotale simul, Regale solū, sub quo etiam Imperiale comprehenditur, Politicum, & Oeconomicum; Ex quibus ait primum esse cæteris antefendum ob eam præcipue causam, quæ legitur Matthæi 16. hæc autem est institutio Christi Domini. Cum enim (inquit S. Doctor) eidem (Christo) secundum suam humanitatem omnium sit collata potestas, dictam potestatem suo communicauit Vicario, cum dixit: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo clauis regni cælorum, & quodcuq; ligaueris super terram, erit ligatum, & in Cælis, & quodcuq; solueris super terram, erit solutum, & in Cælis; Vbi quatuor ponuntur clausula omnes significatiue domini Petri, suorumq; successorum super omnes fideles, & propter quas merito Summus Pontifex Episcopus Romanus dici potest Rex, & Sacerdos: Si enim Dominus noster Iesus Christus sic appellat, ut Augustinus probat 17. de Civitate Dei, non videtur incongruum summi sic vocare successorem, et*

cum

*inscriptis rationibus, quæ possent adduci, quia satis est clarum. Hactenus D. Thomas; Quæ verba fortasse non incongruè sic exponi possent, ut Summus Pontifex dicatur quidem solius Christi, non autem Petri Vicarius; sed tamen successor denominetur, tam in ordine ad Petrum, quam in ordine ad Christum; ad illum quodam primò, formaliter, & explicitè; ad hunc autem consequenter, virtualiter, & implicitè, tanquam ad primū auctorem, ac fontē totius Ecclesiasticæ potestatis Petri, & successoribus eius collatæ. Videtur autē Summus Pontifex appellari successor in ordine ad Petrum per illa verba: *significatiue domini Petri, suorumq; successorū*; ita ut hæc duo postrema verba: *suorumq; successorū* intelligatur de successoribus Petri; sicut cū dico: *Petrus est successores* dictio illa sui dicit ordinē ad Petrū formaliter, & explicitè, sed virtualiter, & implicitè denotat ordinē ad Christū, ut primū auctore Sacerdotalis, & Ecclesiasticæ potestatis; quæ ordinē, paucis interpositis, explicitè significat dicens: *Si enim Dominus noster Iesus Christus sic appellatur, ut Augustinus probat 17. de Civitate Dei, non videtur incongruum sic summi vocare successore. i. Summū Pontificē successorē Christi* (quia s. Petro Christi Vicario in Vicariatu successit) sic appellare, ut dicatur Rex, & Sacerdos; sicut in sacris litteris Christus dicitur Rex, & Sacerdos, ut probat Augustinus in dicto loco.*

Sed quoniam hic sensus magis videtur violentus, quam proprius, hoc omisso, planè sequendo verborum intelligentiam asserentem Summū Pontificem à D. Thoma verbis illis appellari simpliciter Christi successorē dico non idèo facile deducendū esse opus illud non esse D. Thomæ; qui nunquam alibi, vbi de Summo Pontifice loquitur, illum Christi successorem appellat, sed Vicarium; Potest namque dici non improprie Summus Pontifex Christi successor quo ad regimen Ecclesiæ secundum modum homini mortali consuetum, scilicet per sensibilem sui, ac suarum in hoc mundo actionū præsentiam; quo regiminis modo vsus est Christus Dominus vsq; ad mortem, immo & vsq; ad ascensionem suam in cælum, prædicando mysteria fidei, legem, veterem exponendo, ac nouam condendo, miracula faciendo, & homines verbis, & exemplis à prauis operibus reuo-

cando

Nota sen-
sum verbo-
rū D. Tho-
mæ.Secūda re-
sponso.

S. Thom.

cando, & ad poenitentiam, & opera virtutum inducendo. Quo ad hunc ergo sensibilem regendi modum potest optime dici Summus Ecclesie Pontifex Christi successor; tamen si parem cum Christo non habeat potestatem, quia non potest instituere Sacramenta, nec absque Sacramentis peccata dimittere; hæc enim soli Christo Deo, & homini ob suæ potestatis excellentiam congruebant; ut ait S. Thomas 3. parte questione 63. art. 3. hanc enim, licet potuerit, noluit tamen Christus suis ministris communicare ob causas ibidem articulo 4. à D. Thoma assignatas. Cum ergo Summus Pontifex Christo succedat secundum dictum regiminis modum, & post ipsam Ecclesiam gubernet uniuersalem, verè, ac proprie secundum dictam regiminis rationem Christi successor poterit appellari; quanquam attenda Sacramentorum Christi æternitate Summus Pontifex haud proprie dicatur Christi successor, sed eius Vicarius, & minister; per quem Sanctam, Catholicam, & Apostolicam gubernat Ecclesiam: sicut etiam eius, ac ceterorum omnium sacerdotum ministerio seipsum offert in Altari quotidie sacrificium immaculatum, & incruentum Deo pro peccatis nostris; iuxta illud psalmi 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: quod dictum Apostolos, diuino afflatus spiritu explicat eleganter ad Hebræos primo capite. Constat autem in dicto illo capite decimo, & in toto illo opere de Regimine Principum D. Thomam de Regimine tractare, quod humano modo, ac sensibilibus exercetur; non autem de Regimine illo intelligibili, ac sola fide cognito, quo Christus æterni sui Sacerdotij potestate Sanctam, & Catholicam per Summum Pontificem Vicarium suum gubernat Ecclesiam. Cum ergo secundum illam priorem gubernandi rationem Summus Pontifex verè, ac proprie sit Christi successor, non est arguendus erroris S. Doctor, aut quisquis alius sit eius operis author, nec opinandum opus illud alienum esse ab altitudine mentis, & Doctrinæ D. Thomæ.

Nec obstat, quod alibi nunquam S. Doctor Summum Pontificem appellauerit Christi successorem; quoniam in alijs locis de Regimine Ecclesiastico loquebatur secundum

vtram-

veramque rationem, scilicet sensibilem, & intelligibilem simul, hic autem, ubi Politici Regiminis formam, & documenta præscribit, de Regimine Pontificio loquitur secundum eam tantum rationem, quæ modo iam dicto communis est omni humano regimini; pro ut scilicet Princeps, & eius actiones humanis sensibus aliqua ratione subiiciuntur.

Nec tamen pluries ea voce usus est; quia Summi Pontificis dominium, & Regimen absolute Theologica materia est, atque ideo secundum duas dictas rationes simul considerata; & ideo S. Doctor in fine dicti capituli Summum Pontificem appellat Christi Vicarium dicens: *In hoc tametsi sistat conclusio presentis capituli Vicarios Christi Pastores Ecclesie, cunctis debere præferri, ex iam dictis causis*. Ex quo etiam confirmari potest prior responsio ad argumentum.

S. Thom.

Ad tertium argumentum plene, cumulateque supra satis fecimus intertertia ratione pro sententia nostra. Quibus adde Doctrinam huius operis stylo quidem docendi summa facilitate legentibus, & exemplis antiquitatis illustratam, sed mira varietate, ac profunditate rationum fuisse propositam ex intimis Moralis Philosophiæ penetralibus deductarum fuisse roboratam, & multiplici Doctrinarum genere decoratam: Adeo ut uniuersa quauis ratione ad principum regimen pertinentia ex Aristotele ceterorumque præstantium Philosophorum, ac Theologorum scriptis, & ex Sacrorum librorum fontibus, quæ ad huius operis complementum aliquid conferre posse videbantur, summa perspicacique ingenij sui diligentia collegerit; & ordine, styloque mirabili fabricæ diuini huius operis inseruerit; ut esset, quale ab omnibus verè sapientibus æstimatur, vnde quaque perfectum, & omnibus numeris absolutum. Percurre quæso lector opus ipsum, & ex illius excellentia facile deprehendes illud esse partem Angelici nostri Doctoris D. Thomæ nobilissimum.

Ad Quartum dico primò ethimologias illas, ut proposito dederunt, debuisse nominum significationibus esse conformes; ideo enim afferuntur, ut vocum significata declarantur; quod in ijs præsertim nominibus est obseruandum;

Ratio, ac
suis ethi-
mologiæ.

dum;

dum; quibus hominum dignitates officia, aut ministeria significantur; horum enim æthimologia perspecta, quilibet in Reipublicæ, aut Regni dignitate, officio, aut ministerio aliquo constitutus ex ipso nomine, quid sibi ad communem Reipublicæ Regni, aut ciuitatis utilitatem sit operandum, intelliget, & ideo S. Doctor Isidorus imitatus eas nominibus illis æthimologias accommodauit, quibus singuli publicis muneribus designati ex ipso suo nomine propriæ obligationis admonerentur. Quod quantum rebus publicis afferat utilitatis, nemo est, qui non videat, nisi stupidus, ac planè cæcus.

Sicut igitur Isidori labor in opere de nominum æthimologia à doctissimis viris non est reputatus inanis, inutilis, aut leuis, ita nimis facile, ac inconsultè reprehenduntur ut leues prædictæ nominum æthimologiæ ab Angelico Doctore in duobus illis capitibus assignatæ; de quibus singulis disputare nihil aliud esset, quam cum aduersarijs ineptire.

Secundo dico, Opus illud ad instituendum Regem, & alios vulgaris intelligentiæ, ac paræ eruditionis fuisse compositum; atq; ideo profundæ illius Doctrinæ multa intellectu facilia fuisse passim intermiscenda, ut ex eius lectione quilibet publica gerens negotia, quid sibi ad communem Reipublicæ utilitatem esset agendum, intelligeret.

Ad Quintum dico Bellarminum probare debuisse libros illos de Regimine Principum ob dictas æthimologias in impressione Louaniensi non inueniri. Secundo dico impressorem illum Louanensem, aut operum correctorem non esse Doctorem tanti nominis, & authoritatis, ut eius iudicium in expungendis operibus ex Cathalogo librorum D. Thomæ sit irrefragabile: Nec constat vniuersitatem Louanensem eam omissionem impressori mandasse; que etiam fortasse in vno tantum Bellarmini exemplari facta est; nonnunquam enim accidit, ut quando, impressione peracta, totum opus componitur ex quaternis, aliqui librariorum iniuria prætermittantur.

Prima responsio.

Ad Vltimum dico primò, longè diuersam esse materiam de Regimine Principum ab ea, quæ est de eorum eruditione.

Hæc

Hæc enim ad personalem principis bonitatem pertinet, & ad iusti, ac Sancti Regiminis exercitium dispositio est maximè necessaria; illa ad publicas in commune bonum operationes Principis immediatè dirigendas ordinatur: illa cum morali Philosophia Politica; hæc verò cū Ethica propriè, ac præcipuè computatur; adeo, ut mirum sit virum eruditissimum tam insignem, & euidentem materiæ distorum operum diuersitatem non aduertisse, & in authore vtriusq; scribendi superfluitatem à se confictam arguere voluisse.

Secundò dico, posita etiam identitate materiæ, nullam ex ea in authore tam exuberantis Doctrinæ, scribendi, superfluitatem posse culpari, sicut nec vicio vertitur D. Thomæ, quod easdem questiones Theologicas tractauerit in Commentarijs ad libros sententiarum, in questionibus disputatis, in libris contra gentiles, in Sententijs ad Anibaldum, in quodlibetis, in Compendio Theologiæ, & super Bærtium de Trinitate, & alibi; quia sub diuersis differendi formis eandem materiam lectoribus cum maxima semper eorum oblectatione, & utilitate proposuit; quemadmodum etiam in conuiujs coquus eandem carnis materiam multiplici saporum varietate præparatam conuiuantibus offert ut epulas differentes cum suau gustus delectatione sumendas. Vnde etiam Aristoteles duo scripsit Rethoricæ artis volumina; alterum ad Alexandrum, & alterum ad Theodectum, & duplices etiam edidit moralis Doctrinæ libros, Magnorum scilicet moralium ad Nicomachum, & minorum ad Eudemum.

*Alia Defensio pro libris de Regimine Principum.
Domini Sebastiani Macy.*

CVI non sufficit hæc nostra defensio pro dictis libris D. Thomæ de Regimine Principum, legat infrascriptam defensionem Domini Sebastiani Maccij Durantini, Philosophi, Theologi, ac Iuris vtriusq; consulti desumptâ ex eius primo libro de historia Liuiana cap. 43.

C

& mi-

responsio.

Vbertas D.
Thomæ in
doctrinâ.

Arist.

& mihi ex Pisano ab illustri, & eruditissimo viro transmissa, cuius nomē libēter hic scriberē, nisi id ipse mihi ob singularitatem suam modestiam, & humilitatem prohibuisset.

Hæc igitur viri illius ornatissimi defensio est:

Pro libris de Regimine Principum in familia Divi Thomæ retinendis. Cap. XLIV.

Sed hoc loco nemo mihi obijciat, opus illud de Regimine Principum non esse D. Thomæ, neq; ad eius disciplinam, & eruditionem pertinere; quoniam, & si ad hunc locum parum id spectare videtur, tamen respondebo, quia materia saltem ipsa, quæ inter manus intercidit, id pro sui dignitate maximè exposcit. Fuerunt nonnulli, qui existimauerunt hos quatuor de Regimine Principum libros, tanquam spurios esse proflus à familia D. Thomæ remouendos. Cum his quoq; videtur sentire Robertus Bellarminus Cardinalis, dum in eo opusculo, quod scripsit de potestate Summi Pontificis aduersus quendam Guglielmum Bardaium dicit; Si Divi Thomæ non est, esse tamen aut horis antiqui, ac docti. Sed mihi alia mens est, proq; certo tenendum arbitror ab D. Thomæ familia nullo modo remouendum. Rationes autem eorum duæ præcipuæ, ac potissimæ sunt: Vna quidem, quod in eo Opusculo S. Petrus Christi Redemptoris successor appellatur, quam vocem eos, qui propriè locuti sunt, vt D. Thomas, nunquam in eiusmodi proposito vsurpassè contendunt. Altera verò, quod in eo mentio fit Alberti Imperatoris, cuius tempora D. Thomas non attingit; eum enim multos annos præcessit. Videntur profecto hæc aliquam habere veritatis faciem; sed, si attentè considerentur, sine vllò negotio manifesta declaratione eliduntur. Primum autem appellatur Petrus Christi successor, non quidem iure hereditario, neq; electione optimatum, neq; acclamatione populi, vt in cæteris principatibus contingit, sed iure institutionis; fuit enim à Christo sui gregis Vicarius institutus.

Hoc verò idem D. Thomas asserit, dum inquit eodem lo-

co; Primum autem cæteris antefertur multiplici via; sed præcipua sumitur ex institutione diuina, videlicet Christi; Atqui hic modus, & ratio dicendi nihil repugnat, vel veritati, vel D. Thomæ institutis. Non veritati; quia verè S. Petrus Christo successit, postq; eum sedem tenuit. Propterea meritò successor, licet ex institutione, dici, & appellari potest. Non D. Thomæ institutis; quia, quamuis in libro contra errores Græcorum officia Christi, ac Petri exactè, & subtiliter examinans dixit Petrum Christi esse Vicarium, & cæteros Pontifices Petri esse successores, tamen nunquam inficitatus est hanc esse propriam, ac germanam huius vocabuli, & nominis vim, vt eum potissimum designet, qui post alterum in possessionem succedit; ab actu enim succedendi, non à modo, & ratione successionis, successor appellatus est; Certissimum namq; omnibus est, non eodem modo alios Pontifices D. Petro successisse, atq; in dies succedere, quemadmodum Petrus successit Christo; tamen vna, & altera appellatur successio; quamuis Petri fuerit per institutionem, aliorum verò sit per electionem; non enim inquirimus, & describimus modum, sed factum ipsum, & modi effectum referimus. Quamobrem, vt iam dictum est, initio capituli dixit; Primum autem (Sacerdotale Imperium) cæteris antefertur, multiplici via; sed præcipua sumitur ex institutione diuina, videlicet Christi; Idcirco postea, vbi eum appellat Christi successorem subdit; Si enim Dominus noster Iesus Christus sic (Rex, & Sacerdos) appellatur, vt Augustinus probat 17, de Ciuitate Dei, non videtur incongruum, suum sic (Regem, & Sacerdotem) vocare successorem, circumscriptis rationibus, quæ possent adduci; Quia satis est clarum. Ecce igitur, quod ex institutione eum appellat Christi successore.

Hic autem modus loquendi est tam propitius, quam qui propriissimus. Præterea nihil officit, quod isti dicunt, dum D. Thomam asserunt hanc non habuisse loquendi consuetudinem, vt scilicet Petrum appellet Christi successorem; quoniam scilicet Petrus in alijs libris nunquam Christi successor appellatur, sed Vicarius; quia materia, prout diuerso modo tractantur, ita quoq; diuersis terminis debent declarari. In questionibus Theologicis, quia pro-

D. Tho.
con. erro-
res Græc.
cap. 65. 66.
67. 68. con.
gen. lib. 4.
cap. 76.

Summum
Pōt. Chri-
sti Vic. &
successorē
propriè di-
ci posse.

D. Tho. de
Reg. Prin.
lib. 3. cap.
10.

prietas maximè in his attenditur, non successor, sed proprio dignitatis nomine Vicarius appellatur; in his vero libris, ubi res politicis historicis, ac politicè magis, quàm Theologicè, & Scolaſticè pertractantur, videtur ea loquendi forma, & consuetudine, quæ Politicis, & Historicis familiaris est. Qui enim in alterius imperium, quocunq; modo, id fiat, assumuntur, successores appellantur, neque vlla habetur ratio, si legitime sint asciti, siue à prædecesore vocati, quacunq; enim ratione vicem prioris Principis assequantur; semper successores appellantur: exemplis quoq; id posset declarari; sed res notior est, quàm alia egeat declaratione. Id quoq; semel tantum facit initio eiusdem capituli, non autem sæpe, ut quidam illi falsò imponunt. Quinimo idem D. Thomas in fine illius capituli id comprobatur his verbis; *Hæc in præsentibus dicta sufficiant, subtiliora sapientibus relinquendo, & aliora, quæ dici possent; in hoc tamen sit conclusio præsentis capituli, Vicarium Christi cunctis debere præferri.* Ex quibus apparet D. Thomam illud tantum fuisse seclatum, ut veritatem ipsius principatus esseret, non ut verborum subtilitates, asignaret. Alteri autem difficultati hoc modo satisfacimus: Illa verba, in quibus de his tribus Imperatoribus Rodulpho, Adulpho, & Alberto, fit mentio, non sunt verba D. Thomæ, sed spuria, & vel dolo, vel incuria cuiuspiam in eum locum intromissa. Sed ut id melius cognoscatur, attentius verba ipsa persequemur; quia ex antecedentibus, & consequentibus, quod spurium est, facile nobis apparebit: Inquit igitur; *Item alia est comparatio, siue similitudo; quia ipsorum dominium non transibat in posterum; unde statim, ipso mortuo, dominium expirabat; quantum autem ad ista duo exemplum habemus etiam nostris temporibus, quòd electi sunt Imperatores, videlicet Rodulphus simplex Comes de Auspurg; quo mortuo, assumptus est in Imperatorem Comes Adulphus de Anaxone; Quo occiso ab Alberto Rodulphi filio, eodem modo assumptus est: Hoc ergo generale est, nisi forte vel ipsorum probitate contingeret ipsos assumi, vel ex gratia Patris ipsorum, ut de Archadio, & Honorio filiis antiquioris Theodosij contigit; Et similiter de Theodosio iunioris Honorij filio.* Ex his luce meridiana clarius apparet verba illa: *Quantum autem*

D. Thom.

Hæc in præsentibus dicta sufficiant, subtiliora sapientibus relinquendo, & aliora, quæ dici possent; in hoc tamen sit conclusio præsentis capituli, Vicarium Christi cunctis debere præferri.

Ex quibus apparet D. Thomam illud tantum fuisse seclatum, ut veritatem ipsius principatus esseret, non ut verborum subtilitates, asignaret.

Alteri autem difficultati hoc modo satisfacimus: Illa verba, in quibus de his tribus Imperatoribus Rodulpho, Adulpho, & Alberto, fit mentio, non sunt verba D. Thomæ, sed spuria, & vel dolo, vel incuria cuiuspiam in eum locum intromissa.

Sed ut id melius cognoscatur, attentius verba ipsa persequemur; quia ex antecedentibus, & consequentibus, quod spurium est, facile nobis apparebit: Inquit igitur; Item alia est comparatio, siue similitudo; quia ipsorum dominium non transibat in posterum; unde statim, ipso mortuo, dominium expirabat; quantum autem ad ista duo exemplum habemus etiam nostris temporibus, quòd electi sunt Imperatores, videlicet Rodulphus simplex Comes de Auspurg; quo mortuo, assumptus est in Imperatorem Comes Adulphus de Anaxone; Quo occiso ab Alberto Rodulphi filio, eodem modo assumptus est: Hoc ergo generale est, nisi forte vel ipsorum probitate contingeret ipsos assumi, vel ex gratia Patris ipsorum, ut de Archadio, & Honorio filiis antiquioris Theodosij contigit; Et similiter de Theodosio iunioris Honorij filio.

Ex his luce meridiana clarius apparet verba illa: Quantum autem

ad

ad ista duo exemplum habemus etiam nostris temporibus, quòd electi sunt Imperatores, videlicet Rodulphus simplex Comes de Auspurg; quo mortuo, assumptus est in Imperatorem Comes Adulphus de Anaxone; Quo occiso ab Alberto Rodulphi filio, eodem modo assumptus est; esse prorsus spuria, aliunde ascita in eum locum, & nihil habere cum D. Thomæ sententia commune, ut in ipso corpore, ubi modo sunt, conseruari, & retineri debeant. Rationes verò huiusce rei multæ sunt, sed hæ præcipuæ: Repugnant veritati, loco non conueniunt, stylo non sunt congrua in postremis nullum habent sensum. Repugnant autem primò veritati; quoniam, & si Rodulphus Auspurgensis ad Imperium assumptus fuit, viuente adhuc D. Thoma, tamen id contigit postremis eius temporibus; quibus iam necesse erat multos ante annos Opusculum hoc de Regimine Principum confecisse: postremis namq; vicæ suæ diebus summam tantum Theologicam fecit; reliquas verò Commentationes iam perfecerat in iuuentute. Sed hæc de Regimine Principum consentaneum est elaborasse, ubi Aristotelis Politicæ suis elucubrationibus iam illustrasset; quo Peripateticum opus hac parte, quæ deesse videretur, omnino redderet integrum. Itaq; vix fortasse de Rodulpho aliquo modo meminisse potuit. Assumptus autem fuit Rodulphus anno salutis humanæ 1173. D. verò Thomas migravit ad Deum 1174. Sed Adulphus assumptus est anno 1192. Albertus verò 1198. Adeo ut, & si de Rodulpho potuisset mentionem facere, quia scilicet eius creatio præcessisset obitum eius annum circiter unum; tamen de Adulpho difficilis fuisset mentio, quia creatio eius duò de viginti post annos obitum ipsius subsequuta est; immo annum 19. ut quidam alij volunt, quibus prorsus statutum est D. Thomam obiisse diem suum anno salutis 1173. Ex quibus manifeste demonstratur Adulphi, & Alberti mentionem facere non potuisse. Verum, si hi duo posteriores Imperatores delendi sunt, ut verè delendi, e iam deleri debet Rodulphus, ut pote, qui per se solus mentem, & propositum eius nihil probet. Agit enim de filiis; qui, quamuis iure hereditario Patribus non succederent, tamen propter probitatem parentum sepiusque ad imperiũ assumuntur.

Io. Bapt. Egnat. R. 6. princ. lib. 3. & scriptores omnes in Catalogo Imperatorum.

1173. 1174. 1192. 1198.

tur. Propterea conclusio est de Alberto, quem verba illa indicant vocatum ad imperium post Adulphum propter eximiam Rodulphi parentis probitatem, quam obrem, uti spuria sunt postrema verba de Alberto, ita quoque spuria sunt, quae de Rodulpho, & Adulpho dicuntur. Post haec loco non conveniunt; quoniam, & si Albertus fuit iam declaratus Imperij successor ab Rodulpho, ubi iam Othocaram Boemix Regem occidisset, tamen imperij successio electione populorum pendeat, non ex patre. Neque etiam potuit hic Albertus propter Patris beneficia, aut probitatem ad imperium simpliciter vocari; quia iam constabat Rodulphum ipsum fuisse Imperatorem omnibus avaritiae sordibus inquinatum; Ipse quoque Albertus homicidio in primis se conspersit eiusdem Adulphi Imperatoris, quem occiderat in Spirensi agro apud Vangtonas; propterea huic electioni videbatur obitare patris avaritia, qua nihil subditis est capitalius, & eiusdem Alberti innata quaedam regnandi cupiditas; propter quam etiam ipse ab Ioanne Fratris filio fuit interemptus. Itaque parum loco quadrat, ut horum imperatorum exempla, assumantur; quae rem propositam non omnino probare possunt. Sane quae subduntur de Archadio, Honorio, ac Theodosio, aptissima sunt, ac verissima, atque maxime probant D. Thomae propositum. His accedit, quod superflua sunt eiusmodi exempla, cum satis, superque illa, quae ex his postremis afferuntur, probentur & mentem D. Thomae, & omnem ambiguitatem, & summam, ac praecipuam lucem toti disputationi afferant. De Theodosio quoque seniori, ac de Theodosio iuniori, deque Archadio eius filio honestissima alio loco huius operis fit mentio; sed de Alberto nusquam verbum sequo facile inferri potest exemplum illud, quia verum, quia proprium, quia suum, esse admittendum, sed prius illud de Rodulpho, Adulpho, atque Alberto esse respuendum; quia nullo alio loco est comprobatum. Nec profecto potuisset comprobari aut quopiam fuisse in alios locos, ut in hunc unum, vel fraudulentem, vel casu introductum. Tertio D. Thomae stylo minus congrua sunt, ille namque loquendi modus minime usitatus est apud D. Thomam, non solum in

De Th. de
Reg. prin.
lib. 3. c. 17.

hoc

hoc Opusculo, in quo politicè, ac historicè, materiae discutit, sed etiam in ceteris, in quibus subtiliter, & Theologicè propositas quaestiones tractat. De ceteris locis, ac libris res legentibus notissima est, de hoc vero Opusculo ita potest observari: primum D. Thomas nunquam utitur exemplo, ac testimonio temporum suorum, & eorum, ac principum suae aetatis, sed praeteritorum, ac longè remotorum; praesertim, ubi agitur de contemptu dignitatis, vel administrationis. Deinde ille modus loquendi, *Quantum autem ad ista duo exemplum habemus*, non est villo modo D. Thomae; quia hic se habet haec locutio, ut conclusio; cum tamen supra, *quantum ad tria*, sit ut minor propositio; inquit enim: *Convenit, ut politico quidem quantum ad tria*. Igitur *quantum ad duo, vel tria* apud D. Thomam sonat, ut medium Dialecticè demonstrationis, cum tamen hoc loco se habeat, ut conclusio, & finis demonstrationis. Praeterea haec locutio: *assumptus est in Imperatorem*, quamvis, sic latina, tamen ab D. Thomam non hoc modo usurpatur, sed dicitur simpliciter: *Assumptus est, assumitur Imperator*, & similia. Quarto, & ultimo postrema istius clausulae verba nullum habent sensum, neque constructionem; sunt enim huiusmodi. *Quo occiso ab Alberto, Rodulphi filio, eodem modo assumptus est*. Quae oratio, si intelligenda sit, quo scilicet Adulpho occiso ab Alberto, an potius, quo Adulpho occiso, ab Alberto assumptus est? Si primo modo, post occisum Adulphum ab Alberto, quis est is, qui assumptus est? Si secundo modo ab Alberto filio assumptus, quis est, qui fuit assumptus ab Alberto? Historia profecto ita se habet, Albertum, postquam occidisset Adulphum Imperatorem, uti iam relatam est, Imperatorem factum fuisse. Sed verba illa neque id afferunt, neque quicquam aliud ex ijs colligi potest; quod vel historiam, vel sensum aliquem sapiat. Quae propter mihi restat dicendum, verba illa fuisse a quopiam alio auctore margini adiuncta, ut ex suis temporibus D. Thomae sententiam, quae praeterita respiciebat comprobaret, abfuisse tamen eam non longè existimo ab D. Thomae aetate, atque corrigisse, antequam eiusmodi Opusculum typis imprimeretur; Impressores vero, qui ut plurimum via

C 4

pri-

prima litterarum rudimenta norunt, existimarunt illas notas marginis, ac lateri appositas fuisse ab eodem D. Thomae autore operis factas, ac propterea intra corpus ipsum esse redigendas. Atque ita factum fuit, ut, quamuis inania, non consona, & erroribus plena, pro D. Thomae verbis, & sententia habita fuerint, & pro talibus accepta, & comprobata. Reliquum verò corpus, præter hæc paucula verba, quæ dicimus esse spuria, esse prorsus in familia D. Thomae retinendum, nemo est, qui ambigat. Caietanus, cui diuinitus datum fuit D. Thomae scusa præcipuo, & singulari modo cognoscere, ne minimam quidem de re eiusmodi habuit vnquam dubitationem, qui D. Thomae vitam scripsit, hoc quoque opus inter ceteros D. Thomae libros recensuit, qui etiam Opuscula omnia summa cura solertique diligentia examinarunt, de nonnullis quidem dubitarunt, sed de hoc neque etiam hæsitauerunt, quo minus pro certo existimarent ad eundem D. Thomam pertinere. His quoque adiungitur, quod non solum tota Thomistarum familia, tam nobilis, tam docta, tantis illuminata doctrinæ splendoribus, sed etiam vniuersi peritorum, & præstantiorum virorum cæcus, & Accademix vno omnium consensu, & applausu hoc ipsum opus, tam celebre, & eximium de Regimine Principum, & pro D. Thomae elucubrationibus exceperunt, eius ore dictarum, & manu scriptum sine vlla contouersia semper existimarunt, & pro eiusmodi attestatiōe peritiores in dies magis exurgunt, labores assument, opus admirantur, & quantum heri possit, totam dissertationem obseruant, & miris modis commendant, ac venerantur. Adde, & illud, quod si hæc pars, in qua de omnibus regiminum generibus pertractatur, D. Thomae auferretur, tota eius demerparetur moralis Philosophia, idcirco enim eum hanc scribendi Prouinciã suscepisse semper sum arbitratus, ut, quod deerat Aristoteli, adiungeret, & summam Politicæ disciplinæ perfectionem imponeret. Itaque tam leues, tamque exiguae sunt eiusmodi causæ, ut propter eas, non solum non debeat tam eximium opus ab eximio, & Sancto autore amoueri, sed etiam, si esset amotum, deberet omnino restitui. Primum enim aduersariorum fundamentum mi-

Caietanus.

nimè nobis obitare, satis declaratum est; quia exiles, ac vanum est; Alterum verò poenitus corruere, si verba illa spuria, & supradicta in suum marginem, vbi antea fuerant, restituantur. Atque hoc modo suus operi erit honos, & ea auctori gloria; quæ suo merito nullis vnquam finibus, aut terminis concludi, aut locis circumscribi posse videatur.

Aliæ obiectiones pro libris de Regimine Principum ab D. Thomae adhuc remouendis, earumque solutio, & confutatio, ex eodem auctore.

Cap. XLV.

Insurgunt adhuc nonnulli, & alijs rationibus conantur libros de Regimine Principum ab familia D. Thomae remouere. Nam, etsi vera esse dicunt ea, quæ in superioribus dicta sunt, & pro certis etiam, ac veris ab Thomis haberi, neque hoc opus vnquam fuisse suspectum apud Thomistas, tamen obitare asserunt duas alias rationes, quæ multis cum appareant satis firmæ, videntur peruertere non solum propositum nostrum, sed etiam maioris esse ponderis, quam ea, quæ dicta sunt. Prima autem obiectio est; quod hi libri non eam redolent disciplinarum cognitionem, & profundam doctrinarum eruditionem; quæ in omnibus ijs operibus esse cõspicitur, quæ pro certo D. Thomae esse nemo ambigit. Altera verò est, quod superuacaneus, fuisse videtur is labor in hoc peculiari Opusculo; cum & apud Aristotelem in Politicis satis superque multa dixerit; & si quæ eis defuisse viderentur, in sua summa luculentissime explicauit; de virtutibus enim, ex quibus verum, ac sincerum administrationis genus deducitur, adeo belle disseruit in summa, ut superflua ea omnia sint, quæ quilibet illis superaddere attentaret, & profectò hæc duæ obiectiones videntur primo aspectu alicuius esse momenti; sed si intrinsecus considerentur, suis se ipsæ telis confodiant. Nam primum, quod obicitur de doctrinæ imbecillitate, & tenuitate eruditionis, duabus potissimis rationibus pervertitur, atque omnino dissipatur. Prima quidem est; quod hoc

1. obiect.

2. obiect.

Solutio 1. obiect.

hoc

hoc propositum et omnino saluum, atque adeo nugatorium, ut tenuissimum omnino sit, & pro nihilo ducendum. Doctrina enim, quae traditur his quatuor libris de Regimine Principum, profunda est, grauis, plena, & innumeris rationibus, & argumentis illustrata. Profunditas autem ex eo, vel maxime cognoscitur, quod nihil in hac materia doctius, nihil exactius, nihil subtilius, aut dici, aut disputari, aut exquirere ipsa potuisset. Id vero, ex duabus in primis rationibus apparet. Quarum vna est, quod omnes Reip. partes exactissime proponuntur: Altera, quod ad vnguem illarum, & earum singulae explicantur. Partes autem tres quidem sunt rectae, tres vero deprauatae. Rectae sunt: Monarchia, Aristocrazia, & Democratia. Monarchia autem, siue sit vniuersalis, siue peculiaris, siue aequa, siue iniqua, appellatur ab eo principatus despoticus, siue dominium despoticum; quatenus enim haec dominandi ratio sit proprie Domini in aeternum, tamen communiter loquendo; quia vnus voluntatem, potestatem, atque arbitrium respicit, potest etiam recte cuiuslibet dominium hoc modo appellari. Ceteri vero status, Aristocrazia scilicet, & Democratia vno nomine politicae ambo appellantur. Deprauatae vero partes sunt: Tyrannis, Oligarchia, & Chirocratia. Tyrannis aduersatur Monarchiae, Oligarchia Aristocraetiae, Chirocratia Democratiae: est autem Chirocratia plebis audacia, quemadmodum suo loco latius a nobis dicitur. Quamobrem differitur ab eo de Monarchia, deque Tyrannide, quod est eius oppositum; differitur de Aristocrazia, & de eius opposito; quod est Oligarchia; differitur de Democratia, & de eius opposito, quod est plebis audacia. Dissertatio vero duobus modis ab eo fit; vno quidem secundum praecipua rerum politicarum: altero secundum exempla. Praecipua sumuntur ex Aristotele, exemplo ex historia sacra, atque ex profana. Praecipua autem Aristotelis sunt ea, quae ab eo traduntur in libris Politicorum; Quoniam tamen non omnia, quae in ijs libris traduntur, negotio D. Thomae conducebant, idcirco ex illis tantummodo libris assumuntur, quae pro eius fundamentis fideliter iaciendis opportuna videbantur. Nam ea, quae traduntur

D. Tho. de
Reg. Prin.
l. 2. cap. 8.
& 9.
Partes re-
ctae Reip.

Partes de-
prauatae
Reip.

ducentur ab Aristotele libro octauo, nonnulla etiam libro septimo; & pauca libro primo, committantur ab D. Thomae; quia non spectant ad Regimen Principum. Reliqua ita ad amussim, & referuntur, & explicantur, ut longè clariora, & meliora appareant in his quatuor libris de Regimine Principum, quam apud Aristotelem. Hoc quoque in his animaduertitur, quod plurima Aristotelis praecipua referuntur in his libris iisdem formae verbis, quibus illius commentarijs Aristotelem enodauit. Sunt autem huius generis complura, quae, cum a me fuerint sepius collata propter meam utilitatem, etiam referretur a me hoc loco, nisi fastidium ijs, qui lecturi sunt, asserrem; sed satis est ea commemorasse, ut quisque per se videre, & contueri possit. Exempla vero duorum generum sunt, sacra vna, profana altera. Profana primum inferuntur omnia, quae sunt apud Aristotelem, ordoque doctrinae in hoc ille idem seruetur, qui est apud Aristotelem: sed quoniam plura contigerunt post Aristotelem, quae maximè faciunt ad propositum, idcirco eorum omnium exempla adducuntur, atque Romanorum in primis; fama enim eorum iam per totum orbem terrarum peruaseras. Neque vlla in hoc historia omittitur, quae praecipua tradita ab Aristotele probare possit esse vera, neque vilo modo posse perverti. Verumtamen, quoniam res est inter eos, qui a Christiano fonte ortum ducunt, nihil etiam omittit eorum, quae in testamento tum veteri, tum nouo gesta fuisse reperiuntur, ut comprobet eam esse veram, ac perfectam regiminis formam, quae Christiano splendore fuerit decorata. Atque in hoc vno tantus est, tamque fecundus, ac copiosus, ut summum ijs, quae dixerat Aristoteles lumen, atque splendorem afferat. Hic autem dirigendae Reip. modus tantopere profundus est, tantamque redolent doctrinam, disciplinam, ac peritiam, ut non solum rectissime, sed perfectissime instruat lectorem, sed etiam summam eius, qui scribit, ostendat eruditionem. Quamobrem in hac parte mihi maximè videntur hallucinari ijs, qui maiorem in his libris doctrinae profunditatem desiderarent, quo illi ab suo auctore non submouerentur; profundius enim doctius, & enucleatius, haud existimo materiam eius-

Arist.

Excellētia
doctrinae
lib. de Re-
gim. Prin.

Excellētia
doctrinae
lib. de Re-
gim. Prin.

eiusmodi potuisse explicari. Præterea, quatenus dicuntur
 doctrinam longè profundiorē esse eam, quæ in summa
 splendescere cernitur, nihil allaboro; non enim hoc pos-
 sum, neq; deo inficiari. Nam materię, quæ tractantur
 in summa, longè maiorem exposcunt subtilitatem, & per-
 spicuitatem, quam faciunt eę, quæ in his libris explican-
 tur. Illa sunt vel Theologica, vel in via, vel in ordine ad
 Theologiam. In prima namq; parte de Deo, de Angelis,
 de Anima, de ipso homine, ac totius mundi opificio copiose,
 ac distinctè agit; in secunda parte, quæ continet pri-
 mam secundæ, & secundam secundæ, ab homine iterum
 exordiens humanas perturbationes omnes, earumq; ortus,
 & progressus, simulq; virtutes, quæ curare vitia, & pertur-
 bationes moderari possint, tam ex prophanis, quam sacris
 authoribus diligentissimè prosequitur; in tertia de autho-
 re gratiæ, qui Christus est, & de Sacramentis. Hæc autem
 omnia cuncta rerum vbertate peragit, ut ratione, pondere,
 & aumero sententiarum, atq; verborum plurimum nobis
 admirationis pariat. Multitudine verò rationum, dog-
 matum, atq; institutorum diuinus omnino, ut est, esse vi-
 detur; largiori enim venas, quam ceteri omnes eam Græci,
 quam Latini Theologiam nobis, ac doctrinam quasi om-
 nigenam tradidit. In his verò libris de Regimine Principum
 Politica materies pertractatur, quæ magis sensibus
 subiecta est, quæq; tota ex ratione primum, ac postea ex
 actibus humanis, atq; experientia deducitur, & ita esse
 terminandam ex ijs, quæ contigerunt, comprobatur. Pro-
 inde eam exquirat felicitatē, quæ humana est, quæq; ope-
 ratio animæ esse dicitur in vita perfectā; verus enim legit-
 timusq; rector nihil aliud curat, quam Ciues, & subditos
 suos facere quam beatissimos. Ad id verò facilius, quam
 fieri possit, efficiendum, ea omnia parat instrumenta, quæ
 non solum submoueant impedimenta omnia, sed etiam ap-
 tē, & congruē vitam humanam instituant, & in perenni
 beatitate confirmant. Quapropter sine dubitatione hi li-
 bri differunt a Theologicis, atq; propterea etiam modus
 vtriusq; tam diuersus est, quam quod diuersissimum; qui-
 nimo eadem regimini genera iisdem quoq; verbis con-
 cipit

Perfectio
 doctrinæ
 D. Thomæ
 in summa.

cipit in summa, quibus conceperat in his libris de Regi-
 mine Principum, nempe Monarchiam, Tyrannidem, Ari-
 stocratiam, Oligarchiam, Democratiam, & plebis priu-
 cipatum. Neq; mirum; quia utroq; loco ostendit se Aristo-
 telem sequi; qui multò ante eodem modo illa distinxerat.
 In his etiam omnibus, quæ in utroq; loco tractata sunt, tan-
 ta apparet dictorum concordia, & similitudo, ut perspicue
 eadem quoq; verba agnoscantur, distinguuntur in libris de
 Regimine Principum; Dominium, illudq; esse dicit, aliud
 Politicum, aliud Despoticum, eodem utitur distinguendi
 modo, etiam in summa. Dum enim mouisset dubitatio-
 nem, quomodo anima corpori, & intellectus, suæ ratio
 appetitui dominarentur, dixit animam dominari corpo-
 ri principatu despotico; intellectum verò appetitui princi-
 patu politico. Nam, quemadmodum corporis membra in
 nullo resistere possunt imperio animæ, sed statim ad appe-
 titum animæ mouetur manus, & pes, & quodlibet aliud
 membrum, quod natum sit moueri voluntario motu, ita
 intellectus, seu ratio dicitur dominari irascibili, & concu-
 piscibili politico principatu; quia appetitus sentiens habet
 aliquod proprium, unde potest resistere imperio rationis.
 Si quoq; vtrumq; opus attentè legatur, sine dubitatione ani-
 maduertetur plurima eidem Sancto Doctore verba adeo
 fuisse familiaria, ut eadem, tam in vno, quam etiam in al-
 tero opere cognoscantur sæpè usurpata. Et præter alia, hoc
 vnum verbum, principari, inuenitur sæpissimè ab eo repe-
 titum. Atq; ex hoc tantum absq; vlla hesitatione vnus-
 quisq; etiam in litteris mediocriter, versatus pro certo af-
 firmaret vtrumq; opus ad vnum tantum authorem esse re-
 ferendum. Præterea, si hoc argumentum esset verum, quod
 hi libri non essent D. Thomæ, quia differunt a modo docen-
 di, qui est in summa, illud sine dubitatione efficeretur,
 quod nec etiam libri Politicorum, qui circumferuntur sub
 nomine Aristotelis, essent Aristotelis; tam enim differt
 modus ab Aristotele seruatus in politicis ab eo, quem ser-
 uat in reliqua philosophia, ut nihil magis. Nihilominus
 communi omnium Philosophorum consensu, iam compro-
 batum est eos libros profusè ad Aristotelem pertinere. His

D. Thomæ
 q. 50. a. 1.
 & de Reg-
 Prin. lib. 2.
 c. 8. 9.
 Arist. Po-
 lit. lib. 3.
 c. 8. 9.
 D. Tho. de
 Reg. Prin.
 lib. 1. c. 8.
 9. D. Tho.
 in 1. p. sum.
 q. 81. a. 3.

D. Tho. de
Reg. Prin.
lib. 4. c. 18.

D. Tho. in
proemio li-
bror. de
Reg. Prin.

Secunda so-
lutio pri-
mæ obic-
tionis.

D. Tho. de
Reg. Prin.
l. 3. c. 12.

omnibus de causis inquit idem D. Thomas; *Sed hæc, quæ dicta sunt sub compendio ad præsens sufficiant, quantum pertinet ad politia tractatum; & paulo post subdit: Quæ iure philosophus eundem modum tenet. Addendum quoque illud est, quod idem D. Thomas se hunc eundem ordinem velle tenere in proemio his verbis attestatus est: Cogitanti mihi, quid offerem Regiæ Celsitudini dignum, meaque professioni congruum, & officio, id occurrit potissimè offerendum, ut Regi librum de regno conscriberem, in quo, & regni originem, & ea, quæ ad Regis officium pertinent secundum scripturæ diuinæ auctoritatem; Philosophorum dogma, & exempla laudatorum principum diligenter depromerem iuxta ingenij proprii facultatem, principum, progressum, & consummationem operis ex illius expectans auxilio, qui est Rex Regum, & Dominus Dominatum; per quem Reges regnant; Deus magnus, Dominus, & Rex magnus super omnes Deos. Quæ omnia, & qui modus dicendi est D. Thomæ per quam familiaris; in omnibus enim ferè operibus ita, vel exorditur, vel terminat sermonem.*

Secundò loco causam meam maximè adiuuare potest, quod scribit ad Regem; Principem equidem Christianum, ac maximè pium, sed tamen ita ignarum, ac rudem, ut altiores, ac profundiores quæstiones, quæ potuissent in eiusmodi materia excitari, haud vnquam fuisset intellecturus. Quamobrem ea potius, quæ usu, & consuetudine essent comprobata, referenda videbantur, quam quæ in ipsis intellectibus, & in speculatione rerû essent posita; aliàs enim nullam ei utilitatem, nullam commoditatè nullumque usum attulisset. Erat autem is Princeps Americus Lusignanus; qui post millesimum, ac ducentesimum à Christo nato annum Guido Lusignano Fratri in regnum successerat; primusque fuit, qui à Pontifice Romano Regis titulum obtinuerit. Sed quæso, quis alius ausus fuisset præter virum tantum, Sanctum quicquam pronunciare aduersus Principes Italos; qui tunc supremum in Italia principatum sibi vendicauerunt. Vbi enim de Monarchia Assyriorum, Medorum, ac Persarum, Græcorum, ac Romanorum egisset, ostendissetque Monarchiam Assyriorû, cuius caput fuit Ninus, tempore Abrahæ perdurasse annos 1240, usque ad Sardanapa-

lum;

lum; qui propter muliebres libidines amisit principatum; Arborem transfuisse ad Medos, ac Persas, quo tempore regnabat Procas Rex Albanorum; Monarchiam verò Medorum, ac Persarum perdurasse usque ad tempora Alexandri annos 233. vbi Darius ab eo victus est, Monarchiam Græcorum in Alexandro cepisse, & in eodem fuisse terminatam; regnasseque eundem Alexandrum annos 12, ac postea obiisse; atque quamuis Græci Vniuersale Dominium non habuerint, tamen viguisse regnum Macedonum usque ad mortem Alexandri annis 485. Monarchiam demum Romanorum ad omnes mundi plagas fuisse diffusam, postea descendit in hæc verba: *In partibus Liguriæ, Aemiliæ, & Flauiniæ, quæ hodie Lombardia vocatur, nullus principatum habere potest perpetuum, nisi per viam Tyrannicam, Duce Venetiarum excepto; qui tamen temperatum habet regimen, Sancti dumtaxat viri hæc audent effari; dixit enim Cicero cauendum esse, ne quid dicatur contra potentes; illi verò non exhorrent vitia publicè coarguere pro nomine Christi; qui est ipsa veritas, & audent obturare ora leonum; quæ cæteri ne conspicerent quidem possent sustinere.*

D. Tho. de
Reg. Prin.
lib. 4. c. 8.

Solutio secunda oppositionis.

Secunda autem ratio, quod videatur superfluum hoc Opusculum, cum apud Aristotelem in libris Politicorum satis multa dixerit de generibus Regiminum, nihil concludit, neque quicquam probat aduersus ea, quæ iam in superioribus à nobis dicta fuere. Nam, si etiam sexcentis locis has materias politicas pertractasset, tamen adhuc hoc Opusculum non esset superuacaneum, idque efficeretur, non solum, quod diuerso modo res esset tractata, sed etiam, quod materia politice, quia ex humanis actibus, qui sunt propè infiniti, omnem habent virtutem, nunquam satis clare, ac perspicue tractari possent. Certissimum quoque est modum, ac methodum D. Thomæ apud Aristotelem adeò esse diuersum ab eo, quem tenuit in hoc Opusculo, ut nihil videantur, quo ad rationem scribendi, habere commune. Sed hoc nihil mirum; in hoc enim Opusculo instruit

Prin-

Principem, docetq; quid seruire debeat in regimine popu-
 lorum; sed apud Aristotelem nihil aliud attē auit, quā
 ut Aristotelis mentem explicaret. Propterea neq; alia ad-
 ducit exempla, neq; alias exquirat rationes, præter eas, que
 in eodem codice sunt, sed mentem tantū Aristotelis cla-
 borat notam facere. Præterea, si adhuc superuacuum
 esset hoc opus propter Commentaria Politica, etiam su-
 peruacanea essent plurima alia eiusdem Sancti Doctoris
 opera: Nam Opuscula illa, contra errores Græcorum, con-
 tra Græcos, Armenos, ac Saracenos, Compendium Theo-
 logiæ, de Decem præceptis, de Articulis fidei, de Ecclesiæ
 Sacramentis, de Natura verbi, de Angelis, atq; alia com-
 plura, que circumferuntur, essent hac ratione omnino re-
 secanda, quia latissimè, ac fufissimè in summa illa omnia
 pertractata sunt, que in Opusculis discutuntur. Idem
 quoq; esset dicendum de quæstionibus disputatis, ac de
 quolibetis, secus tamen faciendum præcipiunt doctiores.
 Quæstiones enim huiusmodi, quo magis agitantur, eo quo-
 que magis splendescunt. Propterea etiam hæc omnia opu-
 scula tantum apud peritiores habent fidei quātum ea om-
 nia, que in summa continentur. Hoc idem dicendum es-
 set de Aristotele: Rethoricorum libri ad Alexandrum, ut
 iam dictum est, essent superflui; quia extant libri Rethori-
 corum ad Theodectum; libri etiam Moralium Eudemio-
 rum erunt inuiles, quia extant libri Ethicorum ad Nico-
 machum. Videtur profectò hoc argumentum non solū
 nimis leue, aridum, & nugatorium, sed etiam nullius vir-
 tutis, ac ponderis; propterea nec etiam debet in aliqua ha-
 beri consideratione. Itaq; doctissimi cum sint hi quatuor
 libri de Regimine Principum, cumq; summa felicitate, ac
 facilitate, sed subtiliter, profundè, ac summo iudicio, &
 studio scripti, cari omnibus haberi debent, & summo in
 precio, atq; æstimatione teneri; volutandiq; diurna, atq;
 nocturna manu, ne frustra, atq; inutiliter ad nos transmi-
 ti, atq; amandati fuisse videantur. Authorem quoq; ge-
 stare debent in fronte D. Thomam, Doctorem maximum,
 & Philosophum eminentissimum, & qui pro suis maximis
 immortalibusque in Rempublicam Christianam meritis

Arist.

eter-

eternum sibi locum in altera vita comparauit, vbi Beati
 sempiterno fruuntur æuo. Hæc prædictus Dominus Seba-
 stianus Maccius in suo primo libro de Historia Liuiana.

Quarta Dubitatio.

De Commentarijs in Genesim.

Quarta Dubitatio. est de Commentarijs, siue postillis
 in Genesim. Nam S. Antonius in 3. parte summe
 historialis titulo 18. cap. 10. §. 20. in fine, præmis-
 so Catalogo scriptorum D. Thomæ, subiungit: *Ex his pa-
 tet, quod postilla super Genesim, & Ecclesiasten, quas vidi sibi
 intitulatas, &c. non sunt eius; cum non connumerentur inter su-
 pradictos.* Cuius sententiam sequitur Sixtus Senensis libro
 quarto Bibliothecæ Sæctæ sub verbo *Thomas Aquinas*. Viel-
 mius, & Flaminus de hoc opere nihil loquuntur. Bellar-
 minus nihil audet definire, dicens se nunquam hoc opus
 vidisse, & ait Antonium Senensem in Bibliotheca Ordinis
 Prædicatorum asserere, opus illud in Genesim à S. Anto-
 nino rei jci, quod tunc extabat; non autem illud, quod nu-
 per inuentum, & editum est. Castilius in sua historia D.
 Dominici parte prima libro 3. cap. 30. ait illud in Gene-
 sim opus, quod communiter legitur sub nomine D. Thomæ,
 esse Thomæ Anglici, & errore impressorum factum esse, ut
 pro Thoma Doctore Anglico posuerint in inscriptione
 Thomam Doctorem Angelicum; Ioannes Michael Plodius
 paulò latius, ac dilucidius respondet propositæ dubitatio-
 ni in sua secunda parte de hominibus illustribus Ordinis
 Prædicatorum, parte secunda, libro primo, sub anno 1164.
 dicens, falsò ascribi D. Thomæ commentarium illud in
 Genesim, quod incipit: *Non recedet*, cum sit opus dicti
 Thomæ Anglici; sed aliud, quod antiquis valde characteri-
 bus scriptum inuentum fuit in Flandria, siue Belgio, apud
 minoritas in Villa Vulexion, & Antuerpiæ nouè datum est
 impressioni à Patre Antonio Senesio Lusitano, anno 1572.
 & dedicatum Duci Medinæ, ac postea impressum Lugdu-
 ni, & Parisijs, forsitan (inquit) est D. Thomæ, cum non-

S. Antoni-
nus.

Sixtus Sen.

Vielmius.
Flaminus.
Bellarmus.

Castilius.

Plodius.

D

uni-

nullam habeat in stylo similitudinem cum alijs eius operibus, & ex multis scriptoribus quasi certum habeatur, ipsum in Genesim scripsisse Commentaria: cui sententia ut valde probabili; quia ratione, & auctoritatibus nititur, subscribendum puto.

Quinta Dubitatio.

De expositione libri, qui dicitur Ecclesiastes.

Quinta Dubitatio est de expositione, siue, ut aiunt, Postilla in Ecclesiasten; quae anno praeterito ad manus meas manuscripta peruenit, & ut audiui, extracta fuit ab antiquo, exemplari, quod Senis in Conuentu nostro S. Dominici asseruatur.

Hanc S. Antoninus loco supra notato negat esse D. Thomae, eo quod in Catalogo ab eo ex antiquioribus collecto non contineatur; quae, ratio, licet aliquid habeat probabilitatis, non est tamen sola sufficiens ad inducendum in animum viri prudentis, ut credat opus illud non esse D. Thomae; cum praesertim nomen eius habeat in fine descriptum; hoc modo: Expliciunt postillae Beatissimi Thomae de Aquino Ordinis Fratrum Praedicatorum super Ecclesiasten; Cui in exemplari nostro addita est attestatio, seu iudicium Patris Fratris Thomae Boninignij Sacrae Theologiae professoris in haec verba: Expositionem hanc supra scriptam valde pulchram, atque utilem censet Frater Thomas Boninignus Sacrae Theologiae professor, & redolet fati phrasim, stylum, & modum exponendi, quo in suis libris utitur D. Thomas de Aquino, ut credi possit suam tanti Doctoris esse interpretationem. Ego, postquam illud opus diligenter consideravi, in eandem sententiam veni; in quam etiam conuenerunt nonnulli doctissimi patres, quibus Romae a Reuerendissimo nostro Generali Nicolao Rodolpho fuit operis huius censura demandata; Quare non immerito videtur hoc opus ceteris Angelici nostri Doctoris operibus annumerandum, licet nulli Catalogo operum D. Thomae inueniatur insertum.

Nec

Nec obstat, quod S. Antoninus loco supra notato neget praedictum opus esse D. Thomae ob dictam causam, quod scilicet in antiquo Catalogo Operum eius non contineatur; haec enim ratio nullius, aut parui videtur esse momenti; Cum post Catalogum D. Antonini, & alios eo priores multa S. D. opera diu tenebris obuoluta in lucem prodierint, & a viris doctissimis ut eius legitime lucubrationes fuerint approbata, & ceteris eiusdem operibus annumerata; ut patet de scriptis in quatuor libros sententiarum ad Anibaldum, de Commentarijs in libros Perierhermenias, in libros de Coelo, & Mundo, & alijs pluribus, quae in solis recentiorum Catalogis supra diximus contineri.

Sexta Dubitatio.

De Commentarijs in Isaiam, Hieremiam, & Threnos.

Sexta Dubitatio est de Commentarijs in Isaiam, Hieremiam, & Threnos, de quibus Sixtus Senensis in dicto libro quarto sic loquitur: Fertur ad haec postilla in Isaiam cuius initium est: *Scribe visum, & explana, &c.* quam plerique ob eruditionis inopiam ipsius non esse arbitrantur. Lyranus ex eius dictis a studioso quopiam asserit concinnatam. Extat & in Hieremiam, & Threnos postilla; cuius initium est: *Hic est fratrum amator, & populi.* Quae propter doctrinae sterilitatem, eius non esse creditur. Castillius loco supra notato narrat D. Thomam scripsisse Commentaria in Isaiam, & Hieremiam, non tamen ea esse, quae sub eius nomine sunt impressa; sed eorum auctorem esse Fratrem Thomam Anglicum; cuius sententiam refert, & sequitur Plodius in supra dicta parte secunda, libro primo. Si tamen Antoninus in supra allegato capite decimo dicta Commentaria recenset inter opera D. Thomae; dicens D. Thomam, cum in expositione quorundam verborum Isaiae difficultatem anxietur, post orationes, & lacrimas a Sanctis Apostolis Petro, & Paulo illi visibiliter apparentibus instrui meruisse: Vielmus Flaminus, &

Sixt. Sen.

Castillius.

Plodius.
S. Antoninus.

Vielmus:
Flaminus.

Garzo. Garzo eadem Commentaria inter cetera connumerant Angelici nostri Doctoris volumina. Nam Vielmius pagina 51. de Commentarijs in Isaiam hæc habet: Sunt autem non contemnendi authores, qui lucubrations eius in Isaiam præ reliquis hisce suspiciunt (hæc nimirum, quæ scripsit, in Hieremiam, Threnos, & Cantica) semelq; Petrum, & Paulum primarios Apostolos abstrusioris cuiusdam loci referatores habuisse scribunt. Quam sententiam secutus est Bellarminus loco supra notato: Quibus assentiendum arbitror iuxta præfixas quatuor regulas, præsertim autem secundam. Eruditionis autem inopiam, & sterilitatem, quam dictis operibus obijcit Sixtus, non video, sed eundem, stylum, formam, ac modum in dictorum prophetarum expositione seruatum agnosco; quo in exponendis cæteris diuinis scripturis, tam veteris, quam noui testamenti semper usus est, cum admirabili scientia diuinarum scripturarum; quam instar rapidi fluminis velut aquam perenniter effluentem in singularum sententiarum, aut etiam verborum expositione diffundit. Quod autem ait Castilius ea, quæ nunc circumferuntur Commentaria, non esse Diui Thomæ, ea verò quæ scripsit, perijisse, vel adhuc in tenebris latitare, magis ridiculum est, quam fide dignum; tum quia solido caret fundamento, tum etiam, quia ea, quæ scripserat S. Doctor ob eximiam illius apud omnes opinionem, & auctoritatem facilius conseruari, & euulgari potuissent, quam alterius auctoris opera sub eius nomine publicari, & illius esse communiter credi.

Septima Dubitatio.

De Commentarijs in Mattheum.

Vielmius.

Septima Dubitatio est de Commentarijs in Mattheum de quibus Vielmius lib. 2. de scriptis D. Thomæ pagina 52. sic loquitur. Circumferuntur iam verò in Mattheum quoq; & in Epistolas septem, quas Canonicas vocant atq; postremo in Apocalipsim Commentarij, siue expositiones eius nomini inscriptæ; quarum aliquot quaterniones, earum, scilicet quæ

quæ in Mattheum; ego adolescens, cum Verona in canobio S. Anastasia religioni, & litteris operam darem, deprehendi esse Fratris Petri Scaligeri Ordinis nostri, & Veronensis Episcopi; cuius scripta in communi Bibliotheca seruabantur: & paulo post repetundarum velut reum Magistrum nostrum, & præceptorum meum Fratrem Bartholomeum Spinam; qui id opus primus omnium typis in vulgus dederat; quod lectori factum non indicasset, admonui: Reliqui verò, quos iam enumerabam, nec stylo, nec diligentia, cum alijs eius viri Commentarijs conferri possant, nec sunt à Sæclatoribus alumnisq; Thomæ antiquioribus agniti; ut pluribus coniecturis eas vel non esse factas Aquinatis nostri hæsitare liceat, vel certè eundem supernam manum illis non imposuisse. Hæc ibi Vielmius. Hoc tamen opus S. Antoninus enumerat inter opera D. Thomæ; dicens: Lecturam quoque scripsit super Mattheum, quæ defectiua est: dicitur eam reportasse Frater Petrus de Adria: hæc illè. Cui magis credendum est, quam Vielmio, qui scripsit anno 1564. cum præsertim Castilius narrationem S. Antonini (licet eius supresso nomine) ad verbum afferat libro 3. Idem opus cæteris Angelici nostri Doctoris operibus annumerant Sixtus Senensis, Flaminius, Garzo, Plodius, Bellarminus, & alij, quibus adde Bartholomeum Spinam ex Vielmio.

Octaua Dubitatio.

De expositione in Epistolas Canonicas.

Octaua dubitatio est de postilla, siue expositione in Epistolas Canonicas; de qua Plodius ait: eam à nomine reputari opus esse D. Thomæ. Sed tamen Sixtus Senensis libro quarto, Vielmius loco supra notato, Castilius in sæpe allegato libro tertio primæ partis historiæ S. Dominici, & Bellarminus opus hoc tribuunt D. Thomæ. De quo postremus hic suum ita profert iudicium: Commentaria verò in Epistolas Canonicas videntur mihi erudita, & digna ingenio S. Thomæ; præsertim cum in ijs seruetur stylus, & modus procedendi S. Thomæ. Neque obstat, quòd in editione Romana hoc opus non reuocetur; siquidem eo tempore hoc opus

S. Antoninus.

Castilius.

Sixtus Senensis.

Flaminius.

Garzo.

Plodius.

Bellarminus.

Spinam.

Plodius.

Sixt. Sen.

Vielmius.

Castilius.

Bellarminus.

nusquam inueniebatur, & primam in lucem prodijt Antuerpia anno 1592. Hæc ille: Quam etiam ob causam non ponitur ab antiquioribus in Catalogo operum D. Thomæ.

Nona Dubitatio.

De Postilla in Apocalipsim.

S. Antoni-
nus.
Bellarmi-
nus.

Nona Dubitatio est de Postilla in Apocalipsim, quam nec S. Antoninus, nec Bellarminus recensent inter opera D. Thomæ, & omnes alij suprahominati, vno duntaxat excepto Senensi, negant esse D. Thomæ; Quibus assentiendum arbitror, licet opus illud hæctenus à me nullo visum fuerit.

Decima Dubitatio.

De Opusculo 58.

Decima Dubitatio est de Opusculo 58. Cuius inscriptio est: *De venerabili Sacramento Altaris*, Initium autem est: *Venite comedite panem meum*, quod reassumitur, in omnibus ferè sequentibus capitibus Opusculi iam dicti; proponitur autem hoc Opusculum, vt partus Angelici Doctoris indubitatus, cum maioribus sit caracteribus impressum: sed plures Magistres quidam ex nostris doctissimus, non leue mihi scrupulum ingessit, affirmans cum inramento, se Opusculum illud vidisse impressum sub nomine Alberti Magni; Satis verò probabile est tantum Magistri discipulum inter sua scripta nonnullos eiusdem sui Magistri tractatus habuisse; qui post mortem Angelici Doctoris, & Alberti, sub illius, non autem sub huius nomine fuerint euulgati; eo quod authoris proprii nomen inscriptum non haberent, & doctrinæ profunditate, ac stylo, & modo docendi, à cæteris D. Thomæ proprijs, & indubitatis non essent valde dissimiles. De hac difficultate nihil audeo definire; spero namq; impressionem Operum omnium Alberti Magni Colonie præteritis annis inchoatam

post

post aliquot paucos annos esse complendam, & ex ea propositam difficultatem esse terminandam.

Vndecima Dubitatio.

De Opusculo 68.

Vndecima Dubitatio est, De Opusculo 68. quod incipit: *Quia quasisti à me*; & agit de modo aquirendi scientiam, & est impressum minoribus caracteribus, sicq; eū alijs incertis Sancti Doctoris operibus computatum: sed re, de qua ibidem agitur, & persona, ad quam dirigitur, considerata, semper existimaui Opusculum illud breuissimum esse D. Thomæ; eius enim materia est instructio ad aquirendam scientiam; in qua tradenda summa, ac mira breuitate, sibiq; consueta styli grauitate, & claritate, ex ditissimis prudentiæ sibi diuinitus infusæ Thesauris vniuersa complectitur, quæ studiosi adolescentis, quem instruebat, in scientiæ acquisitione profectum promouere, aut retardare posse videbantur; & quia familiarem scribebat Epistolam, qua petitioni iam bene dispositi adolescentis satisfaceret, non est in ea scriptura requirenda profunda, aut proluxa de scientiæ acquisitione, aut aquirendi modo disputatio; sed potius admiranda sunt in ea doctrinæ perfectio, breuitas, & claritas, præcellens Angelici Doctoris prudentiæ eximie charitati coniuncta. Vnde etiam Bartholomeus à Medina dictum Opusculum iussit imprimi ante suam expositionem in tertiam partem D. Thomæ, æstimans Diuinam illam instructionem omnibus ad scientiæ, præsertim Sacræ Theologiæ acquisitionem, esse quàm maximè necessariam, nec ab alio, quàm à D. Thomæ, cuius nomen habet inscriptum, fuisse compositam.

Medina.

Duodecima Dubitatio.

De Commentarijs in Metaphysicam.

Vltima Dubitatio est, De Commentarijs S. Doctoris in Metaphysicam Aristotelis: De quibus Prosper Resta à Tallacotio Franciscanus Cōuentualis, qui

D 4

anno

anno 1572. curavit imprimi expositionem in Metaphysicam Aristotelis sub nomine Alexandri de Ales, satis temere aulus est affirmare tam in titulo dicti libri, quam in eiusdem præfatione, D. Thomam ex dicta expositione totam ferè suorum Commentariorum doctrinam accepisse dicens bonos Philosophos facile deprehensuros, quid in exponendis Metaphysicis ex propria officina addiderit D. Thomas Aquinas; addens etiam Ioannem Duns Scotum iude subtiliores Logicas, ac Philosophiæ conceptus hausisse.

Aquarius.

Sed hæc imposturam rejicit efficaciter Matthias Aquarius in ultima sua dilucidatione Metaphysicali dicens expositionem illam esse cuiusdam Alexandri de Alexandria Ordinis Minorum; qui floruit anno 1310. Primo: Quia scriptura originalis dictæ expositionis servatur Venetijs in Bibliotheca Clarissimi D. Francisci Venerij cum inscriptione dicti Fratris Alexandri de Alexandria, quam idem Dominus Venerius ostendit R. P. Fratri Thomæ Peregrino quondam Metaphysico Patavino viro doctissimo. Secundo: Quoniam, ut idem Aquarius ait, author quidam in sua Bibliotheca dictam expositionem tribuit Alexandro de Alexandria, qui posterior fuit D. Thomæ annis circiter sexaginta: Nam D. Thomas floruit anno 1248. ille verò claruit anno 1310. ut ante dictum est: Tertio: Quia expositio illa meliorem habet textum eo, quem exponit S. Thomas; si ergo S. Doctor in suorum Commentariorum doctrinam accepisset, certe textum etiam illum longè meliorem in suum volumen transferre debuisset. Quarto: Quia dicitur expositio lib. 6. probans divinam providentiam ad omnia etiam minima extendi utitur eodem discursu, & eisdem ferè verbis, quibus utitur S. Doctor ad idem probandum in prima parte quest. 22. art. 2. Cū igitur discursus ille phrasim habeat D. Thomæ consuetam ab authoris prædicti phrasi longè diuersam, probabile valde est, authorem illum ex dicto articulo discursum D. Thomæ in suam expositionem transtulisse.

His adde accidere facile potuisse, ut in inscriptione prædictæ expositionis Metaphysicalis nomē authoris sic scriptum esset: Alexandri de Alex. quod à prædicto Prospero fuerit

rit

rit acceptum loco nominis Alexandri de Ales, Doctoris celeberrimi; cum præsertim opus illud insignem authoris præferat eruditionem tanto Doctore non indignam. Sed præterea, collato S. Doctoris Commentario cum prædicta expositione, vir doctus, & prudens facile cognoscat, hanc ex illo veluti doctrinæ pincta siue (ut aiunt) motius breviter indicante, additis explicationibus, & dubitationibus fuisse desumptam, eo ferè modo, quo Aegidius Romanus D. Thomæ discipulus sua in Philosophiam Commentaria ex sui Magistri Commentarijs summa breuitate multa significantibus ingeniosè deduxit, additis paucis utilissimis annotationibus, & subtilissimis dubitationibus D. Thomæ doctrinam explicantibus; Ordo siquidem doctrinæ naturalis est, ut ea, quæ ab antiquis admirabilis sapientiæ viris acceptimus, quasi nec dum plene, & exacte formata, subtili quadam, ac diligenti contemplatione, & explicatione quodammodo pulchriora, ac splendidiora, & altiora reddamus. Nec ob id tamen exillimandum est Doctores iuniores veteribus esse maiores, sunt enim veluti paruuli gigantum humeris impositi, qui eorum proceritate eleuari altius attingunt: Vnde gratiæ maiores semper habendæ sunt primis inuentoribus; facile enim est inuentis addere, & cognita scientifica demonstratione veritatem latius explicare, & subtilitate discursus altius eleuare, ac orationis elegantia decorare.

Deniq; Sixtus Senensis lib. 4. suæ Bibliothecæ, & Bellarminus de scriptoribus Ecclesiasticis recedentes opera Alexandri Alesensis nihil de expositione Metaphysica meminerunt; cum tamen Bellarminus multis annis post impressam illam sub nomine Alesensis expositionem, scripserit, & ediderit opus de scriptoribus Ecclesiasticis; in quo dictam expositionem recensere debuisset inter eximij illius Doctoris opera, si partem eius legitimam esse credidisset.

Egidius.

Sixt. Sen.

Anno

*Annotationes circa alia plura scripta præferentia
nomen D. Thomæ.*Vielmius.
1. annotat.

Aduerte præterea ex Vielmio pagina 54. eius tempo-
re publicatos fuisse sub nomine D. Thomæ quosdã
Commentarios in librum Boetij de Consolatione;
de quibus idem Vielmius suum ferens iudicium ait: At ve-
rò qui in librum Boetij de Consolatione Commentarijs
eius nomine inscribuntur, D. Thomæ non sunt, sed alicuius
Dominicani; vt ego ante annos viginti in Cydonienũ mo-
nasterio vetustum nactus codicem (nominis quãquam au-
thoris oblitus, & patriæ) me legisse recordor, & stylus om-
nino consentit. Cum enim (inquit) vel sectatorum quo-
rundam Thomæ inepto iudicio, ac imprudenti in illum
amore, vel, quod libentius malle, cum sanctitatis exi-
miæ, ac incomparabilis doctrinæ eius fama totum orbem
peruasisset, omnibusq; in locis personaret, authoritasque
summa haberetur, & nullus esset aut secularibus, aut diui-
nis litteris præditus, qui scripta illius (modo cadidus æsti-
mator esset) charissima non haberet, ac vndiq; conquista,
museum suum, aut bibliothecam tanto authore di-
taturus, quouis insigni precio non emerget, contigit, vt fœ-
tus multorum aucthorum Aquinati supponerentur, vigi-
liasq; & labores eorum Thomæ mundus acceptos ferret.
Quod Aristoteli quoq; emanasse, cum celeberrimam Ptole-
meus Bibliothecam institueret; scriptores pleriq; omnes ce-
stantur: Flumina nimirum ad mare properant; Sed execra-
bilis est, quod nequam, & scelesti homines quidam, vel
ad Thomæ auctoritatem eleuandam (quod videlicet alibi
docuisse aliter, & contrarium pateret) vel, vt ego quidem
arbitror, ad suam eorum aliquam opinionem, quæ in con-
trouerfiam verti soleat, tanti viri testimonio fulciendam,
& comprobendam egerunt. Nam eius scriptis alicubi
pseudo quædam inferuerunt, & publico ego iudicio Vene-
tij typographos olim conueni; & alibi rem totam pando.
Hæc ibi Vielmius: Quæ hic inferere placuit ad eorum cau-
telam.

telam, qui tanti Magistri doctrina, & librorum eius lectio-
ne delectantur.

Aduerte secundo in impressione Romana legitima S. 2. annotat.
Doctoris Opuscula maioribus, cætera verò, quæ spuria, aut
dubia reputata sunt, minoribus characteribus fuisse defi-
gnata, vt ante dictum est; Hæc verò, nimirum spuria, vel
dubia sunt: Nonum, trigessimum secundum, quadragesi-
mum secundum, & sequentes vsq; ad 56. inclusiue, & 59.
cum sequentibus vsq; ad 68. inclusiue, & 71. cum duobus
sequentibus; quæ sunt numero triginta. Reliqua verò le-
gitima sunt numero 43. maioribus, vt dixi, characteribus
impressa; præter quæ sunt ea, quæ nec à D. Antonino, nec
ab alijs antiquioribus cognita sunt, de quibus supra di-
ctum est.

Postremò scito quædam singularia ex D. Antonino. Pri-
mum est; de secundo quodam scripto in primum senten-
tiarum; sic enim ait loco supra notato. Cum post tres annos
fui Magister venisset (S. Thomas) in Italiam tempore Urbani
Papæ; scripsit iterum super primum sententiarum, sicut testatur
in Cronica sua D. Frater Tholomeus Episcopus Torcellanus; qui
ex discipulis eius fuit, & auditor, asserens se vidisse scriptum il-
lud in Conuentu Luciano; quod tamen nunc non inuenitur; quia
olim ablatum fuisse creditur, & ideo non fuit multiplicatum.
Secundum est, quod post pauca ibidem subiungit dicens:
Fertur quoq; fuisse expositionem super Euangeliâ Dominicalia;
quæ vix, aut rarissime inuenitur. Ego credo me vidisse, sed mi-
hi videtur excerpta ex prædicto opere super Euangeliâ quatuor.
Tertium est, quod paucis interiectis adiungit dicens: Scrip-
sit quoq; postillum super Euangeliâ Ioannis maxime super quinque
capita, stylo proprio; Residuum dicitur reportasse Frater Raynal-
dus Socius eius; ipso legente; quod postmodum idem Doctor cor-
rexerit, & approbavit: Scripsit etiam Postillas super Epistolas
Pauli ad Romanos, ad Corinthios, ad Hebræos, vsq; ad xi. capit.,
& super alias Epistolas Pauli: reportata sunt per prædictum
Raynaldum Socium post ipsum legentem; quas idem Doctor fer-
tur postea correxisse; quæ siogula affirmant etiam Castil-
lius, & Plodius. Ex quibus patet mirum non esse non-
nulla, in vno etiã, & eodẽ opere D. Thomæ styli diuersitas
inuenitur. 3. annotat.
S. Antonin.

Castillius.
Plodius.

Plu-

Plurima, & insignia de Doctrina S. Thomae Aquinatis testimonia Philosophorum, Oratorum, Juristarum, Theologorum, Ecclesiae Catholicae, Summorum Pontificum, & Christi Domini nostri Redemptoris.

Post examen earum lucubrationem, de quibus ex antiquis aliqui, & ex recentioribus etiam nonnulli dubitarunt, an essent Angelici nostri Doctoris partus legitimi, vel adulterini, aut etiam probabilibus argumentis innixi firmiter crediderunt, quaedam ex illis nomen quidem praefere S. Doctoris, sed alterum habere longè minoris eruditionis authorem, sequitur, ut ad huius opusculi complementum eorum voluminum dignitatem comprobemus, quae nullam secundum moralis doctrinae regulas dubitationem admittunt, sed ab omnibus doctis pariter, & indoctis Angelico nostro Doctori tribuuntur secundum regulas superius assignatas. Optima verò probatio ea est, quae dicta fide dignorum testium cuiusque generis gravissimis, & evidentibus rationibus fulta comprehendit. Non omnia tamen scriptorum encomia, qui de operibus S. Thomae cum laude meminerunt, hic expedit recensere; hoc enim, praeterquam quod immensi laboris opus esset, legentibus esset inuile, ac onerosum. Igitur media gradientes via selectiora quaedam ex singulis celebriorum testium classibus dicta proferemus. Ab infimo verò testium ordine sumemus exordium, laboribus etiam utentes eorum, qui de scriptis S. Thomae disseruerunt; praesertim autem Vielmij; qui singulari diligentia nobiliora Doctorum dicta collegit libro secundo de scriptis D. Thomae Aquinatis.

Suessanus.

Prodeat igitur primo loco Augustinus Niphus, Suessanus inter Philosophos praeteriti seculi celeberrimus; qui in Physicae Commentarijs de S. Thomae doctrina sic loquitur: Ex his (scilicet Graecis) bonae litterae in Latinos migrarunt;

inter

inter quos Thomam Aquinatem nostrum inueni; cui merito iura exponendi concessa sunt. Hunc habemus, non solum in his physicis Commentationibus, sed in omnibus alijs fidem ducem; Cui etiam non sine causa nomen expositoris tributum est: Illo enim (pace expositorum Graecorum dixerim) curiosior, aut vberior, aut, quod rarum est, clarior inuentus est nemo. Unde meo quidem iudicio, omnis latij omnisque Philosophiae decus semper habendus est: & alibi: Sensum verborum Aristotelis verum, in quantum potero, assignabo, non recedendo a Graecis expositoribus Themistio, Simplicio, & Alexandro; aliquando cum Latinis interpretibus, praesertim cum D. Thoma, qui, pace ceterorum dixerim, dilucidè Aristotelis libros interpretatus est: nec eius Commentarios minoris facio his, quae Graeci scripserunt, ut rectè intelligenti patet. Haec Suessanus.

Secundus est Petrus Pomponatius: Cuius verba sunt: Opinio recitata D. Thomae, omnium Latinorum sententia mea maximi, immo fortassis non minoris aliquo Aristotelis expositore, siue sit Graecus, siue sit Arabs, siue cuiuscumque sit, omnibus est preponenda, cum & rationi, & auctoritatibus concordet. Idem agens de animae nostrae immortalitate, vim, ac splendorem earum rationum, quibus S. Doctor probat animae immortalitatem, admiratus dixit, Aquinatem sine dubio lumen esse Christiani nominis.

Pomponatius.

Tertius sit Marcus Antonius Zimara in suis Teorematicis dicens: Vbi est discordia in Philosophia inter Auerroem, & Thomam difficile est videre veritatem.

Zimara.

Quartus est Sebastianus Foxius: qui de animae humanae immortalitate agens, ait: Addam his D. Thomae Aquinatis viri in primis Sanctissimi argumenta, quibus eandem immortalitatem tueri, ac penè demonstrare mihi videtur.

Foxius.

Quintus est Marcus Antonius Flamininus; qui de doctrina D. Thomae sic loquitur: In hoc genere florere in primis Basilius Magnus, & duo Gregorij, Nissenus alter, & alter Nazianzenus; Apud Latinos multi quidem; sed ante omnes sine vlla controversia Thomas Aquinas, vir Sanctitate morum, & litterarum gloria praestantissimus; qui profecto,

Flamininus.

Etò: si disciplinam Aristotelis contempserit, pulcherrima illa monumenta non reliquisset, quæ tendentibus ad cognitionem sapientie splendidissimum lumen præferunt, atq; in Sacrarum rerum diuinarum abdita, & penetralia tuto, & facili itinere perducunt.

Egnatius.

Sextus est Ioannes Baptista Egnatius; qui lectis accuratè libris D. Thomæ contra gentes hoc de illis, ac cæteris eius operibus iudicium protulit: Tanti semper Aquinatis Thomæ autoritas in omni scriptorum genere fuit, is tuendæ, augendæq; Christianæ pietatis ardor, ea vitæ puritas, ac sanctitas, ut à D. Petro, & Paulo, reliquisq; nostræ religionis Heroibus aut primus, aut, si quis non facile hoc concesserit, ut non primum eum censeat, nulli saltem primi post Petrum, ac Paulum, omnes cum Thoma secundi numerari debent. Et paulo inferius: Ille igitur Aquinas, cum infinita alia ingenij fecundissimi, ac felicissimi monumenta reliquit, quæ in usum Christianæ pietatis elaborauit, tum hoc ipsum, quod contra Gentes, seu maus contra Gentiles inscripsit: quod opus ad multorum veterum exemplum conscriptum sic facile excellit, ut nec Græci, nec nostri, quicumq; hoc curriculo desudarunt, conferri cum Thoma possit: Scripsit contra Gentes egregium olim volumen Tassianus; scripsit Apollinaris Laodicenus, scripsit hoc penè argumento Septimius Flores, Tertullianus Apologeticum; scripsit deniq; suas Firmianus institutiones, ut omittam innumeros alios; Qui omnes, si cum Thoma comparentur, oleum, & operam pendidisse videri possunt. Hæc ille. His adde, quod ex Sancto Antonino, & alijs supradiximus de extasi, seu alienatione à sensibus, quam sæpe in dicti operis compositione passus est S. Thomas.

Barclaus.

Septimus est Ioannes Barclaus in sua parænesi lib. 1. pag. 139. Vbi nouatoribus opponens D. Bernardum, & D. Thomam Aquinatem ait: Quid D. Bernardus? Quid Thomas Aquinas? Vterq; stirpe clarissima, & in diuitias editus; uterq; summo ingenio; in scripturis uterq; versatus; diuitias abdicant sicut Monachi; Sacerdotes (dicit vobis iam nomina) in nostra fide viuunt, pro nostra fide scribunt; Quod ad mores; eximia illis integritas. scripta Deum auspiciem

spicem spirant; sublimia, pia, cælestia, nec abfuere miracula; nisi vultis omnibus, qui tunc vixere, authoribus fidem abesse, deniq; Thomæ Doctrinam ipsi miramini: quem vir nuper in his summus Iacobus Cuiacius, primum ab Aristotele Philosophum meritorè dixit.

Octauus est Sixtus Senensis; qui loco supra notato hoc habet insigne præconium. Thomas Aquinas Ordinis Prædicatorum ex illustri Comitum Aquini familia in finibus Campaniæ splendidissimis parentibus ortus; Alberti Ratisponensis Archiepiscopi doctoris cognomento Magni, maior ipso discipulus, maximo, & altissimo ingenio vir, cui ad plenam, absolutamq; tam diuinæ, quàm humanæ eruditionis gloriam solus defuit linguarum, & eloquentiæ usus; quem eruditi illius seculi, ut potè sublimioribus studijs intenti; neglexere, Theologorum fuit, ac Philosophorum omnium, quos in hanc usq; diem Scolaasticorum Academia protulit, sine vlla controuersia princeps; quippe qui primus omnium Latinorum Philosophorum non minus incredibili; quàm felici ausu omnem Aristotelis Philosophiam Commentarijs lucidissimis illustrauit; In sacris verò sincerioris Theologiæ ita sapientissimo Augustino proximus incessit, atq; ita mentem eius, & omnes reconditos sensus introspexit, exhaustiq; ut iuxta Pythagoræ Misenpichesi communi doctissimorum adagio iactatum sit, Augustini animam migrasse in Thomam. In Scholaasticis quoq; mysticæ Theologiæ disputationibus ita cæteris Academicarum ducibus antecelluit, ut vniuersitati Scholarum omnium consensu receptum sit, Thomam Scholaasticæ Theologiæ instauratorem, quatuor inter se implacabiliter pugnantia indissolubili pacis fœdere coniunxisse, videlicet, copiam, breuitatem, facilitatem, & securitatem; quas nulli vnquam litterarum professori, vel ante, vel post eum contigit simul potuisse connectere. Ac primum tanta inest ei rerum omnium copiosa vbertas; ut nihil ferè ex vniuerso Theologiæ, ac philosophiæ ambitu desiderari queat; quod non imple ditissimis scriptis suis fuerit copiosissima varietate complexus. Breuitas deinde, cuius exiguis angustijs copiam amplitudo contineri non potest, ea est, quæ tot veteres,

Sixt. Sen.

teres, ac recentes authores vix innumeris, & immensis voluminibus comprehendere potuerunt. Hic intra vnus strictæ epitomes, hoc est Summæ Theologiæ compendium, locupletissima breuitate, plenissimè, strictissimèq; concluderit. Breuitati verò, quæ obscuritatis mater est, & comes indiuidua, ita facilitatem, omni seclusa difficultate, copulauit, vt ordinis dispositione, sententiarum perspicuitate, & verborum splendida claritate scriptores omnes longo post se reliquerit interuallo; &, quod multò mirabilius est, cum in scriptis Ecclesiasticis multorum magni nominis patrum caute, ac suspensio pede legentibus progrediendum sit, ne in sententias quasdam parum tutas imprudenter impingant, huic vni verè Diuino viro, tanta assertionum, sententiarumq; securitas diuinitus obigit, vt in lectione eius lector omni suspitione erroris liber citra vllam offensam tutus, & securus expedito gradu expatiari possit, velut per viam Regiam cõmuni Ecclesiasticorum Patrum incessitutam longè à denijs illis particularium sectarum semitis, ac diuerticulis, quæ sæpe incautos abducunt in ambages inextricabiles, & errores irremediabiles. Hæc Senensis.

Catarinus. Nonus est Ambrosius Catarinus Archiepiscopus Compsæ: qui dixit se pro eminenti D. Thomæ doctrina illud frequenter usurpare consueuisse: Ille sciat se valde profecisse, cui Thomas valde placebit.

Bessarion. Decimus est Bessarion Cardinalis Nicenus, & Patriarcha Constantinopolitanus; qui sic eum allegat: Thomas Aquinas non minus inter Sanctos dictissimus; quam inter doctos sanctissimus.

Fislenius. Vndecimus est Fislenius Cardinalis, & Episcopus, ac Martir egregius, qui aduersus Lutherum scribens ait: Neque Thomas Aquinas vsq; adeo tibi Luthere paruipendendus est, quem pleriq; in sacris litteris exercitissimi Theologiæ Florem appellare consueuerunt.

Gasp. Cõt. Duodecimus. Gaspar Contarenus Cardinalis ita scribens: Hanc Auicennæ positionem D. Thomas excellentissimus, ac nunquam satis laudatus efficaci ratione reprehendit.

Ter-

Tertius decimus est Georgius Scholaris; de quo mentio fit in actis Florentinæ Synodi: qui postea Patriarcha Constantinopolitanæ ciuitatis effectus iuxta sedis illius cõsuetudinem mutato nomine dictus est Gennadius, hæc de S. Thoma scribit encomia: Thomam Aquinatem nescio, an aliquis suorum sectatorum plusquam ego admiretur, & colat. Ego, si quis eius scriptis animum adhibuerit, hunc nullis alijs indigere opinor Musis, satisq; eis esse sua rectè percipere posse. Sed quoniam Italorum nonnulli, ijq; ex Franciscanorum cœtu recentioribus quibusdam doctorebus ita addicti sunt, vt non solum eorum partes tueri, verùm etiam, pro nimio erga illos studio, in hunc Doctorem inuehi, atq; maledicere conentur; qui vel ab ijs ipsis, quos preferendos censent, maximam meruit laudem; atq; si quid illis vel addidisse, vel excogitasse accidit, in hoc eos tanquam discipulos à præceptore occasionem accepisse veri simile est; hanc igitur ob causam onus interpretandi huius libelli suscepi, vt tibi ostenderem, quoniam ingenij acumine vir iste præditus esset, quo iudicio, qua deniq; subtilitate, quam ipsi crassitudinè appellare non erubescunt, quantum propter iudicij inopiam, eiusq; debilitatem ita censent. Iunioribus enim, qui vel aliquid addiderint, vel excogitauerint, suæ non sunt negandæ laudes. Illi verò tanquam omnium præceptori benemerito maioris doctrine viro iure optimo maiores habendæ sunt gratiæ. Quamobrem & Romanæ Ecclesiæ suffragijs ornatus, & in Diuorum numerum est relatus, cum reliqui solum inter Scholasticos congressus aliquid honoris sint consecuti. Hæc ille.

Quartus decimus est Nilus Tethalonicensis Archiepiscopus, qui D. Thomam supra Theologos omnes eleuans ait: Thomas Latinæ Theologiæ facile princeps.

Quintus decimus est Dominicus Episcopus Torcellanus primum, & postea Brixienis; qui lecto diplomate Canonizationis S. Thomæ dixit: Hæc, vel similia non dixit de alijs (nimirum Pontifex) ideo videtur; quòd non possit tangere hæc sedes doctrinam eius sine hoc, quod seipsam quodammodo tangat.

Sextus decimus est Antonius Campanus Episcopus

Gregorius
Scholaris
sue Gennadius.

Nilus.

Dominicus.

Campanus.

E

Inte-

Interamentium hæc de Sanctissimo nostro Thoma scribens: Thomas locupletissimus in Dialecticis; de quibus sic edidit, ut, qui eius præcepta non negligant, & fallere quemquam nolint, & falli ipsi à quoquam nullo modo possint; locupletissimus in Philosophia; siue illa, quæ ad vitæ pertinent institutionem, & moralem appellamus, siue quæ in rerum natura versatur, & initia, casus, euentusq; complectitur, & physicam nominamus; in qua & inuenit ipse multa pro suo ingenio, & aliorum inuenta inuoluta, & perplexa splendidissima, & distinctissima luce declarauit. Locupletissimus in scientia diuina, quam Theologicam nuncupamus: de qua idem ipse tot, tantaq; conscripsit, tam multa, & varia edidit volumina, ut mirum fuerit sufficere eius ætatem ad legendum, nedum ad scribendum potuisse; annum enim quinquagesimum, cum vix attigisset, migravit è vita. Nec vllum est ænigma tam ambiguum, nullus tam intricatus nodus, aut inuolutus, nullæ tam obscuræ nubes in huiuscæ genere doctrinæ, quas vir Dei Sanctissimus non euoluerit, retexerit, aperuerit; semper collectus, distinctus, ordinatus, ut alij semper scidisse scripturam diuinam; hic collegisse: illi inuoluisse anfractibus, hic direxisse in compendium: illi infudisse tenebras, & conculcasse, hic clarissimâ attulisse lucem, & expedisse videatur.

Vueragat.

Decimus septimus est Franciscus Vuargas olim Caroli quinti Imperatoris, & Regis Philippi secundi eius filij primum apud Venetos, deinde apud Summos Pontifices Paulum quartum, & Pium quintum Legatus hæc de D. Thomæ doctrina scripta reliquit: Experiamur itaq; & nos, an opera nostra aliquid iustæ defensionis iustitiæ descriptioni accedere queat. Quod facilius consequemur, si D. Thomam tanquam fortissimum quendam Herculem in omnibus id genus difficultatibus superandis adhibeamus: is enim, ut in omnibus alijs, ita in ijs, quæ ad moralis Philosophiæ cognitionem pertinent, adeo semper fuit diligens explorator veritatis, ut nihil additum, nihil remotum, nihil obscurum esse permiserit; sed omnia exposita prompta, ipsa deniq; luce clariora fecerit. Huic rationi in sapientiæ studijs plus debeo, quam infinitis iurisperitorum verbosis

com-

commentarijs; nudè, breuiterq; veritatem exponit, & omiffa inane authorum, opinionumq; citatione, solida vi incedit, rationibusq; inuictis per omnes aduersitates viam sibi alijq; sternens. Quamuis igitur ex Aristotele omnis Philosophiæ facile principerectam Vulpiani iuriconsulti sententiam accepissem; noluit tamen D. Thomæ nomen hanc iustitiæ diffinitionem doctissimè elucidantis, & à multorum hominum tenebris eruentis subdicere secunda secundæ quæstione 57. & 58. tum ut mea augustio eius nomine magis probentur; Tum ut omnes adhorter ad virum illum cognoscendum; qui nō physicis magis, & Theologis, quam iurisperitis est necessarius. Qui, si eum legissent, intellexissentq; Deus bone, quantum ignorantia, quantum turpis erroris è libris suis, atq; animis eximere potuissent?

Decimus octauus est Aegidius Romanus Archiepiscopus Bituricensis, qui Sanctissimi nostri Doctoris sapientiam non tam laudandi, quam aduersus inuidos, & obretractatores defendendi munus assumens ita scribit: Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum è vobis nullus sit, qui possit arguere me; ad increpandum tantum eloquia continuatis, & in ventum verba profertis, super pupillum irruitis, & subuertere nitimini amicum vestrum. Respondete obsecro absq; contentione, & loquentes id, quod iustum est iudicate, & non inuenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stulticia personabit. Job. 6. Quæstio proposita in persona Fratris Thomæ Doctoris eximij; cuius doctrina fulget Ecclesia; potest proponi quibusdam, qui eius doctrinam immo veritatem, quam docuit, deprauare nituntur, ipsius sermonibus veritate plenis, & Spiritu veritatis instigante conscriptis detrahentes, & hæc est eorum sententia de verbo ad verbum per singulos articulos digesta, & conuenienter ex dictis eiusdem Venerabilis Doctoris exterminata, ut Deo iuuante patebit; Et in calce operis rursum ait: Hoc enim sciendum, quod ad omnia, quæ isti contra Thomam à principio adduxerunt, facillimè per eius verba veritate plena poterit responderi. Pro aliquibus tamen habendo omnia scripta eiusdem, quæ isti, ut ex processu eorum euidentius liquet, nixi sunt deprauare:

Aegidius.

E 2

Nul-

Nulli dubium facultatem deesse, quorum forsā manibus ista eorum deprauatio deuenire contiget; nunc verba eius, nunc sententiam (pro vt capere potuimus) articulis singulis curauimus ad omnia respondendo, secundū nostrum modulum applicare volentes ad alius sapientibus occasionem lucidius respondendi, & illius laudem attollendi vberius præbere; qui Doctorem istum sapientiæ radio illustrare, & super Ecclesiæ candelabrum pro orbis terrarum instructione dignatus est sua clementia exaltare. Hæc ille.

Vielmius.

Decimus nonus est Hieronymus Vielmius Episcopus Argolicensis, qui libro secundo de Scriptis D. Thomæ pagina 55. sic loquitur. Nihil præaltum, & incōparabile eius ingenium vel præstantis doctrinæ, vel solertis industriæ, vel subtilioris artis, vel sæcundæ, memoriæ subter fugit; tanta ex Græcis, Arabibusq; Philosophis, tanta ex Latinis veteris, & noui testamenti enarrationibus præsidia in illis disputationibus comparat; ea arte, & differendi ratione progreditur, vt sit Durandus quantumuis acris, acutique ingenij, ut Bonauentura eximiè pius, & in explicandis verbis Magistri omnino diligens, Altiſiodorensiq; impense doctus, & copiosus, frustra Thomæ in enodandis Lombardi Sententijs, aut præferuntur, aut etiam exequantur. Durandus, quem pleriq; cæteris præferunt, vbi Thomas silet, vel elinguis est, vel admodum icinnus, & sterilis; & vbi à Thoma recedit, in Syrtis, ac vortices rapida vertigine ruit; Sententiarij iam verò posteriores; quorum plures cumulatis laudibus ex:olli merentur; quemadmodum frequentissimè Thomæ æquam in suos alueos deriuant, & femina ex eo mutuuntur; quibus vberimas fruges demerere solent (vt proinde cum Samsone compellare eos ille possit, ac dicere: Nisi arassetis in vitula mea, non inuenissetis propositionem meam) ita sponte sua Gersonem (prædictos doctores Thomæ præferentem) iniquæ, atq; præposteræ censuræ redarguet: Et pagina 60. de Summa Theologica D. Thomæ loquens ait: Cuius operis augustissimi præstantiam, si mihi sint linguæ centum, oraq; centum, si cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, & omnes arcus humana voce resonarent, nec plenè narrarem, nec

di-

dignum aliquid eius magnitudine, & maiestate dicerem. Res, quæ tractantur, Diuinæ sunt, sententiæ sublimes, doctrina constans, & subtilis, stylus breuis, & nitidus, ordo pulcherrimus, methodus verò incomparabilis. Ita enim quæ sita inuicem nectit, vt vnum ex alio, potterius ex priorè iustar catenæ pendere, & lucem, ac robur accipere videantur: quamobrem ex notioribus semper progreditur; hoc est ex antea expositis, & constitutis, omnia suis locis collocantur; nullas inanes repetitiones ibi reperies; nihil præposterum, nihil superuacaneum, & redundans, nihil murilum, & concisum; ita vt nimia breuitate obscuritatem parere possit; Si peregregio, & perillustri volumini quicquam addideris, monstruosum; si ademeris mancum, & curtum; si inuerteris, distortum, atq; difforme eruditorum omnium consensu efficies. Et infra: In collocandis verò argumentis, quæ de more pro falsa opinione in articulorum vestibulo, tria vt plurimum, interdum plura, nullibi verò pauciora afferre solet; subtilissimum, ac planè pulcherrimum id artificium sæpè seruat; cuius neq; apud veteres, neq; apud recentes auctores simile hæcenus reperitur, vt quod secundo loco argumentum ponit, oppugnare possit non solum, quam in corpore conclusionem statuit, sed eam quoq; responsionem, quam primum dissoluere nitebatur: & quod tertio loco solutionem, quam ad secundum dederat; vt non tam noua argumenta, quam replicas (si penitus tamen, vt dicitur ad viuum vsq; materiæ corpus reſcaueris) secundum, & tertiam esse deprehendas: vt si Doctoris subtilis epitheton alicui concedendum sit, ante scholasticos omnes, & præ illis omnibus subtilissimus omnium Thomas, vel hac ratione nominandus sit, & pagina 74. post relata multorum de S. Thomæ doctrina præconia subiungit: Habet tamen ille maius, & luculentius testimonium his. Nam opera, quæ fecit, illa testimonium perhibent de eo. Contigisse iam verò authoribus recentioribus nonnullis, ego facile animaduerti; quod syderibus euenire, & Prolomeus scribit, & nos erebro conspiciamus: Siquidem nobis maiora videri solent, cum iuxta Orizontem sita conſcendant, quam, cum vel medium coeli tenent, vel inde ad

E 3

Ori-

70 **DESCRIPTIS** **INCOR-**
 Horizontem rursus conuersa descendunt. Etenim, cum primum quorūdam scripta in lucem prodierunt, legi auidius, & magno cum orbis applausis ceperunt, intraque breue temporis spatium, & summam quandam authoritatem, & maximam nominis celebritatem adeptam esse videtur; sed cum postea accuratius studiosorum manibus teri, presiusque euolui, & expendi ceperunt, confestim ab eorum exultatione multum decidisse vidimus; & quorundam quidem citius, nonnullorum verò tardius eruditorum omnium tacito quodam consensu ad minora subsilia, atque etiam ad angulos reiecta fuisse. Et planè veris tempus oblectare magis, atque afficere homines solet, quam vel æstatis, vel autumnii, vel hiemis; & plures Orientem Solem (ut dici solet) adorant, quam, cum ad occasum pergit. At verò Thomæ monumenta oriri semper, & splendescere in dies magis, ac magis visa sunt; neque posterioribus temporibus Catholici omnes minus, quam prioribus, illa sunt venerati: quoniam dignitate, & loco parem eundem præcis Religionis nostræ Heroibus (sine vlla contouersia) sua sponte fecerunt. Perspexerunt siquidem clarissimi viri in eo omnia, quæ in præclaris authoribus laudare magnopere, & suspicere seorsum solemus; eruditionem, scilicet, perspicuitatem, amplitudinem, iudicium, diligentiam, grauitatem, ingenium, subtilitatem, acrimoniam; quorum singula scholasticis insignioribus singulis diuissimè Spiritus Sanctus videri potest; ea inquam vniuersa prorsus non vulgariter, aut mediocriter, sed summo quodam modo, sed excellentissimè, & incomparabiliter in vno Aquinate munificentissimum Dominum nostrum veluti profudisse, sequè effusissimè in illius sinum orbi consulturum vniuerso effudisse. Quamobrem Græci omnes eruditi, qui alioquin vel improbitate quadam, ut fit, vel leuitate (quæ illis obijci à nostris frequenter solet) Latinos susque deque facere, & vituperare conantur, Thomæ volumina quædam, contra Gentes nimirum, Theologiæ summam, de ente, & essentia libellum; & alia quædam non modo in suam linguam accuratè vertèrunt, verum etiam suis eorum adnotationibus, & commentarijs illustrarunt, eximijque præconijs prosecuti sunt, &

D. THOMAE AQUINATIS. 71
 incorrupti veluti iudices longo interuallo Latinos recentiores omnes in scientiarum curriculo antecedere (quem admodum supra ex eorum verbis audiimus) veritatis vincti dixerunt, &c. Hæc ille.

Vigésimus est Stephanus Parisiensis Archiepiscopus cum tota nobilissimæ illius ciuitatis vniuersitate: Hic enim omnibus doctoribus numero 72. simul congregatis anno 1325. longa præmissa consultatione de multis propositionibus S. Thomæ, aliàs ad instantiam quorundam inuidorum ab eadem vniuersitate damnatis, post diligentissimum singularum examen, eas omnes, & singulas Catholicas esse iudicarunt, suamque definitionem hoc insigni S. nostri Doctoris elogio decorarunt: Fuit S. Thomas vniuersalis Ecclesiæ lumen præfulgidum, gemma radians clericorum, fons Doctorum vniuersitatis nostræ Parisiensis speculum clarissimum, & candelabrum insigne, ac lucens, per quod omnes, qui veræ vitæ, & Sanctæ doctrinæ vias ingrediuntur, lumen vident: claritate vitæ, fama claræ, & scientia lucidæ velut stella splendida, & matutina refulgens. Post quæ sequitur eiusdem vniuersitatis decretum statuens D. Thomam Dei gratia nihil sensisse, docuisse, vel scripsisse, quod sanæ fidei, vel bonis moribus aduersetur.

Vigésimus primus est multorum Doctorum farrago varijs Epithetis singularem Angelici nostri Doctoris excellentiam exornans, Nam Martinus Peresius de traditionibus parte tertia consideratione tertia S. Thomam Scholasticorum vexillanum appellat. Ioannes Picus in Heptaplo eundem Theologiæ splendorem nominat. Andreas à Vega in Opusculo de Iustificacione quæstione sexta dicit eum esse Scholasticæ Theologiæ florem. Martinus de Viana in oratione de D. Thoma ait in eo nihil esse infimum, nihil mediocre, sed totum summum, & totum perfectissimum. Paulus Cortesius longo eum Diuinitatis haustu compotem dicit. Plerique omnes Angelicum; Ioannes Arboreus eum nominat ingeniosissimum, eruditissimum, & cui palestra, & exercitacione Scholastica nemo proximus sit, eiusque copiosissimam, solidam, & incredibilem doctrinam semper se prædicasse, & laudasse profiteretur. Longo-

Stephanus
 Archiep.
 Paris.

Parisienſis
 encomiū.

Peresius.

Io. Picus.

Vega.

Viana.

Arboreus.

Longoleus.

Titelma-
nus.
Phedrus.

leus in Oratione ad Lutheranos affirmat atatem illam nihil eo doctius tulisse, nihilq; religiosius eo vidisse. Franciscus Titelmanus in adnotatione psalmi 101, vocat eum celebrem Ecclesie Doctorem. Thomas Phedrus in Panegirico neminem eo in Dialecticis acutiorem; in Mathematicis subtiliorem, in Philosophia locupletiozem, in Theologia deniq; sublimiorem se legisse testatur. His addi possent Brutus Clariensis, Ludovicus Viues, Basilius Zanchius; Marcus Antonius Nata, quorum dicta refert Vielmus libro secundo pagina 16.

Et quia testimonium ab hostibus ad veritatis confirmationem in humanis, & secularibus iudicijs plurimi nonnunquam solet estimari, liceat hic duorum catholicæ veritatis Hostium dicta proferre. Igitur testis

Beza.

Vigessimus secundus est hostis magnus Ecclesie Catholice Beza vnus ex Calvinianæ sectæ primatibus; qui S. Thomam Theologorum Scholasticorum omnium principem nuncupauit.

Bucerus.

23. Est alius Catholicæ veritatis inimicus Lutheranæ sectæ Vexillifer Bucerus nomine; quem dixisse ferunt: Tollite Thomam, & dissipabo Ecclesiam, vel tollantur de medio scripta D. Thomæ, cum alijs omnibus Doctoribus subire certamen non recusabo. Quibus addi potest Erasmus; cuius dictum refert Vielmus.

Eccles. Ca-
tholica.

24. Est Ecclesia Catholica quæ S. Thomæ doctrinam his atcollit præconijs: stylus breuis, grata fœcundia, celsa clara, firma sententia, rigat totam Sanctam Ecclesiam.

Innocent.
Sextus.

25. Est Innocentius Sextus; qui in quodam sermone de laudibus D. Thomæ, qui incipit: Ecce plusquam Salomon hic, doctrinam eius commendans ait: Huius Doctoris doctrina præ cæteris (excepta Canonica) habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum; ita vt nunquam, qui eam tenuit, inueniatur à veritatis tramite deuiasse, & qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus.

Ioann. 22.

26. Est Ioannes 22. qui D. Thomam Cathalogo Sanctorum ascripsit: hic in diplomate Canonizationis eius hæc habet: Sapienter hic Doctor, atq; humiliter omnem suam

verbo, vel scripto doctrinam ad eiusdem Ecclesie fidei normam fidei deuotione reduxit; quam Petri ore diffusam stabilem nouerat, & multis concussionum flatibus agitantam: Et ibidem; Scripsit (inquit) S. Thomas primas artes, Philosophiam naturalem, & moralem, super vtramq; testamentum, & alia multa ad laudem Dei, & exaltationem fidei clara doctrina, & non sine speciali Dei infusione. Idem Summus Pontifex in quodam sermone, quem de firmitate doctrinæ S. Thomæ formauit, assumens pro themate verba illa Pl. 4. *Scitoie, quia Dominus mirificauit Sanctum suum*, dicit: S. Thomam post Apostolos, & primos Sanctos Doctores magis inter omnes alios sua doctrina Ecclesiam illustrasse. Idem Summus Pontifex (vt ait Ioannes Gerson) in ipsa Doctoris S. Canonizatione in pleno concistorio hæc, vel similia in illius doctrinæ laudē dixit: Et si S. Thomas nullis in vita sua, nec in morte miraculis claruisset, vt Cathalogo adscriberetur Sanctorum; doctrina eius ad id esset sufficiens; quot enim articulos scripsit, tot miracula per illum Dominus operatus est; Nam quilibet articulus est vnum miraculum.

Pl. 4.

27. Est Clemens Sextus, qui in quadam bulla edita Aninioni à Castillio relata doctrinam S. Thomæ commendans ait eam esse singularem, & ex ea vniuersalem Ecclesiam vberimos fructus spiritualis abundantie colligere, & eius odore recreari, atq; nutrir.

Clemens. 6.

28. Est Urbanus Sextus in bulla ad Archiepiscopum, & Doctores vniuersitatis Tolosanæ, vbi de S. Thomæ doctrina sic loquitur, ac decernit: Nos attendentes, quanta à Deo scientia dotatus Ordinem Fratrum Prædicatorum, & vniuersalem Ecclesiam S. Thomas illustrauerit, volumus, & tenore præsentium vobis iniungimus, vt dicti Beati Thomæ doctrinam tanquam veridicam, & Catholicam sectemini, eamq; studeatis totis viribus ampliare.

Urban. 6.

29. Est Pius Quintus; qui in quadam bulla edita anno 1567. incipiente: Mirabilis Deus in Sanctis suis, Festum S. Thomæ in Regno Neapolitano stricte precipit obseruari; alibi verò vt festum quatuor Catholicæ Ecclesie Doctorum statuit esse celebrandum, & in secundo eiusdem bullæ

Pius 5.

bullæ §. doctrinam S. Thomæ commendat his verbis: Sed quoniam omnipotentis Dei prouidentia factum est, ut Angelici Lectoris vi, & veritate doctrinæ ex eo tempore, quo cœlestibus ciuibus ascriptus fuit, multæ, quæ deinceps, exorta sunt, hæreses, confusæ, & conuictæ dissiparentur; quod & antea sæpè, & liquido nuper in Sacri Concilij Tridentini decretis apparuit, eiusdem memoria, cuius meritis orbis terrarum à pestiferis quotidie erroribus liberatur, maiore etiam, quam antea, grati, & pij animi affectu colendum statuimus. In tertio §. vocat S. Thomam clarissimum Ecclesiæ lumen.

Clemens 8.

30. Est Clemens Octauus. Qui in quodam breui sub anulo piscatoris dato sub die 22. Nouembris 1603. directo ad proregē Regni Neapolitani hæc scribit; in laudem sanctitatis, & doctrinæ D. Thomæ. Erat quidem antea multo optandum, ut ciuitas ista pietati in primis dedicata, nonnum patronum ad reliquos, quos habet, addendum curaret Thomam Aquinatam; cuius Diuino eloquio, & cœlesti doctrina, miraculisq; illa quidem illustris merito apud remotissimas nationes summa Christi nominis cum laude, atq; Ecclesiæ utilitate celebratur; Et in alio breui sub die 22. Nouembris 1603. directo nobilibus viris à Ciuitate Neapoli deputatis hæc habet: Pie, prudenterq; cogitatis, de nouo ciuitatis patrono adseiscendo, ciue vestro, diuinæ voluntatis Angelico interprete, vitæ sanctitatis, & miraculis claro Thomæ Aquinate; cuius doctrinæ tantum fuit tributum, ut Christianæ eruditionis suæ diuinum etiam illud habeat testimonium: Bene de me Thomæ scripsisti. Et in alio rescripto ad eosdem directo; quod incipit: Sicut Angelici; sic loquitur: Hic siquidem honor eius virtutibus cum admirabili doctrina cōiunctis iure optimo debetur; ac doctrinæ quidem testis est ingens librorum numerus; quos ille breuissimo tempore in omni ferè disciplinarum genere singulari ordine, ac mira perspicuitate, sine vilo prorsus errore conscripsit. In quibus conscribendis interdum Sanctos Apostolos Petrum, & Paulum colloquentes, locosq; illi quosdam Dei iussu enarrantes habuit; & quos deinde conscriptos expressa Domini voce comprobatos audiuit.

31. Est

31. Est Paulus Quintus in breui dato sub die 17. Decembris 1617. Pontificatus eius anno 13. vbi S. Thomæ doctrinam approbans, & extollens ait: Splendidissimi Catholicæ fidei athlete Beati Thomæ Aquinatis, cuius scriptorum clipeo militans Ecclesia hæreticorum tela fœliciter eludit, honores, & venerationem in dies magis, magisque augeri plurimum in Domino gaudemus, & ijs, quæ ad illius honorem deuotè sancita sunt, ut firma, & illibata permaneant, libenter Apostolicæ firmitatis robur adijcimus.

32. Est Iesu Christi Domini redemptoris auctoritas tribus vicibus, in locis temporibusq; diuersis Angelici nostri Doctoris doctrinam approbantis, ut narrat Plodius libro primo de viris illustribus Religionis S. Dominici sub anno 1274. ex S. Antonino, & alijs ibi ad marginem annotatis; quod etiam Summi Pontifices sua autoritate confirmarunt; ut patet ex eorum verbis paulò ante relatis. De hac materia disserit Aluarez eleganter libro primo de Auxilijs diuinæ gratiæ disputatione quinta, & in præfatione ad Lectorem in sua Commentaria, & ante eum Hieronymus Vielmius locis supra notatis vberimè. Ex quibus facile, ac perspicue videri potest, cuius æstimationis apud doctos, & indoctos esse debeant tot recentiorum Philosophorum, ac Theologorum censuræ, cauillationes, obiectiones, argumenta, seu magis Sophismata, ac demum peruersa, & iniuriosa iudicia tam contra Conclusiones, quam aduersus earum probationes liberè nimis, & inconsulte prolata; adeo, ut nonnullas etiam conclusiones Catholicæ fidei contrarias, aut saltem de errore suspectas esse pronuntient, ac proinde, tot summorum Pontificum oracula S. Thomæ doctrinam magnificis encomijs ut veridicam, & erroris omnis expertem approbantia, & ab omnibus sequendam, & amplificandam esse declarantia, condemnent; quod, an absq; piaculo fieri possit, iudicent ijs, qui simplici mentis oculo, sinceroq; cordis affectu ad veritatis cognitionem anhelant. Bononiæ Anno 1630. ætatis verò meæ 74.

Christi testimonium triplex. Plodius.

Aluarez.


DEO GRATIAS.

OPV-

OPVSCVLVM SECVNDVM
DISPVATIO
 SOLEMNIS,
 DE SACROSANCTO MISSAE
 SACRIFICIO

*Facta inter Admod. Reuer. Mag. Fratrem
 Io. Paulum Nazarium Ord. Pradic.
 & quosdam Calviniana Secte
 Ministros.*

Ex Italico Idiome ab ipso authore
 in Latinum versa.



*Narratio occasionis, temporis, & loci dictae Dispu-
 tationis, & conuentionis inter partes de puncto
 disputationis, Decretum Summi Pontificis, &
 nomina Theologorum Catholicorum, & Mini-
 strorum Sectae Calvinianae, qui ad disputationem
 conuenerunt.*



Occasio
 disputationis.

N Terra Plurij, quae sita est in extrema par-
 te Vallis Clauennae, quae terminatur ad Val-
 lem Bregaliam, contigit duas mulieres he-
 reticas ad fidem Catholicam conuerti, ad
 quas ad pristinam haeresim reuocandas,
 quidam haereticus apostata nomine Tho-
 mas Cassellius eiusdem terrae Minister accessit, & multis

ver-

verbis conabatur, antiquum errorem illis persuadere; sed illico affuit terrae praedictae Parochus D. Bernardinus, qui dicti Ministri conatibus obstiterit, & eas in Catholica fide detinuit. Nitebatur autem praedictus Minister mulieribus illis persuadere, Sacrosanctum Missae Sacrificium non fuisse à Christo Domino institutum, sed esse humanum inuentum; e contra verò dictus Sacerdos affirmabat, idem Missae Sacrificium à Christo Domino in vltima cena fuisse institutum: Vnde hoc affirmante, & illo negante Sacerdos praedictus seipsum obtulit, ad id, quod affirmabat, publica disputatione defendendum; Minister autem ad oppositum comprobandum: Sed cum summa laboraret ignorantia, cuidam Ioanni Martio Ministro terrae Solij suas partes delegauit. Igitur duodecima Maij anno salutis Millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, D. Bernardinus, & Ioannes Martius per scripturam se obligauerunt, vt infra, videlicet.

Scriptura
 conuentionis.

Ego Bernardinus Sacerdos, & Parochus terrae Plurij dico, me propositionem hanc esse defensurum, videlicet, *Missae Sacrificium fuisse à Christo Domino institutum*, concessa tamen prius facultate ab Illustribus Dominis, & assensu populi huius nostrae terrae Plurij.

Et ego Ioannes Martius Minister Communitatis Solij, quantum potui, procuravi apud Magnificum Praetorem Plurij, & alios Dominos, vt concederetur mihi facultas disputandi cum praefato Reu. Parocho, & cum illam obtinere non potuissem, promitto, me, data ab Illustribus Dominis facultate, in arenam disputationis descendere, & disputare in scriptis, aut in vote, prout dictis Dominis placuerit, & probare, ac euidenter demonstrare, Iesum Christum Dominum nostrum nunquam instituisse sacrificium Missae, nec de illo, vel syllabam in diuina scriptura reperiri.

Facta verò Congregatione Rhetiorum in Ciuitate Coyrae eodem anno instantibus Calviniana sectae Ministris, decretum fuit, vt posset de praedicta materia publice disputari, & fuere disputationis praesides, ac iudices deputati, quidam Planta Commissarius Clauennae Calvinista, & Iacobus Asperganius Praetor Plurij Catholicus, qui diem

Rhetiorum
 decretum.

diem Septembris trigesimam disputationi deputarunt. Sed interim scriptæ sunt litteræ à Dominis trium Ligarum: à quibus suspensa fuit disputatio vsque ad dietam, seu congregationem generalem futuram die vigesima quinta Ianuarij Anni Millefimi quingentesimi nonagesimi septimi proximè futuri; in qua ad instantiam dictorum Ministrorum decretum fuit debere de prædicta materia disputari, & destinata fuit initio disputationis octaua dies Martij eiusdem anni; prout patet in actis, quæ sunt apud Hieronymum Vertemaum Plurij Cancellarium.

Et quia Catholici, præsertim Sacerdotes, attentæ Calvinistarum nequitia, meritò dubitarunt, ne occasione dictæ disputationis sacrosanctum Missæ sacrificium à prædicta Valle, & alijs tolleretur, de prædictæ disputationis decreto certiores fecerunt Reuerendissimum Episcopum Comensem de Archintis, & Adm. Reu. Patrem Ioannem Dominicum de Rauenna Inquisitorem, vt quid esset agendum, ipsi decernerent: qui directis litteris Romam ad Congregationem Sacro Sanctæ Inquisitionis Generalis, eorum, ac Summi Pontificis Clementis Octaui iudicium, ac deliberationem postularunt: & congregatis coram Summo Pontifice Illustriss. Cardinalibus supremis Inquisitoribus, & proposita, ac maturè considerata difficultate, responderunt, disputationem quidem in materia, tam graui, certa, & in Ecclesia Catholica, firmissima, nec esse necessariam, nec simpliciter vtilem; ac proinde si absque Catholica Ecclesie nota, & Gentis illius scandalo fieri posset, euitandam; si tamen omitti sine scandalo, ac fidei Catholicae detrimento minimè posset, admonerent, vt de Theologo prædictæ disputationi sufficiente prouiderent.

Summi Ptri.
sic. Decret.

Cum autem adhibita diligentia comperissent supradictus Antistes, & Inquisitor, disputationem sine prædictæ Nationis scandalo recusari non posse, Summus Pontifex, assentientibus Illustrissimis Dominis Cardinalibus prædictis mandauit Illustrissimo Cardinali Sanctæ Seuerinæ, vt litteras nomine suo scriberet Illustrissimo Domino Cardinali Federico Borromeo Archiepiscopo Mediolanensi, mandaretq; vt vocato ad se Fratrem Ioanne Paulo Nazario

tunc

tunc Sacræ Theologiæ Lectore primario in Conuentu Sanctæ Mariæ Gratiarum Mediolani illi præciperet, vt esset paratus ad proximè futuram disputationem in terra Plurij de Sacrosancto Missæ Sacrificio, & duos illi, quos vellet, comites linguarum peritos adiungeret. Quibus litteris acceptis, præfatus Illustrissimus Dom. Cardinalis, cum Mediolani tunc existeret Reuerendiss. Dominus Episcopus Comensis, eo mediante me insit ad se venire; quo etiam tempore duos ex societate Iesu Theologos vocari iussit, & nobis in eius præsentia constitutis, legi per secretarium iussit epistolam dicti Domini Cardinalis scriptam nomine Summi Pontificis, qua audita, Dixi: Illustrissime Domine: Ante nonnullos quidem annos in Germania, cum essem de familia Apostolici Nuncij, studijs Catholicae fidei dogmatum diligenter incubui, & de illis in Regia Ciuitate Pragæ publicè disputauit: Sed ià à tribus annis Scholasticæ Theologiæ Lectioni deputatus Sacrorum dogmatum meditationes, & exercitia prætermisi, nec video, quomodo tam breui tempore vastam illam materiam Lectione, ac mente possim excurrere: natuum autem est Hæreticorum ingenium errores erroribus inferere, & vnus disputationem in alterius difficultatem extendere, & varias vno verborum contextu sacrorum dogmatum difficultates inuoluere, & nisi statim omnibus satisfaciat, in respondentem calumnijs, & insultatione consurgere. Cum igitur hæc disputatio sit de præcipuo fidei dogmate, de sacrosancto scilicet Missæ sacrificio, multasque secum alias grauissimas trahat difficultates, & ex hac vna disputatione pendeat salus, aut perditio fidei Catholicae, non in valle tantum Clauennæ, sed in toto prorsus Dominorum Rhetiorum dominio; sincero corde fateor, sicut urgente veritate, & dictante conscientia fateri teneor, vires meas longe impares esse huic oneri subeundo; & cum plures alij in hoc munere peritiores, & exercitiores inueniri facile possint; rogo supplex, vt Illustriss. Dominus alium inquirat, & mittat. Respondit humanissimè Dominus Cardinalis, oportere me demandatum onus subire, sanctiss. Dominum, & Dominos Cardinales supremos Inquisitores maturè consultasse, &

me

me ad id muneris elegisse, atque ideò me, nec posse, nec debere mandato reniti. Deinde ad Patres prædictos Societatis conuersus dixit, se eos elegisse precipuè, vt Hebraicæ, ac Græcæ linguæ peritia difficultates circa verborum significationes, & textuum lectiones occurrentes enodarent; & recusantibus præcepit, vt venirent. Statuta igitur die Comum omnes conuenimus ad Episcopum; qui comitem, ac protectorem nobis dedit Illustrè Dominum Iulium Turrianum Iurisperitum, tunc illius Ecclesiæ Canonicum, virum prudentia, & rerum agendarum dexteritate præstantem, & primatibus Rhetiorum, & Heluetiorum notissimum, ac familiarem. Postera igitur die nauiculari in Lacu Comensi conscendimus, & prospero vento Gerram in extremo dicti Lacus, & in confinibus vallis Clauennæ, & vallis Tellinæ positam attigimus, & ibi pernoctauimus, & recepta à Præsidibus Rhetiorum fide publica, tertio die vallem ingressi ad locum disputationis die Sabbathi peruenimus; Statim autem rogauit nos Dominus Bernardinus dictæ Terræ Parochus, vt sequenti die Dominica (quæ erat apud illos quarta, ni fallor, quadragesimæ) vnus ex nobis populo prædicaret, eo quod loci prædicator grauitè, & grotaret; recusantibus socijs Parochus ad me conuertitur obsecrans, vt concionem de Sacrosancto Missæ sacrificio haberem ad populum ex maxima parte Catholicum, precibus annui, mane suggestum conscendi, Catholicis, & Hæreticis audientibus diuini sacrificij institutionem, dignitatem, & fructus vberrimos explicauit, ad proximè futuram de eadem materia disputationem omnes inuitauit. Die, & hora statuta, octaua scilicet Martij, anno 1597. hora decima octaua. præstò fuerunt ex Catholicis viri circiter quadringenti, singuli gladios breues habentes, qui me cum socijs in eorum medio cõstituentes ad Ecclesiam vsque Sancti Ioannis deduxerunt: quo tempore pariter confluxerunt Calvinianæ sectæ Ministri, magna Hæreticorù manu vallati cum sclopis assidento, & circa præparatam valdè longam in medio Ecclesiæ mensam confedimus; in vna quidem parte Catholici Sacerdotes, in altera verò opposita Calvinistæ Ministri, in capite verò duo Iudices supranominati,

minati, stante circum circa cætera populi multitudine. Nomina Sacerdotum Catholicorum mihi assidentium sunt; D. Iulius Turrianus, D. Bernardinus Parochus Plurij D. Parauicinus Mazzonius Doctòr Theologus Archipresbyter villæ, D. Nicolaus Rusca Doctòr Theologus Archipresbyter Sondrij; qui postea gloriosè pro fidei Catholicæ defensione crudeliter ab hæreticis tortus occubuit signis, vtfertur, post mortem mirabilibus illustratus; Patres Ioannes Baptista Vaninus, & Antonius Moranus societatis Iesu, Nomina Ministrorum hæresis Calvinianæ sunt: Ioannes Martius Solij Minister, Scipio Calandrinus Minister Sondrij, Martinus Ponchiera Minister Vici soprani, Thomas Castellius Minister Plurij, Scipio Lentulus Minister Clauennæ cum Hieronymo suo coadiutore, Michael Capuanus, Ioannes ab Ecclesia Minister vallis Maleni, Lucas Donatus Minister Trahonæ, & Minister Castanezzæ.

His igitur omnibus in Ecclesia constitutis, inuocata à nobis genuflexis gratia Spiritus Sancti, ac subindè ab Hæreticis Ministris precationibus quibusdam vulgari idiomate præmissis, surgens Ioannes Martius prædictus licentiam loquendi petijt à Præsidibus disputationis. Quibus annuentibus, Martius ad extremum prædictæ mensæ caput accedens, & stans nudato capite prolixo valdè sermone multa præfatus est; Et primò quidem licere de fidei dogmatibus disputare: Secundò post tempora Diui Augustini, & quorundam aliorum Doctòrum tempus illud appropinquasse, quod fuerat ab Apostolo Paulo prænunciatum, in quo quidam à fidei veritate discederent, & veniente deinceps rebellione reuelatum fuisse hominem peccati, & obscuratam veritatem, &c. Et Ecclesiam vsque ad hæc nostra tempora latuisse, in quibus Euangelio prædicato, clara luce fuit ostensa, & oculis omnium hominum præsentata. Deinde volens controuersie statum explicare, multa miscuit ad propositam disputationem minimè spectantia, addens non nulla de genere probationum, quibus in hac disputatione esset vtendum, multa etiam de sacrosancto Missæ Sacrificio blasphemans. Denique glossas quasdam Calvinistis omnibus familiares adduxit, quibus diuinarum

Martij præfatio.

scripturarum sensus, & Sanctorum Patrum dicta peruerteret; Quibus dictis, libellum prædicta omnia continentem disputationis Præsidibus præsentavit.

Tunc ego surgens facultatem ab eisdem Præsidibus postulavi respondendi ijs omnibus, quæ Martius aduersus Euangelicam, & catholicam veritatem fuerat prælocutus; quæ per eos concessa, ad eundem extremum mensæ locum accessi, sedi, & aperto capite prolixam illam Martij præfationem ad pauca quædam capita reduxi, & auxilio diuinæ gratiæ deuotius implorato Verba Deo misericorditer suggerente, dilui Calvinistæ iam dicti sophismata, prout latius in sequenti nostra post disputationem scripta, & per D. Iulium Turrianum typis mandata continentur Apologia. Completa responsione ad Præsides accessi, & libellum Martij dari mihi poposci; vt sicut ore verbis illis responderam, ita scriptis illius scripta confutarem: Illis autem tempus à me determinari postulancibus, triginta dies constitui, & libellum recepi. Tenor autem responsionis impressæ hic est.

RESPONSIO APOLOGETICA

Ad præfationem Martij.

Debito promissionis factæ Præsidibus disputationis ante actis diebus in terra Plurij vallis Clauennæ, & Christianæ simul charitati, ac zelo catholicæ fidei satisfactorius auditæ, & oculorum acie summa cū festinatione percursæ præfationi Ioannis Martij Calvinianæ sectæ Ministri, nolo (vt facile possem) prolixo non minus, quam inani, & incompto hominis hæretici Calvinistæ sermoni, quam breuissimè respondere, eos ad scripta, & disputationes recentiorum Theologorum Ecclesiæ Catholicæ remittendo, qui cum Hæreticis nostri temporis, aut proximè præteriti sæculi suis scriptis

vali;

validissimè dimicarunt, & parva victoria de illis gloriosè triumpharunt. Horum verò præcipui sunt: Thomas Valdensis, Iudocus Clichtoueus, Alphonsus de Castro, Dominicus Sotus, Ioannes Garecius, Bellarminus, Scapletonus, Valencia, & alij, qui tam eruditè, quam diligenter sectariorum fraudes, & mendacia detexerunt, & eorum Sophismata confutarunt. Cum enim nihil noui Martius adduxerit, sed à prædictis fortasse Doctoribus Catholicis argumenta deprompserit, quibus iam illi plenè satisfecerant, sola potuissent eius cauillationes dictarum disputationum ostensione, aut etiam allegatione confutari, fraudem simul Hæreticis huius nostri sæculi familiarem detegendo, qui ex Catholicorum disputationibus argumenta diuinæ veritatis gladio iugulata, ac prorsus emortua furtiue surriperet, ac veluti viua in publicum disputationis cõfessum proferre non erubescunt. Calumnijs igitur, & imposturis Martij, sicut non valde breui, ita nec prolixa nimis oratione respondere constitui, omisis allegationibus, & probationibus in re præfenti minimè necessarijs, quas tamen vberimas apud supranominatos Theologos licebit cuilibet studio veritatis inspicere. Ea verò tantùm adducam, quæ ad Catholicarum propositionum probationem, aut Hæreticorum confutationem esse videbuntur opportuna, quantum instituta præfatis Apologiæ breuitas patietur: fraudes, imposturas, & falsitates in præfatione Martij passim latentes detegam, patentes verò notabo, & verasque Catholicæ veritatis gladio pro posse fugare, & iugulare Deo auxiliante conabor. Quamuis autem recta ratio postulare videatur, vt, cum Martius, ex Presbytero, & animarum Pastore Catholico factus sit Calvinistarum Minister, de statu illius execrando verba faciam, stylum tamen freno catholicæ, & religiosæ modestiæ cohibendo dico, me prolixæ, & vniuersis auditoribus molestæ Martij præfationi, quam publicæ disputationi inter me, & ipsum, ac decem alios eiusdem sectæ ministros factæ de Sacrosancto Missæ sacrificio responsurum constituisse discursam illum, longè plus verborum, quam substantiæ, aut artis continentem ad capita quædam reducere, nonnunquam etiam, cum necesse

-300-

F 2

fuc-

fuerit, verba Martij propria interserendo, vt non solum Catholici, & Hæretici, qui disputationi prædictæ præsentibus extiterent, & suis eam auribus exceperunt, sed etiam omnes, ad quos huiuscæ nostræ Apologiæ scriptura peruenerit, euidenter agnoscant, plenè, atque cumulatè nostris responsionibus Martij, ac sociorum eius sophismata fuisse reiecta.

Septem igitur sunt præcipua capita, quibus quædam intermiscuit, non minùs impertinentia, quàm venefica, vt populum Plurij catholicum, & gentem vallis Clauenne, ceterarumq; circumstantium vallium in baratrum suæ pessimæ sectæ pertraheret.

Primū caput.

In primo capite latè stylum extendit, vt probet exemplo Saluatoris Domini nostri Iesu Christi, Apostolorum, & Ecclesiæ Doctorum licitam esse de fidei dogmatibus disputationem. Quæ propositio sic absolutè posita, & absque debito circumstantiarum, & conditionum sale prolata, non potest absque condigna censura, & reprehensione transire. Nam, qui dubitans de fidei veritate disputaret, hoc ipso fidelis esse desineret, & verè, ac simpliciter esset infidelis, iuxta dictum illud Sancti Stephani Papæ: *Dubius in fide infidelis est, cap. 1. ext. de Hæret.* quanquam idolatræ, aut cuius fideli veritatem ignoranti liceat ad fidei veritatem inquirendam cum viro catholico disputare; hac enim via facilè ab infidelitatis cæcitate discedet, & fidei lumen aspiciet. De fidei verò dogmatibus disputare ad oppositos eis errores confutandos quandoque licet, quandoque non licet. Nam, si disputatio sit inter viros de fidei veritate sufficienter instructos ad acuendum intellectum, & veritates fidei lucidiùs intelligendas, bona, & utilis est, ac planè laudabilis; disputatio etiam facta coram simplicibus in fide dubijs, & ab Hæreticis seductis, aut tentatis, vel etiam ab eis in infidelitate retentis, seu firmatis, non solum utilis est, sed etiam quàmmaximè necessaria, quando id munus per viros doctos possit exerceri. His verò deficientibus conditionibus, & circumstantijs de rebus fidei disputare non expedit; quinimò valdè perniciosum est coram simplicibus in controuersiam

voca-

Stepha.
Papa.

vocare dogmata fidei, in eorum cordibus ab ineunte ætate firmiter radicata; quod etià Martianus Imperator de Catholica Ecclesia benemeritus in quadam sua lege, non minus pie, quàm eleganter expressit dicens: *Iniuriam faciunt dicio religiosissima synodi, qui semel iudicata, aut rectè disposita reuoluerit, aut publice disputare contendit.* Et Apostolus 2. ad Timoth. secundo cap. de disputationibus loquens eo modo factis, quo ob nimis elatum Hæreticorū supercilium plerumq; fiunt, dixit: *Noli verbis contendere; ad nihil enim prode est, nisi ad subuersionem audientium.* Debit ergo Martius propositionem auctore dictis conditionibus, seu limitationibus circumseptam; alioquin sic absolutè prolata admittenda non est. Nec aliud superiùs indicatè probant auctoritates, & exempla, nisi licitam esse disputationem in materia fidei, si prædictis fuerit vallata circumstantijs. Et certè considerata qualitate, & in fide Catholica constantia populi Plurienfis nõ erat expediens disputare de Sacrosancto Missæ Sacrificio, iam ab exordio nascentis Ecclesiæ ab ipso Domino Iesu Christo instituto, & a successoribus eius Apostolis, & Summis Pontificibus, & Sanctorum Patrum doctrina, & vsu Ecclesiæ Catholicæ firmissimè roborato. Et quoniam huic primo capiti Martius diuersa commiscet, quorum magna pars, est illi doctrinæ, quam profitetur, aduersa, non erit abs te, singula hæc velut Hydriæ capita pululantia ignito sana doctrinæ gladio præcidere, ne multiplicata sobole in simplices Ecclesiæ Catholicæ filios præui dogmatis venena diffundant. Sunt autem huic primo capiti inserta puncta quinque

Primum est eius expressa confessio declarans, *Saluatoris nostri, postquam ex hac vita migrarunt Apostoli, Sanctam Ecclesiam non dereliquisse, sed singulis succedentibus successoribus, ut ad eam misisset Pastores, & Doctores viros, magna doctrina, & sanctitate, vt Tertullianum, Origenem, Basilium, Athanasium, Chrysostomum, Cyprianum, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, & alios, qui populum Christianum erudierunt in doctrina Apostolorum, & Prophetarum, quæ scientia salutis est, ac merito potest appellari. Quæ si vera sunt; vt Martius ab ipsa veritate conuictus non fuerit: consequens necessariò est*

Martian.
Imperat.

Secunda ad
Timo, se-
cundo.

Martij

capitulum

Primum
punctum

capitulum

yniuerſa Caluinistarum, & Lutheranorum dogmata, que
 contra doctrinam Ecclesie Catholice, & Apostolice Ro-
 mane docent, & predicant eorum Ministri, esse meras fal-
 sitates, & errores: Singulariter autem ea, que tam frequen-
 ter contra Sacrosanctum Missæ Sacrificium inculcant. Con-
 stat enim prædictos Sanctos Patres illam eandem doctri-
 nam communi consensu docuisse, quam hodie docet, &
 prædicat Ecclesia Sancta Catholica, & Apostolica Roma-
 na; specialiter autem de Sacrosancto Missæ Sacrificio. Nam
 Tertullianus in libro ad Scapulam, ita loquitur: *Sacrificamus
 pro salute Imperatoris*; & in libro de Corona Militis: *affir-
 mat consuetudine receptum esse, ut oblatio fieret quolibet
 anno pro Defunctis, & natalitijs*; & in eodem libro loquens
 de ritu sacrificij anniuersarij pro Defunctis ait: *traditio est
 auctrix, consuetudo confirmatrix*. in libro de Penitentia, ge-
 nuflexionem enumerat: *pœnitentium ante Altaria Deo di-
 cata*: Extabant igitur altaria tempore Tertulliani, ante
 que genufledebant penitentes, ac proinde etiam oblatio-
 nes, & sacrificia super illa à fidelibus Deo per manus Sacer-
 dotum oblata: ad nullum enim alium finem instituta sunt
 Altaria, quam ad Sacrificium. Origenes homelia 17. su-
 per Iesu Naue de Sacerdotibus meminit nouæ legis; tan-
 quam distinctis à laicis dicens: *Si enim Laicus, que necessa-
 ria sunt, non præbuerit Sacerdotibus, occupati illi in talibus, id est
 corporalibus, minus legi Dei vacabunt*. & in hom. 8. in Eze-
 chielem de ordinatione loquitur Sacerdotum; Constat au-
 tem Sacerdotio coniunctum esse sacrificium, adeò, ut ne-
 queat esse Sacerdos sine potestate, & officio sacrificandi;
 Hoc enim est proprium eius munus, ac finis, ad quem Sacer-
 dotalis dignitas ordinatur: Nā (ut ait Apostolus ad Hebr.
 5. cap. *Omnia Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus
 constituitur in ijs, que sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia*.
 Sanctus Basilius integram scripsit Liturgiam, in qua
 distinctè, ac ordinatè, recenset ea, que traditione Aposto-
 lica cognouit ab ipsis Apostolis fuisse sancita, ut Sacrosan-
 ctum Missæ Sacrificium à Sacerdotibus cum ea celebrare-
 tur reuerentia, & maiestate, que tanto conuenit sacrificio,
 & in epist. 63. nouæ legis altare commemorat. Sanctus

Atha-

Athanastus in sermone de Defunctis, quem Damascenus
 allegat: de Missæ sacrificio loquens ait: *Inuenta Hostia ob-
 latio, propitiatio est*: Et in vita Sancti Antonij scribit idem
 Doctor, Sanctum Antonium Arrianam hæresim propheti-
 ca visione præuidisse, qua sibi videre videbatur, feroces
 quosdam mulos, qui calcibus altaria Christi diruebant,
 Quod si visionis huius tempore non erant altaria, quod esse
 potuisset dicte visionis fundamentum? Sanctus Ioannes
 Chrysostomus integram, & ipse composuit Liturgiam, in
 qua Apostolicis inherens institutis modum describit cele-
 brandi in Sancto Missæ Sacrificio. Et in hom. 69. ad popu-
 lum Antiochenum, ita loquitur: *Non temerè hæc ab Aposto-
 lis sancita fuerunt, ut in tremendis mysterijs Defunctorum aga-
 tur commemoratio; Sciunt enim inde multum contingere lucrum,
 multam utilitatem*. & in hom. 24. in primam ad Corint. Ita
 scribit: *Hic autem multo admirabilius, & magnificentius sacri-
 ficiam præparauit, & cum sacrificium ipsum commutaret, &
 pro brutorum eade seipsum offerendum præciperet, &c.* Et in
 Hom. in secundam ad Timoth. ait: *Sacra oblatio, siue illam
 Petrus, siue Paulus, siue alius cuiusuis meriti Sacerdos offerat,
 eadem est, quam dedit Christus ipse Discipulis, quamque Sacer-
 dotes modò quoque conficiunt: nihil habet ista, quàm illa minus,
 Cur id? Quia non hæc sanctificant homines, sed Christus, qui il-
 lam ante sacrauerat*. & in hom. 18. & 21. in Acta Apostolo-
 rum affirmat, tempore suo consueuisse fideles pro fructibus
 terræ, & alijs necessitatibus Missæ Sacrificium offerre. San-
 ctus Cyprianus libro secundo, epist. tertia, sic loquitur: *Quis
 magis Sacerdos Dei Summi, quàm Dominus noster Iesus Chri-
 stus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod
 Melchisedech obtulerat, Panem scilicet, & Vinum, hæc est corpus
 suum, & sanguinem? Legat. Martius, & eius sodales totam
 illam epistolam, & suam manifestè cæcitatem agnoscent:
 Perpendant, obsecro, hæc, que sequuntur, eiusdem episto-
 læ verba, Per Salomonem Spiritus Sanctus typum Dominici
 sacrificij præmonstrat, immolata Hostia, & Panis, & Vini, sed,
 & Altaris, & Apostolorum faciens mentionem. Idem in Epist.
 prima, libro primo prohibet offerri sacrificium pro quo-
 dam defuncto, qui Sacerdotem reliquerat rerum tempora-*

F 4

lium

lium procuratorem, & facione in d'signans ait: *Quis non est dignus, ut pro illo sacrificetur, qui Sacerdos est Dei ab altari abstraxit.* Legant Sanctum Hieronymum in episc. ad Damasum de filio Prodigio, & in epist. ad Marcellam, ut migret Bethleem, & in Epist. ad Euagrium, & in questionibus super Genesim cap. 34, &clare cognoscent, quae fuerit huius Sancti Doctoris sententia de Sacrosancto Missae Sacrificio.

Ambros. Sanctus Ambrosius, & ipse Lithuogiam scripsit de huius Sanctissimo Sacrificio, quod per seipsum per sancto, ac feruente de se obtulisse significat, libro quinto epistola 38, dicens: *Ego tamen transiit in mente, missam facere, & apertis in terpositis: Orare in oblatione Deum, ut subueniat.* Legant eundem in libro 4. De Sacramentis, cap. 3, & sexto, & libro quinto cap. primo, & De inuicandis mysterijs, cap. 8, & in primo cap. Liber, & libro primo, de officijs, cap. 48, in quibus locis perspicue videtur, D. Ambrosium loqui de vero, ac proprio Missae sacrificio, quod hodie sancta frequentat Ecclesia Catholica, Sanctus August. in sermone 90. de tempore his verbis sacrosanctum Missae sacrificium commemorat: *In te libione, quae nobis ad missas legenda est, audiri sumus, &c.* Et in Psal. 33. Concione secunda sic ait: *Ipse de corpore, & sanguine suo sacrificium instituit secundum ordinem Melchisedech.* Videant eundem in tertio libro de Baptismo contra Donatistas, cap. 19. & lib. 20. contra Faustum, cap. 21. lib. 17. de Ciuitate Dei cap. 5. & 7. & lib. 83. questionum, quae st. 61. Omitto quamplura huius, & aliorum Sanctorum Patrum supranominatorum loca, quae nulla possunt ad sensum mysticum interpretatione, seu glossa detorqueri: Non enim patitur huius nostrae Apologiae breuitas, ut vberem, ac latam sententiarum farraginem ex dictis, & alijs Sanctis Patribus, & vetustissimis Ecclesiae Catholicae Concilijs huc ad verbum translata referamus; sed qui fuerint ueritatis studiosi, hanc, quam defendimus, ueritatem in praedictorum Sanctorum Patrum scriptis, & locis superius indicatis agnoscent.

Secundum punctum. Venio nunc ad secundum punctum insertum primo de praefationis capitulo, quod Ioannes Martius his verbis expressit: *Et oblata eis occasione disputatus aduersus eos, quae*

Hierony.

Ambros.

S. August.

Secundum punctum.

dedissent, ut docere conuissent, aliam doctrinam, aliam scientiam salutis, & aliud Euangelium ab eo, quod fuit ab Apostolis praedicatum, & a Prophetis praedictum, suisque argumentis conuincerent, qui nouas leges, aut novos modos Deum honorandi, & illi seruienti introduxissent, aut introducere molirentur, quod ipsi diligenter, & optime praestiterunt, ut in eorum libris uideri est. Certè, si Martij temperationem, malinconiam, & terretes non obstitisse, recta ratio postulabat, ut in dictis uerbis recitandis erubesceret, siquidem noua doctrina, noua scientia salutis, immo perditionis, Euangelium ab Apostolorum doctrina diuersum, nouus modus Deum in honorandi, ablato debito sacrificij cultu illi soli proprio, a modernis Haereticis Lutheranis, & Calvinistis inuenta sunt, cum manifestè doceantur, quae antiquissimae Catholicae doctrinae usui, & sensui Sanctae Matris Ecclesiae, & Sanctorum Patrum, & uniuersalibus Concilijs sunt aduersa. Quae mirandum non est, illis idem contigisse, quod eorum antiquis Patribus accidit, scilicet Arianis, Sabelianis, Nestorianis, & alijs similibus, qui egressi a Congregatione fidelium Sanctae Matris Ecclesiae Catholicae Romanae, in signum erroris sui, in sectas quasi innumerabiles sunt diuisi, in hoc suos etiam praedecessores imitando.

Tertium eiusdem primi capitis punctum his sequentibus uerbis comprehenditur. *Et interim appropinquante tempore, in quo praedictum fuerat ab Apostolo Paulo, nonnullos a fide discessuros, qui sanam doctrinam non sustinebant, & auertentur a ueritate ad fabulas, propter hoc tamen suam Ecclesiam Dominus non dereliquit, sed ex tenebris, in quibus exultat, & latebat, illam eduxit, & oculis hominum hic, & alibi conspicendam praesentauit, donec ueniret rebellio, id est a fide discessio, & reuelaretur filius peccati, de quo Sanctus Apostolus Thessalonicensibus scripsit.* punctum hoc duas habet partes. Ea prima non est ab similibus puncto praecedenti, & lethali uulnere percutit Martij pertinaciam, quae relicto Ecclesiae gremio, nec sustinens sanam eius doctrinam, totus ad fabulas, & chimeras ab ingenijs eorum nouarum, cupidis aduentas est conuersus.

Secunda uero pars, tangens reuelationem hominis peccati.

inueniunt

Tertium punctum.

cati, idest Antichristi, supponit ex ignorantia, aut potius ex malignitate modernis omnibus Hæreticis Lutheranis communi iam esse reuelatum hominem peccati, de quo loquebatur Apostolus: quod hætenus nullo, vel leuiter apparenti potuerunt veritatis colore suadere; cum nimis clare loquantur diuinæ scripture in secunda ad Thessalonicenses secundo in Daniele cap. 7. 8. 9. 11. & 12. in Apocal. 11. & 13. & alijs locis, qui secundum Sanctorum Patrum intelligentiam de vna, & sola loquuntur particulari persona tempore vniuersalis iudicij nascitura, quæ secundum Danielis prophetiam tollet iuge, siue quotidianū sacrificium; quod hætenus à nemine factum est, præterquam à Lutheranis, & Calvinistis, in paucis quibusdam locis, vbi viribus, & numero fuere Catholicis superiores.

Quartum punctum.

Quartum punctum insertum primo capiti verbis illis exprimitur: Tunc temporis obscurata veritate, veraque Theologia in Philosophiam, & in quæstiones inutiles, & impertinentes conuersa, & cultu, seruitioq; diuino ex spirituali in carnalem mutato, & in ceremonias, & superstitiones conuerso Ecclesia Dei desijt apparere, & seipsam euidenter ostendere, quæ admodum in diebus Eliæ Prophetæ, qui existimans, se solùm ex fidelibus fuisse relictum, non videbat septem millia hominum, qui non curuauerant genua ante Baal, sicut scribit historia tertij libri Regum, &c. Quibus verbis tribus insignibus imposturis Martini prosternere conatur Ecclesiam.

Prima est, Theologiam in Philosophiam, & in quæstiones inutiles, & impertinentes fuisse conuersam, Scholasticam Theologiam, cuius, nec prima nouit rudimenta, significans: quam ideo rudi stylo veluti sibi contrariam persequitur, manifesto tamen errore decipitur, aut decipere vellet Martinus: Non enim in substantia differt, vt ille significat, scholastica Theologia ab antiqua Sanctorum Patrum Theologia, sed in modo tantùm magis compendioso, & faciliori, eo quod ad formam cæterarum scientiarum sit redacta, quibus etiam vtitur in ordine ad finem proprium: Conuenit autem, hisce præsertim temporibus, talis doctrinæ modus ad modernorum Hæreticorū fallacias, & cauillationes, commodius, & euidentius confutandas. Conuen-

niebat siquidem hanc scientiã omnium Reginam (Sacram dico Theologiam) cæterarum scientiarum humanitus acquisitarum ornamento decorari, vt benè docet Sanctus Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 4. dicens, Nihil aliud esse sumere disciplinas humanas ad ornamentum sacrae Theologiæ, quàm imitari filios Israel, qui à Pharaone fugientes secum detulerunt vasa aurea, & variam Aegypti suppellectilem, vt in ornamentum Tabernaculi res magis preciosas offerrent. Et Sanctus Hieronymus ad Magnum oratorem, & ad Damalum Papam de filio Prodigio dicit, Nihil aliud esse humanam accipere Philosophiam, & alias naturaliter acquisitas disciplinas in ornamentum Christianæ sapientiæ, quàm pulcherrimam ducere mulierem infidelera captiuam, & ancillam ad populum Dei, iuxta documentum Deuter. cap. 21. in quo præcipiebatur, vt si fortè in bello ab aliquo filiorum Israel capta fuisset aliqua mulier, quæ capienti placeret, duceret, eam in domū suam, capillos eius raderet, ungues circuncideret, vestes exueret, quæ habebat, quando capta fuit: ita (inquit Sanctus Hieronymus) conuenit Doctorem Theologum scientiarum humanarum habere peritiam, vt ab eis, rasis, circuncisis, & separatis omnibus superfluis in reliquis seruiant sacrae Theologiæ. Quid enim nouit Danieli litteras Caldeorum didicisse? & Moyfi fuisse doctissimum in omni scientia Aegyptiorum?

Secunda Martini impostura est; Diuinum cultum ex spirituali factum fuisse carnalem, & in ceremonias verum superstitiosas. Quibus verbis satis aperte significat, diuinum cultum externis ceremonijs copulatū esse carnalem, & superstitiosum. Non ita docuit Sanctus Augustinus, cuius doctrina (vt Martinus ipse confitetur) conformis est diuinis scripturis; In libro, namq; de cura pro mortuis cap. 5. & in epist. 119. cap. 112 & libro 9. Confessionum cap. 6. & 7. docet, externas ceremonias, sicut ab interna pia affectione, & deuotione nascuntur, ita eandem conseruare, nutrire, & augere. Quod esse verum experientia docet in populo Catholico: quam ob causam inter Christianos in summo semper pretio habitæ fuerunt ceremoniæ; sicut etiam docet Sanctus Basilius epist. 63. & Sanctus Leo in epist. 4. & Innocentius in epist. prima ad Decentiū, vbi reprehendunt

S. Auguf.

S. Hiero.

S. Hiero.

S. Auguf.

S. Basilius.
S. Leo.
Innocentius.
Papa.

dunt nonnullos Clericos, & Episcopos, eo quod diuini cul- tus ceremonias ignorarent.

Tertia Martij impostura, & falsitas est, Sanctam Eccle- siam per aliquod tempus latuisse, sequeq; ab hominum aspe- ctibus subtraxisse. Aduersatur enim dictum hoc manife- ste plurimis locis diuinæ scripturæ; singulariter autem di-

Matth. 5.

S. August.

cto illi Saluatoris: Matthæi quinto. Non potest ciuitas ab- scondi supra montem posita. Quæ uerba Sanctus Augustinus libro de unitate Ecclesiæ cap. 14. exponit, ac docet, esse in- telligenda de Ecclesiâ; qui etiam in tractatu secundo in Epistolam Sancti Ioannis exponens ea uerba Psalmi 118. In Sole posuit tabernaculum suum; ait: Ecclesiâ omni in Sole re- posita est, non est in nocte, sed in die, sed quare illi non agnoscunt? Et in eodem tractatu: Quid amplius dicturus sum, quam ca- eos, qui tam magnam montem non uideant? qui contra lucernam in candelabro positam oculos claudunt? Et in primo tractatu: Nunquid digito ostendimus Ecclesiam statros meos? Nonne aper- ta est? In Isaia cap. 2. in Danielis cap. etiam secundo in Mi- chæa cap. 40. comparatur Ecclesia monti præ excelsis, qui nulla ratione potest abscondi; sicut Sanctus Augustinus exponit in primo tractatu super Epistolam Sancti Ioannis in fine, & Sanctus Hieronymus, Sanctus Ioan. Chrylost. hom. 4. in 6. cap. Isaia sic loquitur: Facilius est Solem extin- gui, quam Ecclesiam obscurare. Fallum est igitur, Ecclesiam fuisse per aliquod tempus occultam, aut posse, vel ad ho- ram occultari, ut iam perspicue patet ex prædictis Docto- ribus, & scripturis. Ad allegatam autem extertio lib. R. g. auctoritatem dico, non esse ad propositum, Non enim ibi de Ecclesiâ uniuersali, aut de toto populo Israelitico sermo est, sed de ea tantum parte, Quæ Regi Sarraceno obediebat, ut satis apparet ex sacro Textu, & per se clarum est ex diu- na scriptura regnasse tempore Elze Aisa in Hierusalem, & post illum Josaphat, & eodem tempore plusquam centum millia hominum Israelitarum extitisse, qui Deum uerum adorabant, & illi sacrificia offerbant in Templo Salo- monis.

S. Hiero.
S. Chryl.

Aug. 2.

Quintum

Quintum punctum eiusdem primi capitis proxime se- quenti, quod uerbis continetur: Et de hoc Ecclesiâ Dei, & quod ab

hac nostra tempora uisibilis apparere; in quibus fuit per Euan- gelij prædicationem, & lucem eius clarissimam reuelata, & ocu- lis hominum uisibilis præsentata in uillis, castris, urbibus, regio- nibus, prouincijs, & regnis integris; quâquam odio habita, muni- di persecutionibus afflicta, sicut ab initio semper fuit, & erit us- que ad ultimam diem, in quo uocabit eam Dominus, ut regni sui faciat eam esse participem.

Quæ uerba quatuor habent partes. Prima est, Eccle- siam desisse usque ad hæc nostra tempora, uisibilem appa- rere; quam ut euidentem falsitatē clarissimis diuinæ scrip- turæ, & Sanctorum Patrum testimonijs supra confutauim- us, probantes per nullum temporis spatium Ecclesiam latere potuisse, ut oculis hominum, quasi è latebris emer- gens denuò uisibilis appareret.

Secunda pars est, apud Hæreticos Lutheranos, & Calui- nistas Euangelicam ueritatem prædicari. Quod non erat simpliciter asserendum, sed aliquibus saltem apparentibus argumentis confirmandum; notissimum enim omnibus est, Martium, & alios eiusdē sectæ ministros nihil minus quam Euangelicam ueritatem prædicare, sed nouas semper ad- uersus Ecclesiam, & eius Prælatos, ac Religiosos impostu- ras, & calumnias auribus ingerere populorum; & si qua ex Euangelio prædicant, ea simplicibus auditoribus porri- gunt ueneno falsæ interpretationis infecta.

Tertia pars est, sectam Caluinistarum ad Ducatus, Pro- uincias, & integra Regna fuisse dilatatam. Quod absolu- tē falsum est, nisi forte uelit Ioannes Martius ex multis se- ctis Hæreticorum non solum in Prouincijs, & Regnis, sed etiam in singulis eorum uillis, & domibus simul coniunctis unam duntaxat adunari, eo quod omnes in hoc uno con- ueniunt, quod Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Romanæ sunt aduersæ.

Quarta pars insinuat Caluinistarum sectam, quam Ec- clesiam Dei Martius appellat, odio à Catholicis haberi, quos nomine Mundi significat, & ab eis persecutionem pa- ti. Sed quomodo Caluinistæ sunt Ecclesia Dei, qui, nec Summorum Pontificum Christi Vices in terra gerentium, nec Generalium Conciliorum totam Ecclesiam Catholi- cam

cam representantium, definitiones, nec solidissimam, & unanimem Patrum doctrinam in diuersis Ecclesie sæculis in Euangelica, & Apostolica traditione fundatam recipiunt? Et quomodo Mundi nomen Catholicis cõgruit; qui, docente Domino, firmissima fide credunt, ac prædicant Mundi delicias esse fugiendas, agendam esse peccatorum penitentiam, ieiunando, carnem affligendo, diuitias contemnendo, paupertatem sectando, aduersa patienter, & humiliter tollerando, bonis operibus, inhærendo, & diuinæ pietatis auxilium feruidis orationibus implorando? Certè si doctrinam inspicias Calvinistarum, nihil redolet, nisi noxiam contra leges diuinas libertatem, mundanas, carnalesq; delicias; ieiunia namq; stertus, cilicia, disciplinas, peregrinationes, carnis macerationes, omnem deniq; penitentia modum abiecerunt; quidquid doceat Euangelium, clamans: *Pœnitentiam agite*, quidquid de semetipso Paulus ad nostram eruditionem fateatur: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiam*: quidquid antiquorim Conciliarum canones de fidelium pœnitentijs statuierint, & deniq; quidquid tot Sanctorum Patrum exempla, & scripta docuerint, & perpetua Ecclesie Catholice consuetudo, firmauerit. Cum itaq; tot modis Hæretici Calvinistæ ab Ecclesia Dei Catholica, & Apostolica Romana, quæ omnium Ecclesiarum caput est, & Magistra, desciuerint; mirum non est, eam sua auctoritate, ac pietate materna, desertores suos, quondam filios, ad fidei, & Sacramentorum unitatem, reuocare, ac pertinaciter resistentes debita animaduersione punire. Reliquis huiusce primi capitis obiectis abunde satisfecimus in principio.

Matthæi 3.
& 4.
Pr. Cor. 9.

Secundum
caput.
Punctum
primum.

Secundum caput principale duo continet puncta. Primum illis verbis comprehenditur: *Singulariter autem disputatum est, quodnam sit sacrificium, per quod remissionem accipimus peccatorum, & cum Deo reconciliamur, & a quo fuerit institutum, & ordinatum*. Quibus verbis haud sincere, minusq; fideliter statum explicat Controuersiæ. Non enim quæstio est, quodnam sit sacrificium, per quod remissionem habemus peccatorum, & sumus Deo recõciliati; quasi

nos Catholici duo constituamus sacrificia omninò distincta, & minimè subordinata; alterum scilicet cruentum in Cruce peractum, & alterum incruentum iugiter à Sacerdotibus oblatum; & inquiretur, quo ex his duobus remissionem habeamus peccatorum, an per cruentum, An verò per incruentum, Quod esse falsissimum ex eo patet: quòd utriusque vna est res oblata, corpus scilicet, & sanguis Saluatoris Domini nostri Iesu Christi, & utrumq; etiam offertur ab eodem Summo Sacerdote Christo, qui, cum semel obtulerit semetipsum in Cruce, quotidie semetipsum offert per manus Sacerdotum in Sacrosancto Missæ Sacrificio sub speciebus Panis, & Vini; propter quod à David, & ab Apostolo Paulo dicitur *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech*; quanquam inter se differant. Primò, quo ad ritum, cum alterum sit cruentum, & alterum incruentum. Secundò, quo ad proximum, & immediatum offerentem: in priori namque; scilicet cruento proximum offerens fuit Christus; In hoc autem; scilicet incruento proximum offerens est Sacerdos Christi minister. Tertiò, quo ad modum causandi salutem: illud enim, scilicet cruentum eam efficit per modum sufficientiæ, & causæ vniuersalis; Hoc autem, scilicet incruentum eandem causat per modum efficientiæ, & causæ particularis applicantis virtutem causæ vniuersalis, sicut etiam faciunt omnia nouæ legis Sacramenta, licet differenter à sacrificio: Illa enim immediatè, & per modum instrumenti, & causæ physice; Hoc autem mediatè, & per modum impetrationis habet effectum. Cum ergo non omninò differant hæc duo sacrificia, scilicet Crucis, & Altaris, sed modis iam dictis conueniant, & vnum alteri subordinetur, non est quærendum, quo sacrificio remissionem accipiamus peccatorum, siquidem per utrumq; illam habemus: per cruentum quidem, tanquam per causam vniuersalem; per incruentum autem, tanquam per causam particularem applicantem modo dicto virtutem causæ vniuersalis ad singularia. Rursus per cruentum fit peccatorum remissio sufficienter; per incruentum autem efficienter. Demum per cruentum pretium habemus redemptionis; per incruentum autem particularibus hominibus redimendis appli-

Pl. 109.

Sacrificij
cruenti, &
incruenti
differentiæ.

applicatur, ut dictum est. Status igitur præsentis nostræ Controversiæ est: An Sacrosanctum Missæ Sacrificium fuerit institutum à Christo, ac proinde sit de iure diuino, an verò ab hominibus Ecclesiæ Ministris, atque ideo sit de iure positivo. Sicut etiam publica vtriusq; partis manu firmata scriptura testatur.

Punctum
secundum.

Alterum huius secundi capitis punctum est, in quo frustra desudat Martius Deum rogando, ut illi faueat ad cognoscendum sacrificium Crucis solum pro omnibus peccatis nostris esse sufficiens; quod nullus vnquam Catholicorum negauit. Non enim asserimus, institutum fuisse sacrificium incruentum ad supplendam sufficientiam, aut virtutem sacrificij cruenti, sed ad applicandam nobis eius virtutem vniuersalem, & infinitam, sicut etiam dicimus necessarium esse baptismum, ut per illum virtus passionis, & mortis Christi nobis applicetur; nec tamen per hoc fit præiudicium, aut iniuria infinite virtuti passionis vnigeniti filij Dei humani generis Redemptoris; Idem ergo merito dicimus de sancto Missæ Sacrificio modo superius explicato.

Tertium
capitulum.
Punctum
primum.

Tertium caput principale duo puncta complectitur. Primum est modus, & ordo in disputatione tenendus. Secundum est status Controversiæ. Nititur in primò probare necesse esse rem illam primò diffinire, de qua volumus disputare, quasi volens ostendere, se nonnullam humanarum scientiarum habere cognitionem. In qua res tres satis patentes Martij errores intueor: primus est, illum se reprehensione dignum ostendere, quòd cum vsum Philosophiæ in rebus Theologicis examinandis tam acriter reprehenderit, nunc ad eundem tanquam ad tutissimum Asylum recurrat. Secundus est, quia non satis explicat, ad quem pertineat prædictam asserere diffinitionem: Nam, si (ut postea significat) id munus est arguentis; male in disputatione se gessit Martius, ac turpiter à promulgata per eum lege defecit, non adducendo propriam sacrificij Missæ diffinitionem, sed aliam imperfectam, claudicantem, & tanti sacrificij naturam minimè declarantem, quam esse veram, nec leui quidem potuit argumento probare. Tertius error

est.

est, quòd cum paulo inferius negauerit, Missæ aliquam esse definitionem, sibi suum præcipuum eradicat fundamentum ad Missæ sacrificium impugnandum. Nam (ut in hoc bene dicit) nullum esse potest medium efficacius ad necessariò concludendam, quàm arguendo à diffinitione ad diffinitum.

Punctum
secundum.

Quo ad secundum punctum, statum scilicet controversiæ. Ioannes Martius immemor proprij sui documentis, disputationis campum ultra legitimos fines extendit; Huic enim disputationi quædam inserit supponenda, quædam extranea, & quædam impertinentia. Nam, quòd ait, transubstantiatione, eo quòd sit Missæ sacrificio valde coniuncta, ut eius fundamentum, & spiritus, esse prius examinandam, & cognoscendam, quæstio quidem est nostræ huic annexa controversiæ, sed hoc ipso supponenda est, quòd illius est fundamentum, ne ex vna quæstione in aliam, & vsque in infinitum abeat disputatio. Et quamuis admitteremus, teneri Missæ defensorum proposita contra transubstantiationem argumenta diluere; non ideo tamen erat hæc quæstio proponenda, tanquam directè pertinens ad statum præsentis nostræ controversiæ; sed leges disputationis obseruando nec terminos, nec formam difficultatis propositæ debuit præterire. Loquimur autem hic de transubstantiatione formaliter, ut transubstantiatio est; nam, ut oblatio quædam est, ad rationem pertinent sacrificij. Multò verò minus ad præsentis controversiæ difficultatem pertinet sermo, quem Martius ingerit, de remissione peccatorum, & purgatorio: sunt enim à puncto propositæ quæstionis extranea, & ad illud minimè pertinentia: quarimus enim an Missæ sacrificium sit institutum à Christo; alioquin necesse esset etiam hic agere de ratione cõmuni sacrificij, eo quòd sacrificium sit huius, de quo agimus, sacrificij genus, & de Sacerdotio, quia sacrificium offertur à Sacerdote; & de altari communiter accepto, quia sacrificium fit in altari; & de virtute religionis, quia sacrificium est actus religionis, & de multis alijs rebus ad sacrificium aliqua ratione concurrentibus, aut ei connexis; quæ tamen directè, & formaliter intra limites huius nostræ controversiæ non contingunt.

G

Quar-

Quartum
caput.
Punctum
primum.

Quartum caput quatuor puncta complectitur. In primo sex continentur propositiones. Prima est; Missam non esse sanctam illam cenam, quā Dominus noster expleuit cum discipulis suis, & præcepit, vt in suæ passionis, & mortis memoriam celebrarent. Quæ propositio sacris aduersatur Euangelij, vbi de Dominica cœna loquuntur iuxta communem sanctorum Patrum expositionem, si (vt planus verborum indicat sensus) Martius ea propositione ab actione cœnæ Dominicæ sacrosanctum intendit excludere Missæ sacrificium, quod in altaris mensa celebratur; alioquin neque nos dicimus, actiones omnes, & verba omnia à Domino in illa sacra cœna prolata ad sanctissimum Missæ sacrificium, aut ad illius institutionem pertinere: sed duotantum ad substantiam sacrificij à Domino in cœna facti credimus pertinere. Primum est cōsecratio per verba, quarum virtute fit transubstantiatio panis in corpus, & vini in sanguinem Domini nostri Iesu Christi; secundum est consumptionis actus, quo corpus suum sub specie panis sumpsit, & comedit, deinde Apostolis sumendum tradidit, & similiter de Calice sub vini specie sanguinem cōtinente primus ebibit, ac postea sanctis Apostolis porrexerit, vt ex eo singuli biberent: institutio verò eiusdem sacrificij incruenti, vt in Ecclesia perpetuò celebrandi, clarè patet ex præcepto Domini dicentis in cœna: *Hoc facite, &c.*

Ad primum autem reuertens dico, consecrationem ad huius sacrificij substantiam primò requiri; quoniam ad omne sacrificium necessaria est oblatio, quæ tunc proprie, & realiter fit, quando victima superponitur altari; id verò fit in hoc sacrificio per actum consecrationis, cuius virtute, cum fiat transubstantiatio panis in verum Christi corpus, & vini in verum eiusdem sanguinem, hoc ipso ponitur victima, siue hostia noui testamenti super altare, ac prominde consecratio virtutem habebit, & effectum veræ, ac realis oblationis in hoc sancto sacrificio, in quo etiam commemoratur, ac representatur cruentum in cruce Saluatoris sacrificium, in quo sanguis fuit à corpore separatus. Nam, & si sub speciebus panis sit non solum corpus, sed etiam sanguis Christi Domini, & sub speciebus vini sit non

can.

tantum sanguis, sed etiam corpus, quòd tamen sub speciebus panis sit etiam sanguis, non est ex vi verborum consecrationis, cum per ea conuersio panis in sanguinem minimè significetur, sed hoc euenit per realem concomitantiam, cum post Christi Domini resurrectionem nunquam sanguis fuerit realiter à corpore separatus: quod proportionaliter dicimus de corpore sub speciebus vini contento. In hoc igitur Sancto Sacrificio, considerata virtute consecrationis, representatur mors Christi filij Dei nostri Saluatoris in Cruce. Hanc autem oblationem virtute consecrationis, aut transubstantiationis factam in cœna etiam extitisse Christi Domini Saluatoris habemus primò ex ipsis consecrationis verbis intellectis in sensu proprio; quomodo intelligenda sunt regulariter diuinæ scripturæ verba, in quibus continetur pactum, lex, testamentum, & nouæ legis dogma principale; hæc enim propria, & clara locutione sunt exprimenda: Cum igitur partim in verbis consecrationis, & partim in verbis institutionis omnia prædicta contineantur, necesse est, vt in proprio, non autem in figurato, seu mystico sensu intelligantur: in sensu autem proprio sumpta transubstantiationem significant, quæ realem continet oblationem, vt ante diximus. Cum enim Christus, aut per semetipsum, vt in sacra cœna, aut per Sacerdotem, vt in quotidiano Missæ sacrificio dicit: *Hoc est corpus meum*, si verba hæc in sensu proprio vera sunt, necesse est, vt significant substantiam sub speciebus panis contentam, & hoc pronomine *hoc* significatum virtute verborum Christi esse verum eiusdem Christi corpus; quòd esse, aut fieri nullo modo potest, quàm per transubstantiationem; qua, quòd prius erat panis, fit realiter Christi corpus; Et tunc primò superponitur altari, fitque hac ipsa superpositione realis oblatio. Quòd optimè Sanctus Ambrosius intellexit in libro de Sacramentis, vbi habet: *Si tanta est vis in sermone Domini Iesu, vt inciperet esse, quòd non erat, quòtò magis operatorius est, vt fiat, quæ erant, & in aliud commutentur. Et sic, quòd erat panis ante consecrationem, iam corpus est post consecrationem; quia sermo Christi creaturam mutat.* vbi dicens: *vt fiat, quæ erant,* ostendit in hac consecratione

G 2

non

Euseb.
Emilien.

Tertull.

Chrysol.

Gregor.
Nissen.August.
Beda.

Cyprian.

Obiectis
diluitur.

1. Cor. 10.

non fieri annihilacionem, sed solam conuerfionem. Vnde etiam Eusebius Emilienus dixit: *Nonum tibi, & impossibile esse non debet, quod in Christi substantiam terrena, & mortalia conuertantur*, Tertullianus lib. 4. in Marcionem sic loquitur: *Acceptum panem corpus suum fecit, dicendo, Hoc est corpus meum*. Sanctus Io. Chrysoftom. in hom. de Eucharistia in Encenijs ita scribit: *Num vides panem? num vinum? num sicut reliqui tibi in secessum vadunt? ne sic cogites. Sicut enim si cera igni adhibita, illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit, sic & hic putamysteria consumit corporis substantia*. Gregor. Nissenus in oratione magna cathechetica cap. 37. dicit: *Rectè ergo nunc quoque Dei Verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credo transmutari*. Sanctus Augustinus allegatus à Beda in primam ad Corint. cap. 10. ait: *Non omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi fit corpus Christi*. Denique Sanctus Cyprianus (vñ alios quãplures omitam) in serm. de Cena Domini, ita scribit: *Panis iste, quem Dominus Discipulis porrigebat, non effugit, sed natura mutatur, omnipotentia verbi factus est caro*.

Si ergo virtute verborum Domini Saluatoris fit super altare transubstantiatio panis in verum eiusdem Saluatoris Christi corpus, & vini in verum eius sanguinem, sicut perspicue docent prædicti Patres, quorum doctrinam Martius approbavit; quod etiam semper credidit, & credit sancta Mater Ecclesia Catholica à sanctis Apostolis edocta; igitur virtute consecrationis super altare factæ verè super altare ponitur verum Christi corpus, & sanguis, & hoc ipso utrumque Deo pro nobis offertur: tunc enim victima Deo verè & realiter offertur, cum super altari ponitur ad imolandum. Sed fortasse dicit Martius, & alij eiusdem sectæ ministri oblationem quidem, & sacrificium fieri super altare; sed in facta cœna Saluatoris altare non extitisse, sed mensam. Quibus respondet Apost. in 1. ad Cor. 10. cap. clarè significans Domini mentem ipsum etiam altare fuisse sacrificij noui testamenti. Sic n. ait *Fugite ab idolorum cultura: et prudentibus loquor: vos ipsi iudicate, quod dico: calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguis Domini est? & panis, quem frangimus, nonne participatio Domini est?*

non

quo-

quoniam vnus panis, & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane participamus. Videte Israel secundum carnem, nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo dico, quod idolis imolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid? Sed quæ imolant gentes, Damonij imolant, & non Deo; nolo autem vos socios fieri Damoniorum; non potestis calicem Domini bibere, & calicem Damoniorum; non potestis mensam Domini participes esse, & mensam Damoniorum. In quibus verbis cõparat Apostolos mensam Christi altari Hebræorum, & mensam Gentilium, Eucharistiam sacrificijs, Hebræorum, & Gentilium; societatem, quam sacræ Eucharistiz comestio nobis affert cum Deo, societati, quam Idolatræ cum Damonibus habent eorum sacrificia comedendo. Ex quibus manifestè cõstat, hanc Apostoli comparationem nullum habere posse fundamentum; & formam, nisi intelligamus; mensam Domini, & mensam Damoniorum altaria fuisse, sicut id, quod Hebræorum excipiebat sacrificia, erat altare, & eadem ratione Eucharistiam Domino sacrificari, sicut Hebræorum animalia Deo, ab idolatris autem imolabantur Damonij. Fuisse autem Gentilium mensam altare non obscure significat Apostolus in allegato cap. vbi primum summo cū rigore fidelibus prohibet comestionem in mensa Gentilium, deinde concedit, vt in eorum mensa comedant, si fuerint ab eis inuitati.

Ne igitur Apostolus in eod. cap. sibi contradicat, necesse est, vt intelligamus, duas extitisse Gentilium mensas, alteram in Idolio, in qua erat ipsum altare, in quo idolis offerebant sacrificia, de quo in eadem Epistola cap. 8. dicit Apostolus: *Si quis viderit eum, qui habet scientiam, recumbentem in Idolio*. Alteram priuatam, de qua, idem Apostolus locutus est, cum dixit: *Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne, quod vobis apponitur, manducate. Si quis dixerit, hoc imolatum, est nolite manducare*. Præter hunc locum, alium habemus clarissimum ex eodem Apostolo ad Hebr. 13. cap. verba illius sunt: *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt*. Vbi distinguit altare nouæ legis ab altari veteris testamenti, & ait, eos, qui tabernaculo, id est veteri testamento deseruiunt, edere

1. Cor. 8.

Heb. 13.

G 3

non

non posse: de ijs, quæ fuerint Deo super hoc altare sacrificata. Hi verò quid aliud comedunt, quàm verum corpus, & sanguinem vnigeniti Filij Dei sub speciebus panis, & vini? Cum igitur ait Apostolus, habere nos altare, de quo non habent potestatem, edendi, nisi qui ad nouum attinent testamentum, satis euidenter affirmat Eucharistiam primò super altari sacrificari, & deinde fidelibus in cibum spiritualem, ac super substantialem distribui. Sensem attendant proprium, & litteralem, & in eo persistant, nec vim inferant diuinis scripturis, nec eas cõtra sanctorũ Patrum, & perpetuam totius Ecclesiæ intelligentiam, ac fidem ad mysticos sensus detorquere nitantur, & facillimè intuebuntur, missæ sacrificium in nouo testamento; alioquin pro libito quilibet posset relicto sensu litterali diuinæ scripturæ, fingere sibi metaphoras, & funditus sacrarum litterarum sensum euertere. Prædictis addamus communem sanctorum Patrum consensum, quem ex eorum dictis superius ostēdimus, & infra latius explicabimus, vsũ etiã adiungamus perpetuũ sanctæ Matris Ecclesiæ, & luce clarius apparebit nostri temporis nouatores gratis in re grauissimã, & nostræ salutis quam maximè necessaria sensus sibi confingere metaphoricos, aut impropriõs. Post oblationem necessaria est etiã consumptio sacrificij ad vltimum eius complementum: quod etiã videre est in antiquæ legis sacrificijs, quæ in immutatione, aut consumptione sacrificij complebantur; hæc autem fiebat, aut animal oblatum iugulando, aut rem oblatam igne cremando, aut aliquo alio modo eam in honorem Dei destruendo. In hoc verò sacrificio incruento ea sola consumptio est, quam facit Sacerdos ore sumendo per modum cibi verum corpus Domini nostri Iesu Christi sub speciebus panis, & verum eius sanguinem per modum potus sub speciebus vini; quibus sumendi modis consumitur illud esse sacramentale, quod habet Christus sub prædictis speciebus. Actum autem hunc sumendi corpus suum, & sanguinem sub speciebus panis, & vini, atque adeò consumendi sacrosanctum hoc sacrificium Saluator noster exercuit in sacra cœna, vt Sanctus Lucas testatur 22. cap. quo ad corpus quidem sub speciebus

Lucæ 22.

Lucas testatur 22. cap. quo ad corpus quidem sub speciebus

bus panis, illis verbis: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*: sic enim hæc verba quo ad corporis sumptionem Tertullianus intellexit lib. 4. contra Marcionem propè finem, & alij. Sanguinis verò sumptionem Christus significat his verbis: *Non bibam de generatione vitis, donec Regnum Dei veniat*. Lucæ 22. Et in hoc sensu verba hæc intellexit August. in 3. lib. Confessionum cap. 1. Et sanctus Ioan. Chrysof. in hom. 83. in Match. vbi sic loquitur: *Ipsè quoque bibit ex eo, ne auditis illis verbis dicerent, quid igitur & sanguinem bibimus, & carnem comedimus? ac ideo perturbarentur. Nam & quando prius de his verba fecit, multi solum propter verba scandalum passi sunt, ne igitur tunc id quoque accederet, primus ipse hoc fecit, vt tranquillo animo ad communicationem mysteriorum induceret*. Eundem sensum accepit Euthymius super Lucam dicens: *Si poculum accepit, utique & panem*. Et alij, quos prætereo.

Cum igitur duas habeamus substantiales sacrificij partes, scilicet oblationem, & consumptionem à Christo Salvatore nostro in sacra cœna factas, iam integrum habemus in ea sacrificium. Quibus suppositis, facilius institutionem incruenti sacrificij Missæ è sacro diuinæ scripturæ textu deducemus. Cum .n. Dominus noster dixit Apostolis: *Hoc facite*, absque dubio præcepit, vt illud idem faciant, quod ipse fecerat; Si igitur ipse sacrificauerat, certè volebat, vt & ipsi sacrificarent, instituendo eos eisdem verbis, quibus hæc eos facere præcipiebat, sacerdotes; Ita verba illa intellexit S. August. in expositione psal. 33. quando dixit, Christum instituisse suum sacrificium secundum ordinem Melchisedech. Eandem intelligentiam multò clarius S. Cyprianus expressit in 2. libro, epistola tertia, & alij Sancti Patres, quos breuitatis gratia præmitto, eo quod prædicta Domini verba per se clarè significant præceptum de eadem actione ab Apostolis, & alijs subsequen- tibus nouæ legis Sacerdotibus exercenda, vt interim Apostolicam traditionem hætenus in Sancta Ecclesia conseruatam omittamus; quæ sola absq; alia quauis auctoritate sufficeret ad omnem, qui recta ratione duceretur, intellectum in fide solidandum; præterquam quod Martius nul-

Tertull.

S. August.

Chrysol.

Euthym.

August.

Cyprian.

lam ne minimè quidem apparentiæ rationem ore, vel scripto in contrarium adduxit, cum tamen, sicut promiserat, probare teneretur, nec in vna quidem syllaba, diuinas litteras de Missa meminisse. Falsa est igitur illa prima Martij propositio.

Secunda eiusdem propositio est: Missam non esse sacrificium expiatorium, aut propitiatorium, quod Christus de semetipso pro nobis fecit in Cruce. De hac nulla est inter nos controuersia, supposita differentia sacrificij cruenti, & incruenti, latè superius explicata.

Chrysol.
August.

Tertia Martij propositio est, Missam non esse sacrificium Eucharisticum. Quæ propositio directè pugnat cum doctrina S. Ioan. Chrysol. in psal. 95. & S. Aug. lib. 1. contra aduersarium legis, & Prophetarum, cap. 20. & Sancti Leonis in serm. 8. de Passione Domini. Qui omnes affirmant in sacrificio Eucharistiæ differentias omnes sacrificiorum antiquæ legis contineri. Est igitur Missæ sacrificium Eucharisticum rationem habens excellenter Hostiæ pacificæ ad gratias Deo reddendas de perceptis ab eo beneficijs, adhuc enim finem antiquæ legis Hostia pacifica fuerat instituta.

Quarta eiusdem propositio est, Missam non esse sacrificium applicatorium, quo nobis applicetur Christus crucifixus, & mortuus. De cuius propositionis materia satis diximus in præcedentibus declarando Augustissimè Crucis sacrificium nobis applicari per sacrosanctum Missæ sacrificium.

Quinta eiusdem propositio est: Missam non esse sacrificium commemoratiuum, quo scilicet fiat commemoratio Passionis, & mortis Christi Domini nostri. Quæ propositio, supposita veritate supra stabilita de veritate incruenti sacrificij, è diametro pugnat cum Verbo Christi Domini nostri Saluatoris, qui, vt Evangelicæ verba testantur, expressè præcepit Apostolis, vt idem agerent, idest sacrificium, quod ipse obtulerat, incruentum, offerrent in commemorationem suæ Passionis, & mortis. Et benè in hoc sacrosancto Missæ sacrificio, quo ad singulos eius actus, & verba nil clarius elucet, quam representatio Passionis, &

mor-

mortis Domini nostri Saluatoris.

Sexta propositio est: Missam non esse sacrificium representatiuum eius; quod Christus Dominus noster fecit, & passus est in Cruce pro nobis. Quæ parum differt à præcedenti, & aduersatur Apostolo in prima, Corint. primo dicenti: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Ex quibus verbis (si præcedentibus iungantur) euidenter apparet, Apostolum loqui, non de annunciatione vocali, sed reali, & representatiua: quæ est etiam communis Doctorum interpretatio.

1. Cor. 11.

Secundum huius quarti capitis punctum, Missæ diffinitionem inquiri, quam, post explicata in præcedentibus huius sancti sacrificij substantialia, non erit assignare difficile. Sed antequam diffinitionem adducamus, necesse est varias distinguere Missæ significationes, vt sciamus, quæ nam sit Missæ significatio, de qua disputamus, & quo sensu sit à nobis diffinienda. Quamuis autem multa sint Missæ significata; tria tamen præcipua sunt, quæ propositio nostro deseruiunt. Sumitur enim primò Missa pro sacra Sacerdotis nouæ legis actione quo ad eam partem, quæ est à principio vsque ad offertorium; vocatur hæc pars ab antiquis Patribus, & Concilijs Missa Cathecumenorum, qui ad solam hanc Missæ partem admitti consueuerant, & ea completa dimitti: de qua consuetudine meminit Sanctus August. in sermone 237. de tempore dicens: *Ecce post sermonem fit Missa Cathecumenis, manebunt fideles, &c.* Secunda Missæ significatio eam complectitur partem, quæ est ab offertorio vsque ad finem: in hac significatione de Missa loquitur Ambros. lib. 5. epist. 33. cum ait: *Mansi in munere, Missam facere capi, orare in oblatione, &c.* Tertia Missæ significatio sacram omniem continet actionem à principio vsque ad finem, adeo vt priores duæ significationes ad hanc, veluti partes ad totum, comparentur.

Punctum
secundum.

August.

Ambros.

Quando de Missæ sacrificio loquimur, non accipimus Missam in primo sensu, neque nomine Missæ intelligimus totam actionem Missæ secundo, aut etiam tertio significato comprehensam; sed intendimus in ratione Missæ secundo,

do, aut etiam tertio modo significatæ esse quandam partem, quæ est essentialiter sacrificium, ad cuius decorem, & ornamentum accidentale reliquæ partes, verba, & cæremoniæ diriguntur. De hac sola parte nos Catholici loquimur asserentes, institutum à Christo Domino fuisse sacrificium; Scimus .n. reliquas omnes alias partes huic sacrificio accidentales institutas fuisse non à Christo Domino, sed ab Apostolis, & ab eorum successoribus ordinaria illis à Christo concessa auctoritate. Ut igitur Martio cupienti, ac postulanti diffinitionem facisfaciam, dico: *Missam esse sacrificium incruentum perfectum, in quo per actum transubstantiationis verbis Christi Domini significata, & facta offertur Deo verum Christi corpus, & sanguis sub speciebus panis, & vini, & manducatione, & bibitione consumitur à Sacerdote.*

Missæ Dif. finit.

Dico primò: *Missam esse sacrificium*; quia sacrificium genus est ad hoc nouæ legis vnicum sacrificium, & ad alia omnia legis antiquæ sacrificia.

Dico secundò: *incruentum*; ad distinguendum hoc sacrificium ab eo, quod Christus fecit in Cruce, semetipsum per proprium sanguinem Hostiam pro nobis offerens Deo Patri, & à cruentis antiquæ legis sacrificijs.

Tertiò dico: *Perfectum*; quoniam in hoc sacrificio perfectiones omnes legalium sacrificiorum continentur, & aliæ longè, immo, & infinitè maiores. Ex sacrificijs enim antiquæ legis quædam erant holocausta, quædam hostiæ pacificæ, quædam hostiæ propitiatorix pro peccatis: At sacrificium hoc simul est holocaustum, hostia pacifica, & hostia propitiatoria pro peccatis, simul etiam continens representationem, & commemorationem Passionis, & mortis Christi.

Quarto dico; *in quo per actum transubstantiationis verbis Christi Domini significata, & facta offertur Deo verum Christi corpus, & sanguis*; ad significandum simul rem oblatam, & modum offerendi huic sacrificio proprium; quod in re oblata differt ab omnibus tam legis scriptæ, quam legis naturæ sacrificijs; in modo autem offerendi distinguitur primò ab offerendi modo cuiuslibet alterius sacrificij. Huius enim sacrificij modus est per actionem di-

uinam

uinam supernaturalem, qua duæ illæ naturæ panis, & vini in verum corpus, & sanguinem Christi Domini conuertuntur, & hac ipsa actione de nouo Christi corpus, & sanguis superponuntur altari. Secundò per modum hunc sibi essentialem distinguitur Missæ sacrificium ab altero sibi accidentali post consecrationem per verba Sacerdotis expresso cum ait: *Vnde, & memores, &c.*

Quintò dico: *sub speciebus panis, & vini*; vt distinguam Christi corpus quo ad suum esse simpliciter naturale ab esse sacramentali; quod illi conuenit in hoc Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento, in quo sacrificatur à Sacerdote.

Nam quo ad esse suum simpliciter naturale semel tantum semetipsum obtulit in Cruce. Quo ad esse verò sacramentale, à quo non disiungitur esse naturale, offertur quotidie in hoc Sanctissimo, & incruento Missæ sacrificio.

Vltimò dico: *Et manducatione, ac bibitione à Sacerdote consumitur*, ad significandam consumptionem huius sacrificij propriam, & differentem à consumptione cæterorum omnium sacrificiorum, siue illa sint cruenta, siue sint incruenta.

Ex quibus apparet, non esse legitimam, & perfectam diffinitionem à ministris adductam in secundo disputationis congressu. Dixerunt enim Missæ sacrificium esse sacrificium incruentum, propitiatorium, in quo fit oblatio veri corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini, ad obtinendam remissionem peccatorum, tam pro viuentibus, quam pro defunctis.

Primò, quia restringit hæc diffinitio Missæ sacrificium ad genus sacrificij propitiatorij.

Secundò, quia non exprimit oblationem huic sacrificio propriam, & essentialem, quæ fit per actum transubstantiationis, vt antè diximus.

Tertiò, quoniam in ea non fit mentio de modo proprio; quo fit huius sacrificij consumptio.

Quartò, quoniam esse propitiatorium pro peccatis viuorum, ac defunctorum non est adæquata proprietas huius sacrificij, cum alios habeat fines supra declaratos.

Et quia postulat Martius sacrificij definitionem ex sa-

cris

cris fontibus hauriri, & statera diuinæ scripturæ ponderari; Dico singulas nostræ diffinitionis partes in diuinis scripturis benè intellectis contineri, scilicet iuxta certam, & infallibilem intelligentiam Sanctæ vniuersalis Ecclesiæ, Sacrorum Conciliorum, & communem Sanctorum Patrum consensum, qui sanctitate insignes, & Spiritu Sancto pleni incomparabiliter melius Ioanne Martio, & alijs ministris, ac eorum magistris Luthero, & Caluino, sensus diuinarum scripturarum sunt assecuti, & ad fidelium eruditionem literis commendarunt.

Ac primò, sacram Missæ oblationem esse sacrificium satis probatum est in præcedentibus, ostendendo Saluatorem nostrum in sacra cæna sacrificasse, & Apostolis, ac eorum successoribus, vt idem facerent, præcepisse. Esse autem sacrificium hoc incruentum negari nõ potest; cum hic nulla fiat animalis occisio. Quod verò sit perfectum, ex rei oblatæ, quæ Christus ipse est, perfectione manifestè cognoscitur. Christus enim sua perfectione longè plura complectitur, quàm legis antiquæ sacrificia continebant.

Quod autem transubstantiationis actu fiat oblatio super altare, iam ex diuinis litteris supra probauimus; quod etiã hic offeratur verum Christi corpus, & sanguis, ex proprio verborum sensu secundum communem Sanctorum Patrum intelligentiam demonstrauius. Quod hic sint species, idest accidentia panis, & vini, sensibus experimur. Quod ore sacerdotis cõsumatur, vsus indicat quotidianus. Quod demum hæc singula sint, & fiant ex diuina Christi institutione, constat ex verbis Sancti Luca supra notatis addita Sanctorum Patrum intelligentia, & Christi præcepto dicentis. *Hoc facite, &c.* Nec sperent, aut opinentur Martius, & cæteri eiusdem sectæ ministri, me aut alium quemlibet, vel mediocris intelligentiæ, & eruditionis Theologum esse permisurum, vt auctoritatem sibi vendicent iudicandi, sedeantq; censores inter Sanctorum Patrum, Sacrorum Conciliorum, & Sanctæ vniuersalis Ecclesiæ intelligentiã ex vna parte, & diuinis scripturas ex altera. De Sancta enim Ecclesia vniuersali scribit Apostolus in prima ad Timot. 3. *cap. 3. math. 3. cap. 12.* Eam esse columnam, & firmamentum veritatis.

Primæ ad
Timot. 3.

Eccl. 12. *Verba sapientum sicut stimuli, & sicut clauis in altum defixi, quæ per Magistrorum consilium data sunt à pastore vno. His amplius fili mi ne requiras.*

Nec obstat, quod ait Martius, nimirum diuinam scripturam esse stateram, cuius est ponderare, & non ponderari. Quoniam aliud est pōderare diuinis scripturas cum intentione iudicandi, num ea, quæ continent, vera sint, quod nunquam ausi sunt, sed semper exhorruerunt Sancti Patres, Sacra Concilia, & omnes Catholici. Aliud est, supposita eorum omnium, quæ docent sacræ litteræ, veritate, de sensu verborum recondito iudicare. Quod egregiè primi Sancti Patres ex Apostolorum doctrina, posteriores autè partim ex traditionibus Apostolicis, partim ex prædecessorum suorum doctrina præstiterunt. Quorum nos etiam Catholici vestigia sequimur per viam regiam, atque tutissimam incedentes sub fidelissimis iudicibus, Ecclesia scilicet, & Patribus in ijs, quæ fidei sunt, communi consensu vinculo colligatis. Hanc autem doctrinæ veræ fidei semitam egressi Martius, & omnes eiusdem sectæ professores nullum alium in exponendis diuinis scripturis, quàm spiritum, seu magis phantasiã propriam, ducem habentes, per abrupta præcipitia semper incedunt, inextricabilibus se, ac eorum sequaces difficultatibus implicantes, à quibus impossibile est, eos vnquam expediri, nisi ad regiam Sanctæ vniuersalis Ecclesiæ viam reuertantur, & sub illius ductu, & Magisterio diuinæ scripturæ sensum accipiant. Vt enim superius dixi: verba consecrationis corporis, & sanguinis Domini clarissima sunt in sensu proprio; in eis tamen nouatores, ommissa communi Sanctorum Patrum, & totius Ecclesiæ intelligentia, planissima, multas adinuenerunt expositiones non minus quàm cælum à terra differētes. Quod vnum sufficere debuisset ad confundendam Martij, ac cæterorum Ministrorum temeritatem, & ad eorum oculos aperiendos, qui mediocri donati sunt intelligentia, vt fraudes Pseudo pastorum eos, vt brutales greges ad præcipitia ducentium agnoscerent.

Et quia præsentis Apologiæ breuitas non patitur, vt stylum

Punctum
tertium.

lum in hoc secundo puncto latius extendamus, tertium Martiae præfationis punctum aggrediamur. In quo de cruento differit Christi Domini in cruce sacrificio, viresque suas omnes intendit, ut eius sufficientiam, & effectus ostendat, sicque omne aliud sacrificium excludat. Sed vanum eius esse conatum liquet ex supradictis: sufficientia namque cruenti sacrificij efficientiam non destruit incruenti, sed statuit ac firmat; sicut, nec baptismi tollit sacramentum, quo virtus cruenti sacrificij nobis applicatur, eo quod tota vis baptismi ex cruento Christi Domini sacrificio deriuetur & licet antiqua tanquam figuras per hanc unam hostiam impletas, tollat sacrificia, non tamen consequens est, incruentum Eucharistiae sacrificium per sacrificium Christi cruentum excludi; illud enim non est huius figura tanquam futuri, sed est eius ut præteriti commemoratio. Sed breuiter huius puncti propositiones videamus: sunt verò quatuor.

Prima est: sacrificium crucis esse plenariam omnium peccatorum, tam præteritorum, quam futurorum indulgentiam, & remissionem. Quæ propositio (ut ante diximus) quo ad sufficientiam vera est, quo ad actuale vero efficientiam falsa est, etiam apud Sectarios Calvinistas, & Lutheranos; alioquin secundum eorum sententiam nullus ex eorum secta damnaretur, nec esset necessarium baptismi Sacramentum, aut cœna quot annis per eos celebrata, nec alia media, quibus nobis passionis Christi Domini virtus applicatur.

Secunda propositio, eadem ferè cū præcedenti est dicens Crucis sacrificium non esse sacrificium parui temporis, sed efficacitatis, & virtutis æternæ per se ipsum solum absque alio sacrificio factò, aut fiendo, potens, ac sufficiens ad plenè saluandum, tam quo ad animam, quam quo ad corpus.

Quæ propositio, si crucis sacrificio per se sumptò tribuere intendit efficaciam, ita ut absque medio applicatorio conferat omnibus indistinctè salutis effectum: falsissima est ob dictas causas. Si verò medium admittat, quo nobis tanti sacrificij virtus vniuersalis applicetur, non excluditur, sed magis statuitur, ac firmatur incruentum Ec-

clesiæ

clesiæ Catholicæ sacrificium.

Tertia propositio est: Per crucis sacrificium adimpleta fuisse legalia sacrificia. Quod ea tantum ratione verum est, qua crucis sacrificium præfigurabant; sed ea ratione, qua nouæ legis incruentum, & quotidianum sacrificium figurabant, adimpleta sunt in Cœna Domini.

Quarta propositio est: Per Iesu Christi summi Sacerdotis sacrificium in cruce consummatum ablatos, & ad nihilum redactos fuisse Sacerdotes, sacrificia, hostias, oblationes, altaria, thura, luminaria, candelabra, tabernacula, & cultum omnem legalem non amplius exercendum.

Quæ propositio, si de solis (ut præfere) loquitur antiquæ legis sacerdotibus, sacrificijs &c. vera est, certum est enim, hæc tanquam figuras, & vmbas per sacrificium Christi cruentum in cruce, & per incruentum in cœna penitus euanuisse: Nam, ut diximus, duo legis nouæ sacrificia, scilicet cruentum semel in cruce, peractum, & incruentum, quod in Ecclesia quotidie frequentatur, per legalia sacrificia figurabantur, & ideo illis velut eorum impletura successerunt; cruentum quidem quo ad virtutem, & sufficientiam vniuersalem, incruentum autem quo ad efficientiam actuale, ad applicandum scilicet nobis cruenti virtutem, ac proinde, sicut in sancta Ecclesia Catholica continuus vsus perseverat Sacramentorum, quibus quotidie nobis cruenti sacrificij virtus applicatur, sic ob eandem causam vsus incruenti sacrificij perpetuò conseruabitur in Ecclesia militante. Placuit enim diuinæ prouidentiae nobis incomprehensibili instituere diuersa media, quibus virtus passionis vniigeniti Filii Dei nobis applicaretur.

De altaribus autem similiter dico, veteris legis altaribus, veluti figuris, aliud longè sacratius altare per ea figuratum successisse. Thuri, luminibus, & candelabris, veluti figuris successisse thura, lumina, & candelabra per præcedentia figurata; quibus ad decorem, & ornamentum incruenti sacrificij sancta quotidie vitur Ecclesia Catholica. Tabernaculo, & Templo Salomonis Ecclesiæ successerunt innumeræ ad Deum secundum nouæ legis ritum perpetuò colendum, & honorandum, sacerdotibus antiquæ legis.

Leo.

legis successore nouę legis Sacerdotes: quorum ordinatio, & vnctio (vt ait sanctus Leo Papa) lōgē sacratio est, quā veterum sit vnctio sacerdotum.

Rabban.
Valfrid.

Hęc autem omnia in Ecclesia Christi Catholica esse vetustissima, testantur scripta Rabani, & Valfridij, qui ante annum à Christo nato 900. floruerunt; legantur Amalarius, & Alcuinus, annis plusquam centum prædictis antiquiores, sed ad huc multis sæculis vetustiores adduco.

Athan.

Primus sit Athanasius in Apologia ad Constantium.

Hieron.

Secundus Hieronymus contra Vigilantium.

Chrysof.

Tertius Chrysofomus in Lyurgia.

Ambros.

Quartus Ambrosius libro primo, in Epistola quinta ad Felicem, & alij, quos breuitatis gratia præmitto, præsertim cum à recentioribus fuerint eorum dicta diligenter collecta.

Ad alias Martij nugas, quibus eadem replicat, cum satis hætenus dictum sit, non est necesse iterum respondere; sicut, nec ad ea, quæ repetit de scientijs humanis prædicationi Christi non inferendis; quæ plenè, ac euidenter supra confutauimus, declarantes, quomodo Theologus vti debeat scientijs humanis acquisitis.

Quibus addo, scientiarum humanarum usum locum habere consueuisse, non solum in disputationibus, sed etiam in tradenda compendiosè Theologiæ doctrina, & in prædicatione, vt eandem cum laude præferat dicēdi formam, qua grauissimi, doctissimi que Sanctæ Ecclesiæ Patres in suis ad populum concionibus frequenter vsi sunt; quorum scriptis, & laboribus Catholici Prædicatores vtuntur, & populis utilissimam dicēdi formam imitantur. Legant Martius, & alij sermones, homilias, orationes, & declamationes Ambrosij, Chrysofomi, Athanasij Augustini, Nazianzeni, Basilij, & considerent ea, quæ passim in eorum scriptis elucet, humanarum scientiarum ornamenta, & intelligent, hæc Evangelicæ, prædicationi non esse contraria, & simul aduertent, suam doctrinam esse Sanctorum Ecclesiæ Patrum scriptis aduersam, & recēter à Nonatoribus excogitatam. Prætereo nunc Martij iactantiam, quæ gloriatur, se diffinisse cruentum Christi Domini sacrificium,

cium, cum tamen nihil attulerit diffinitioni simile.

Quintum dictæ præfationis caput principale de probationibus agit; quibus vti debet, qui probare quidpiam intendit. Hęc autem ad tria capita restringit; scilicet ad rationes, ad scripturas, & ad testimonia.

Quantum ad primum ait rationes ad probandum Sacrosanctum Missæ sacrificium ex libris noui, & antiqui testamenti esse sumendas: à quò neque Catholici dissentiant; sed ad complementum propositionis adiungunt, in diuinarum scripturarum vsu necessariam esse Ecclesiæ Catholice, & Sanctorum Patrum intelligentiam. Non enim (vt Calvinistæ prædicant) facilis, ac planus est cuiuslibet diuinæ scripturæ sensus, vt aperte testantur non solum Patres vniuersi consensu, sed ipsa etiam diuinæ scriptura, singulariter autem Sanctus Petrus Apostolorum Princeps in epist. sua 1. cap. 3. ait, Sanctum Apostolum Paulum in suis epistolis scripsisse quædam intellectu difficilia.

Quo ad secundum affirmat Martius, in probationibus vtendum esse diuinis scripturis; quod addita limitatione iam dicta, verum est; quod autem subiungit, sacram scripturam in cordibus fidelium continud reuelari; & in eorum mentibus exarari, iuxta illud Ioan. 6. *Erunt omnes docibiles Dei.* Et Isaie 54. *Vniuersos filios tuos doctus à Domino;* Et Hierem. 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam;* quibus verbis (inquit) intendit significare, quemlibet hominem particulari reuelatione à Deo recipere diuinarum scripturarum intelligentiam, hoc nominus pestiferum est dogma, quàm falsum.

Quamuis enim ex singulari diuinæ gratiæ dono nonnulli veram assequantur aliquorum diuinæ scripturæ locorum intelligentiam, hæc tamen, cum neque sit omnium quantumvis perspicacium, neque de singulis diuinæ scripturæ locis, neque sit nobis euident, haud certa, vniuersalis, & firma regula fidelibus esse potest. Verum de sectarijs omnibus euidentissimè constat eos in exponēdis diuinis scripturis, & in rebus quidem grauissimis quàm maximè dissidere, cum tamen sit vnica veritas, quæ à Spiritu Sancto est, cuius reuelationem sibi semper adesse singuli, cuiusque se

Quintum
caput.

2. Petri 3.

Ioann. 6.

Isaie 54.

Hier. 31.

Sordina

Sordina

Et non ministri tantum, sed viri priuati, ac feminae profitentur. Nunquid Spiritus Sanctus secum pugnat, & contraria docet? Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes Doctores? Nunquid omnes interpretantur? Si totum corpus oculis, & Cor. 12. ubi auditus, &c. Legant Apostolum in prima ad Corin. cap. 12. & respiscant, aut confundantur. Necessè est igitur, ad certam, & firmam diuinarum scripturarum intelligentiam vnã aliquam esse regulam infallibilem nobis ab ipsis diuinis litteris significatam: Hæc verò (dicant sectarij, quicquid velint) est Ecclesiã Sanctã Catholicã, quæ per supremum suum in terris caput, summum dico Pontificem Christi Vicarium, aut per suos Prælatos in generali Concilio congregatos, aut per Apostolicas traditiones, aut per communem Doctorum consensum, veram assequitur, & docet diuinarum scripturarum intelligentiam. Vnde Moyses, tanquam summus sacerdos, iudex erat à Deo constitutus omnium controuersiarum ad religionem pertinentium. Et tandem facultatem concessit Deus successoribus Aaron Deut. 17. Vt etiam testatur Aggeus Propheta, cap. & Malach. 2. cap. & declarauit Iosaphat Rex Iuda in 2. Paralip. cap. 19. & Christus Matth. 8. 18. & 23. & Lucæ 12. & Apost. ad Galat. 2. cap. Legant Irenæum lib. 3. cap. 3. ubi perspicue docet, fidei controuersias non posse per solas diuinas scripturas definiti, quia variè ab Hæreticis exponuntur, sed in hærendum esse Romanæ Ecclesiæ iudicio. Sanctus Basilius epist. 52. ad Athanasium sic loquitur: *Nullus est mihi consentaneus, nisi scribam Episcopo Romæ.* Et paucis interiectis subiungit: *ipse sua auctoritate viros eligat, qui corrigant.* Tertullianus summis laudibus à Martio celebratus, clarè pronunciat, cum Hæreticis sola diuinarum scripturarum allegatione non esse disputandum; quia verã & certam earum intelligentiam ad Ecclesias pertinet Apostolicas, quarum principem affirmat Romanam Ecclesiam. Sanctus Ambrosius in epist. 32. ad Valentinianum Iuniorum ait, fidei causas ab Episcopis esse iudicandas. Idem ferè docet August. lib. 2. contra Gresconium cap. 33. & in epist. 106. ad Bonifacium, vel ad Paulinum pro controuersiarum definitione ad iudicium sedis Apostolicæ recurrere

& ante

& ante eum Sanctus Hieronymus in epist. ad Damasum de nomine hypostasis. Hieron.

Et quia de hac re Doctores Catholici vberimè disseruerunt, diuinarum scripturarum, Sanctorum Patrum, & rationum ex sacris litteris deductarum farragines profereudo, ad hos Lectores remitto; Tum, quia nullus sectariorum hæcenus potuit hæc argumenta dissoluere; cum etiam, quia non potest hæc breuis apologia eas omnes plenè compleri, & diligenter examinare fidei controuersias, quas Martius passim ab instituto digressus suæ miscuit præfationi. Superest iam, vt duobus ex diuina scriptura locis ab eodem adductis satisfaciam; quibus tamen hoc nostro sæculo multi ex Catholicis Theologis responderunt. Ad locum igitur Isaie ex cap. 54. dico, Prophetam non loqui de spiritu priuato reuelante, sed, vt ait Cyrillus, de prædicatione Christi loquitur Dei, & hominis prænuncians, eum non iam per prophetas, sed ore proprio ea gentibus explicaturum, quæ sunt ad salutem necessaria. Ad secundum ex Hieremia dico cum Diuo Augustino in libro *De Spiritu, & littera*, cap. 24. verbis illis gratiam significari noui Testamenti, fidem scilicet per charitatem operantem, quam Deus cordibus nostris infundit: adeo, vt non solum ex ore prædicatoris intelligamus ea, quæ loquitur, sed etiã ex diuinæ gratiæ dono ijs, quæ audiimus, diuinæ legis præceptis obediamus.

Quo ad tertium experit Martius exactam in testibus adducendis noticiam de ijs, quæ per eorum dicta sunt in proposita controuersia confirmanda. Hos autem ait esse posse solos Apostolos. Haud dubium est, Apostolos omnes de rebus fidei fuisse sufficienter, & vberim instructos. Sed quis eorum instante Martio de cælo descendet ad reddendum in præsentem controuersia publicè testimonium. At dicet Martius, legantur eorum scripta. Sed in primis dicat Martius, quo testimonio certus sit, ea, quæ sub Apostolico nomine scripta leguntur in Ecclesiã, fuisse ab Apostolis exarata? Certè nullum id attestantem inueniet præter Sanctam Ecclesiam Catholicam, à qua Lutherani etiam, & Calvinistæ libros omnes sacrarum litterarum acceperunt;

H 2

Nam,

Nam ubi seruari sunt incorrupti, nisi in Ecclesia Sancta Catholica? Quis eos docuit, Evangelia Sanctorum Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis esse legitima; Ea verò, quæ nomina referebant Sancti Bartholomæi, Thomæ, & Nicodemii esse apocripha, siue adulterina? nisi Ecclesia Sancta Catholica, à qua turpissimè Lutherus, & Calvinus apostatarunt? Recta igitur ratio postulat, ut certam etiam Evangelicæ narrationis intelligentiam ab Ecclesia Sancta Catholica, tanquam fidelissima veritatis Magistra requiramus; Sed his omisis dico, Apostolica scripta, non ea, quæ Martius putat, & supponit, ac eius sodales intelligi posse facilitate, ut superius ostendimus.

Postremò dico, Non solum Apostolica scripta, sed etiam diuinas, & Apostolicas traditiones, Summi Pontificis, & vniuersalium Conciliorum iudicia, atque decreta, & communem Doctorum consensum in materia fidei, esse certa secundum proprium cuiusque gradum, & modum. Non igitur rectè Martius solos Apostolos cæteris omnibus exclusis in præsentibus, & in alijs fidei controuersijs testes agnoscit; cum præsertim prænominatos omnes Deus indubitata fidei testes in rebus fidei constituerit, ut ex diuinis litteris supra demonstraui.

Errores
Martij.

Sextum caput summam continet errorum Martij circa sacrosanctum Missæ sacrificium.

Primus est; Missam, nec esse sacrificium, neque à Catholicis hoc esse vocabulo nominandam, cum nec eam Apostoli nominauerint, nec de huius vocis significatione secundum hodiernum vsum sermonem fecerint. Sed iam superius ostendimus Missam quo ad id, quod in ea substantiale est, esse verum sacrificium institutum in vltima cœna à Christo Domino Salvatore nostro. Quatenus autem partes etiam complectitur accidentales sacrificio, non est necesse, ut de ea Apostolica scripta meminerint, sed veris fidelibus satis esse debet eius significatum ex certissima Apostolorum traditione recepiisse, & ab antiquissimis, & Sanctissimis Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ Patribus, & Doctoribus Ambrosio, Augustino, & alijs supranominatis Missæ nomen habuisse, non ut tunc primum institueret;

sed

sed veluti iam antiquè in populo Christiano, ut autedicta demonstrant.

Secundus error Martij est, illam claudicantem Missæ diffinitionem ab eo, tam in præfatione, quam in disputatione productam non continere veritatem. Quod esse falsum manifestè constat ex perfecta diffinitione superius adducta, in qua partes omnes huius imperfectæ diffinitionis continentur. Probauimus enim singulas illius, ac proinde etiam huius diffinitionis partes esse veras.

Et quia nò dum expressè disseruimus de remissione peccatorum, quæ præcipuus est effectus huius incruenti Missæ sacrificij in prædicta diffinitione positus, dico nunc, eam in diuersis diuinæ scripturæ locis significari.

Primus est Lucæ 22. vbi secundum Græcam lectionem dicitur: *Hic est Calix nouum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis funditur;* additis verbis Matt. 26. *in remissionem peccatorum.* Vbi duo obseruanda sunt. Alterum est, in verbis Lucæ sanguinis effusionem verbo præsentis temporis significari; ac proinde de ea effusione Dominum loqui, quam ipse tunc actu faciebat, sanguinem suum ex Calice in suum os fundendo, atque, ita sacrum Missæ sacrificium consummando. Aliud est relatiuum *qui;* quod, ut clarè videre est in textu Græco, refertur ad Calicem, ac per consequens de dicta effusione ex Calice in os Domini facta necessario debet intelligi.

Secundus locus est in eodem 22. Lucæ cap. vbi de corpore loquens Christi Domini sub speciebus panis verbo præsentis temporis vitur dicens: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Et Paulus Apostolus in prima ad Cor. secundo cap. Secundum Græcam lectionem, ad quam solent nouatores recurrere, ait: *Quod pro vobis frangitur;* Significans tunc in ipsa cœna Christi Domini corpus actu fuisse pro Apostolis, & alijs fidelibus datum in sacrificium incruentum, & verè, ac propriè sacrificatum.

Et quamuis in editione vulgata loco verbi præsentis futurum vbiq; legatur, præterquam in verbo *datur* apud Lucam; vtraque tamen lectio vera est, præsentis quidem, ut diximus; futuri autem lectio vera est, non solam respe-

H 3

ctu

Et instantis tunc eruenti sacrificij, sed etiam in ordine ad incruentum futuris temporibus in Ecclesia Militante frequentandum. Ceteri Martij errores satis per supradicta remanent confutari.

Figura
Melchise-
dech.

Venio nunc ad figuram Melchisedech; Martius ait, Christum esse Pontificem secundum ordinem Melchisedech absque socio, & absque successore. Quibus verbis manifestè significat, neque Sanctos Apostolos, aut alios eiusdem temporis Christi fideles simul cum Christo fuisse Sacerdotes, neque Christum vltos post se in Ecclesia sua reliquisse talis Sacerdotij successores. Vbi duos insignes errores aduerto.

Primus est, Martium supponere, nos Christo tribuere socium, aut successorem in sacerdotali dignitate, quod in sermonis proprietate falsum est. Proprie, namque diceretur Sacerdos Christi socius in sacerdotio, si a qualem haberet cum Christo in munere sacerdotali potestatem, seu dignitatem, & excellentiam. Rursus proprie diceretur Sacerdos Christi successor, si secundum æqualem succederet dignitatem, & excellentiam, absque hoc, quod actualement in actibus sacerdotij haberet à Christo Sacerdote dependentiam. Quæ nullus hæctenus Catholicorum docuit. Summus enim Pontifex secundum communem Catholicorum doctrinam non est socius Christi; Sed Vicarius Minister, neque Christo succedit secundum æqualem potestatem, aut dignitatem; Quia mutare non potest, nec initiare Sacramenta, neque absque Sacramento effectum fidelibus conferre Sacramenti: quæ tamen omnia poterat Christus Dominus suæ potestatis excellentia. Alij verò Sacerdotes sunt Christi Ministri, per quos Christus tanquam Summus Pontifex quotidie sacrificium sui corporis, & sanguinis offert in Altari.

Secundus error est: quia non aduertit, quid sit esse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech. Ratio namque Sacerdotij secundum ordinem Melchisedech, in eo posita non est, vt alteri non succedat, nec habeat successorem, neque describatur eius genealogia; Primò namque non sunt hæc conditiones propriæ Melchisedech; qualibet enim ex his vni alicui personæ conuenit in sacris litteris

nomi-

nominatæ, vt patet de Iob, & alijs quibusdam. Deinde sacra scriptura de sacerdotio Christi loquitur dicens: *Tu es Sacerdos in æternum*; Necessè est igitur, vt sequentia vide licet: *secundum ordinem Melchisedech*; intelligantur quo ad sacerdotium proprium ipsi Melchisedech: Vt autem ex diuina scriptura secundum Sæctorum Patrum intelligentiam ostendimus, sacrificium Melchisedech in officio consistebat offerendi Deo panem, & vinum in sacrificium; ceteræ verò conditiones huic sacerdotio erant accidentales, & extrinsecæ; sed proferamus Sæctorum Patrum dicta; sufficere autem, ea, quæ sunt euidentiora referre. Sanctus Cyprianus superius allegatus lib. 2. epist. 3. ad Cæciliam ait: *Quis magis Sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est panem, & vinum, suum scilicet corpus, & sanguinem?* Eusebius Cæsariensis in 5. lib. *Demonstrationum Evangelicarum*, sic loquitur. *Saluator noster Iesus Christus ipsius Melchisedech ritu ea, quæ ad sacerdotium in hominibus gerendum spectant, per suos ministros perficit*: Sanctus Ambrosius lib. 5. de Sacramentis, cap. 1. perspicue docet, sacrificium Melchisedech fuisse figuram sacrificij nouæ legis incruenti. Sanctus Hieronymus multis in locis aperè dicit, Melchisedech obtulisse panem, & vinum in sacrificio, & hoc figuram extitisse incruenti nostri sacrificij. Idem in epistola ad Euagrium testes allegat Sanctos Patres Irenæum, Hippolytum, Eusebium Cæsariensem, Eusebium Emisenum, Apollinarem, & Eustachium. Sanctus Ioannes Chrysostomus in hom. 35. super Gen. Ita scribit: *vides typum, cogita, oro, & veritatem*, & hom. 36. *Melchisedech (inquit) panem, & vinum attulit (erat enim Sacerdos Dei altissimi) ab illo Abraham accepit oblata*, Sanctus August. in epist. 95. ad Innocentium Papam sic loquitur: *Melchisedech, pro lato Sacramento mensæ Dominicæ, nouit æternum eius sacerdotium figurare*. Alia quamplura Sancti huius Doctoris loca prætereo, cum hoc vnum veluti clarissimum pro centum sufficiat, neque alia necesse est Sæctorum Patrum dicta recensere. Ex his enim paucis quilibet, vel mediocri ingenij cognoscet, quàm diuersa sit Martij, ac ceterorum no-

Pl. 109.

Cyprian.

Eusebius
Cæsar.

Ambros.

Hieron.

Chrysof.

August.

H 4

uato-

natorum doctrina ab ea; quam antiqui Doctores Ecclesie Catholicæ tradiderunt.

Tertius error Martij est: Christum in cœna seipsum non obtulisse: cuius oppositum ex sacris litteris, & Patribus sacris euidenter ostendimus.

Quartus eiusdem error est: Fideles, qui veram profitentur religionem, Christo frui debere, non ipsum sacrificare. Sed in precedentibus ex sacris litteris clarissime demonstrauimus Christi præceptum de ipso sub speciebus panis, & vini sacrificando: Motiuum autem illud Martij gladius est Golia, quo statim facillimè iugulabitur. Ratio namque, propter quam fideles aliquod debeant habere sacrificium, & non solam eius similitudinem, est, quia veram profitentur religionem. Sacrificium enim ad eam religionem ac legi coniunctum est, vt ab ea nequeat separari: & ideo dicit Apostolus ad Hebr. 7. cap. *Translato sacerdotio necesse est, vt & legis translatio fiat.*

Hebr. 7.

Constat autem in populo Christiano nullum aliud esse, aut vnquam fuisse proprium sacrificium perpetuè, & quotidie frequentandum, quam sacrosanctum Missæ sacrificium. Discurrant Martius, & sodales per singula præteritorum temporum sæcula, singulas scrutentur Religionem, tam veras, quam falsas, & manifestè cognoscent, sacrificium Religioni semper fuisse coniunctum, & habuisse eum ea suæ Natiuitatis exordium. In lege naturæ duo primi fratres sacrificarunt Deo, vt legitur Gen. 4. cap. Post diluuium, renouato diuino cultu, Noe statim, vt egressus est ex Arca, sacrificium obtulit Deo gratissimum. Lex scripta data fuit Hebræis cum multiplici sacrificiorum ritu. Danielis 12. Scriptum est, Antichristum sublaturum iuge sacrificium, non ob aliam causam, nisi vt auferat Religionem, quæ absque sacrificio non subsistit, cum ab eo dependeat. Et quamuis cruentum Christi Domini Sacrificium in Cruce verum sit sacrificium Deo semel oblatum, hoc tamen per se solum minime sufficit ad conseruandam in terris Christi Religionem.

Dan. 12.

Primò, quia Crucis Sacrificium nequit hominibus illis esse proprium, qui post mortem Christi geniti, aut illius

Eccle-

Ecclesie fuerunt copulati, sed omni conuenit Religionem à principio Mundi vsque ad hæc nostra tempora constitutam. Vt enim Martius confitetur, Crucis sacrificium, quo ad suam virtutem per fidem operantem, ab initio Mundi fuit oblatum; non ergo se solo sufficit, Christianam ab alijs distinguere Religionem.

Secundò, quia omnis Religio Sacrificium postulat externum, visibile, ab hominibus frequentandum; sacrificium autem, quod semel obtulit Christus in Cruce, iam non est nobis visibile, neque potest, aut decet ipsum frequentari. Quamobrem benè loquebatur Sanctus Cyprianus in sermone de Cœna Domini dicens; *Si comestione fidelium Eucharistia finiretur, nullum nobis relinquendum esse sacrificium.* Ac proinde tunc Christianam Religionem esse finem habituram. Denique, cum Christus antiquæ legis absterit sacrificia, ne Patris etiam honorem auferret consistentem in summo, ac proprio cultu Deo soli congruente, aliud debuit subrogare sacrificium prædictis omnibus perfectius à Sacerdotibus in noua lege frequentandum; alioquin non alij Deo à nobis exhiberentur honores, quam qui cæteris intellectu præditis creaturis solent esse communes, nec aliquo proprio Deo honore coleretur. Quem errorem esse grauissimum nullus est, qui non videat; sicut etiam erraretur pissimè, qui non proprijs, sed communibus titulis Regem, aut Imperatorem honoraret. Nec probauit vnquam Martius, aut à quouis sectario probari poterit, cultum hunc sacrosancti Missæ Sacrificij, quo per sanctè Deum in Ecclesia colimus, esse contrarium doctrinæ Christi, aut Apostolorum.

S. Cyprianus.

Sed videamus repugnantias, quas Martius adducit, vt ostendat contrarietatem, seu contradictionem (vt ipse ait) inter Missæ Sacrificium, & Christi, ac Apostolorum doctrinam.

Prima repugnantia est esse vnum sacrificium, vnam Hostiam, vnam oblationem cruentam semel factam, & plura sacrificia, & Hostias, & oblationes incruentas pluries factas. Sed fallitur, aut failere vellet Martius; Non enim prædicta sunt opposita, sed maximè consona. Quamuis enim

Ad primam Martij repugnantiam.

enim

enim eadem sic resoblata in seipſa minimè diuerſa; differentiã tamen habet accidentalem; quia Chriſtus in ſacrificio Crucis cruento ſuum tantum habuit eſſe naturale; in ſacrificio autem Altaris incruento habet etiam eſſe ſacramentale, quo ineffabili modo ſub Panis, & Vini ſpeciebus continetur; quæ etiam in diuerſis Miſſæ ſacrificijs numero differunt: Et in hoc ſenſu libenter admittimus diuerſitatem hoſtiæ, oblationis, & ſacrificij cruenti ab incruento; & ruruſ etiam inter diuerſa Miſſæ ſacrificia numericam differentiam. Idem tamen principalis offerens in his omnibus Chriſtus eſt; & cruento ſacrificio ſubordinatur incruentum modo ſuperius explicato. Quare nullum hæc habent, vel minimum colorem repugnantiz; & idem de alijs ſimilibus Martij nugis, quæ fruſtra multiplicat cenſendum eſt.

Ad ſecundã repugn.

Secunda eiusdem repugnantia eſt: Chriſtum ſemel oblatum eſſe pro remiſſione peccatorum, & Chriſtum pluries offerendum pro remiſſione peccatorum. Quod facile diluitur: Chriſtus enim in Cruce ſemel obtulit pro peccatorum remiſſione, quo ad ſufficientiam, & virtutem vniuerſalem ad omnium hominum peccata remittenda. Sed idem Chriſtus in ſacro offertur Altari, non iam pro remiſſione peccatorum, quo ad ſufficientiam, & virtutem vniuerſalem (hæc enim iam erat ex Chriſti Paſſione deriuata) ſed pro remiſſione peccatorum, quo ad applicationem virtutis vniuerſalis ad ſingularia mediata, & per modum impetrationis. Quæ duo ſic explicata catholicæ & intellecta non repugnant.

Ad terciã repugn.

Tercia eiusdem repugnantia eſt: Chriſtum dicere accipite, & manducate, & bibite; Miſſam autem dicere; accipe tu, comede tu, & bibe tu ſolus. Sed in Miſſæ ſacrificio Sacerdotem hæc dicere, aut facere pluſquam falſum eſt; certum eſt enim in Miſſa, nec illa, nec alia haberi verba ſimilia. Si verò de vſu fermo fit; antiquiſſima eſt Eccleſiæ Catholicæ conſuetudo fidelibus omnibus notiſſima; Chriſti fideles ſacroſancto Miſſæ ſacrificio præſentes, ſi ſacra petierint Eucharistiæ communionem refici, huius participes effici ſacrificij. Vnde etiam ſanctum vniuerſale Concilium

lium Tridentinum fideles omnes, qui huic ſacro interfuerint ſacrificio, monet, vt ad eius dignè percipiendam communionem ſe præparent.

Quarta Martij repugnantia eſt: Chriſtum dixiſſe: *bibite ex hoc omnes*; Miſſam autem dicere, bibe ſolum tu Sacerdos, & bibe totum, & no guttam quidem populo tradas. Sed hæc etiam eſt impoſtura, peque enim id verbo exprimitur in Miſſa, neque, ex ſui natura Miſſa populum excludit à Calicis communionem; ſed hoc per ſanctè ſtatutum eſt ab Eccleſia.

Primò propter vetuſtiſſimam laicalis cõmunionis conſuetudinem, quæ ſub ſolis ſpeciebus panis porrigebatur, & Secundo propter inconuenientia, ſine pericula manifeſta diſpergendi ſuper terram, aut ſupra veſtes ſacraſſimum ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti ob fidelium communicantium multitudinem, in qua ſæpè ſunt nonnulli ſacroſanctam Eucharistiã minus, quàm decet, cautè recipientes.

Tertiò propter Prouincias, in quibus non naſcitur vinum; ex quibus nonnullæ ſunt ad quas, nec poteſt ea vini copia deſerri, quæ ad totius populi communionem eſt neceſſaria.

Quarto, quia nullum de Calice populo porrigendo in factis litteris præceptum reperitur, cum præſertim Sacramentum hoc ſub vna tantum ſpecie receptum, eundem ſumentis conferat effectum, & fructum, quem ſub vtraque ſpecie ſimul eidem afferret; Neque verum eſt, illis Domini verbis, *bibite ex hoc omnes*, laicos comprehendit, vt Martij innuit, ad ſolos enim hæc verba diriguntur Apoſtoloſ, quibus loquebatur, & cum quibus agebat. Diçtio enim illa *omnes* in diuina ſcriptura non ſemper vniuerſaliſſimè ſumitur, ſed quandoque pro toto vno Collegio, aut pro ijs tantum, qui vnus ſunt profeſſionis, aut alicuius generis determinati, vt patet Matth. 27. vbi narratur, omnes claſſe Crucifigatur, cum hoc nulla ratione de Apoſtoliſ, nec de vniuerſis huius Mundi hominibus; ſed de ſolis perſecutoribus præſentibus poſſit intelligi. Et Apoſt. ad Philip. 2. cap. ait: *omnes querunt, qua ſua ſunt*; quod tamen de omnibus

Cõcilium Trident.

Ad quartã repugn.

Ad Martij repugn.

Matth. 27.

Philip. 2.

nibus absolute non potest intelligi. Similiter ergo hæc verba: *bibite ex hoc omnes*, de omnibus absolute non possunt intelligi, cum nec de infidelibus, nec de infantibus, nec de abstemijs possint intelligi; Igitur limitate accipiendum est. Limitationem autem significat Marcus dicens: *Et bibent ex eo omnes*. Certum est autem de eisdem loqui Marcum, & Mattheum; cum igitur loquatur Marcus de solis Apostolis, consequens etiam est, de solis Apostolis Mattheum esse intelligendum, quod ex serie narrationis Sancti Evangelij satis aperte colligitur; Ad solos enim Apostolos totus ille sermo dirigitur, quibus etiam solis corporis, & sanguinis sui porrigit Sacramentum, & ideo illis etiam solis, non autem laicis dicit: *bibite ex hoc omnes*. Nec ob id tamen alij excluduntur Sacerdotes; omnes enim sunt Apostolorum in sacerdotio successores, quod laicis minime conuenit. Nec plura in presenti controuersia necesse est verba consumere.

Ad Quintam
repugn.

Quinta Martij repugnantia est: Christum dicere: *Hoc facite in meam commemorationem*; Missam autem Domini verba sic exponere. Vos Apostoli Sacerdotes, & vos quotidiani Presbyteri Sacerdotes, & Regulares, hoc facite; id est sacrificate corpus Iesu Christi ex pane factum, & eius sanguinem ex vino factum pro peccatis uiuorum, & mortuorum in memoriam, ut plurimum Sanctorum, qui ex hac presenti vita migrarunt. Quæ repugnantia, seu contrapositio ex ignorantia procedit sacrificij, tam communiter quam particulariter accepti, ut in re presenti. Sacrificium enim omne suapte natura principaliter ad Dei cultum, & reuerentiam ordinatur; adeo, ut hoc ordine remoto sacrificium esse non possit. Finis ergo Sancti Missæ sacrificij est diuinus cultus, & honor; Soli namque Deo huius sacrificij fit oblatio. Et quoniam in hoc sacrificio Passio filij Dei in assumpta humanitate representatur, ideo semper etiam fit in memoriam Passionis, & mortis eiusdem Filij Dei. Et quoniam, ut in precedentibus satis ostendimus, fuit institutum in remissionem peccatorum, ideo pro eadem etiam offertur impetranda, quod maxime conuenit eius perfectioni, qua, sicut ante diximus, rationem in se claudit excellentem.

cellenter sacrificij propitiatorij, & ob eandem causam rationem etiam habet Eucharistici sacrificij, id est, in gratiarum actionem Deo pro receptis beneficij oblatis, & ideo fit etiam in eo memoria Sanctorum, Deo pro victorijs eorum gratias agendo. Et quia rationem etiam habet Hostiæ pacificæ, ideo fit in eo etiam memoria Sanctorum, ut media eorum intercessione facilius gratias, quas à Deo petimus, impetremus. Nec ritus hic nouus est, sed in Ecclesia Sancta vetustissimus à temporibus Sanctorum Cypriani, Ambrosij, & aliorum prædictis antiquiorum, ut eorum scripta declarant. Sed obseruandus est modus, loquendi Ioannis Martij in illis verbis corpus Christi ex pane factum, & sanguis ex vino factus. Si namque verbis illis, ex pane, & ex vino, solus denotetur terminus, à quo incipit transubstantiatio, verissima sunt; Si autem eisdem denotetur unum aliquod commune subiectum per manes sub utroque termino transubstantiationis, seu transmutationis, sunt falsissima; nullum enim habet hæc transubstantiatio commune subiectum, sed totum, quod est panis, transubstantiatur in corpus Christi, & totum, quod est vinum, in sanguinem.

Sexta Martij repugnantia est: Christum nobis in Evangelij prædicatione; & Sacramentorum administratione donari, nosque illum per fidem recipere, & Missam pecunia vendi, & emi, & pecunia uiuis, & mortuis applicari. Quibus in disputationis congressu respondens dixi; hanc esse manifestam imposturam non enim Catholici Missam vendimus, sed iuris diuini privilegio Sacerdotibus concesso fruimur stipendia sustentationis, & alimenta ad vitam necessaria recipientes à populo. Nunquid habet Martius tam exiguam diuinarum scripturarum notitiam, ut non legerit nonum caput Epistolæ primæ ad Corinthios, ubi inter multa, quæ in fauorem scribit Sacerdotum, hæc etiam habet: Nescitis, quod ij, qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; & qui altari deseruiunt, cum altari participant? Quæ, si forte ex eius excidere memoria, debuit saltem verborum Domini meminisse Lucæ 10, præcipientis Apostolis, quos ad prædicandum mittebat, & dicentis:

Ad sextam
repugn.

1. Cor. 9.

Lucæ 10.

In eadem autem domo manete, edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt; dignus est enim operarius mercede sua. Et Matth. 10. dignus est enim operarius cibo suo: Nunquid Calvinistæ prædicantes vendunt Verbum Dei; quia tanta cum anxietate, & diligentia sui postulant operis, seu laboris stipendia? Sed non expedit in tam manifesta calumnia verba consumere, cui, ut nonnullam tribuat Martij veritatis, aut firmitatis apparentiam, munus in causa nostra sibi, quasi aduocati respondentis assumit, ut facilius à tergo vulneret incautos; Ait enim dices, hunc esse abusum, non autem legem, ita sit. Sed nimis properè, ac facilè nobis inconsultis suam approbat responsum; quam nos, ut manifestè falsam non admittimus. Non enim hic est abusus, sed honestas, & æquitas à Domino constituta, & ab Apostolo Paulo prædicata, ut supra demonstraui. Ad nugas autem Martij de Missæ institutione, & de illius exordio non est necesse hic respondere, satis enim supra diximus.

Ad alia
obiecta.

Tandem in fine huius capituli supernacanea, & incondita verborum farragine nititur ostendere, Missæ sacrificium esse Christo contrarium.

Primò; quia Missa celebratur cum pretiosis vestibus, & ornamentis; Christus autem pauper, & nudus in Cruce mortuus est. O pulchram, & dignam Martio rationem, qui breui temporis spatio ex Grammatico in Theologum Calvinistarum ministrum fidei dogmata prædicantem euasit. Et quis scit, an fortè legis antiquæ Sacerdotes audita hac tam eleganti ratione, & intelligentes eorum sacerdotium esse figuram Sacerdotij Christi, qui nudus semetipsum erat Deo oblaturus in Cruce; depositis vestibus sua Deo nudi obtulissent sacrificia, ut suo simul officio fungerentur, & in populo risum excitarent? Quod idem secundùm elegantem Martij rationem debuit in lege naturæ Sanctus Iob pijsimus Dei cultor effecisse. Bonarum rationum defectus in causa est, ut hæc tam friuola, & inepta ad sui defensionem Martius assumat. Quis nesciat, in hoc sacrosancto sacrificio speciale vestimentorum genus adhiberi ad dignitatem, & virtutem tanti sacrificij, & sacerdotij Christi sensibilibus repræsentandam? Qui, licet in cru-

ce mortuus sit pauper, & nudus, erat tamen infinite dignitatis Sacerdos, qui Deo pro totius Mundi salute sacrificium inestimabilis valoris offerebat. Et ideo sicut rectè, & laudabiliter in Ecclesia Catholica res aliæ diuinæ, & inuisibiles externis cæremoniæ ritibus repræsentantur, ut supra diximus, ita præciosarum vestium cæremonijs debuit sanctissimum hoc sacrificium fidelibus repræsentari.

Alterà Martij oppositio est, Missam apparuisse, ut Christum expoliet suo merito, virtute, officio, gloria, & honore. Facile est huic grammatico absque fundamento verba profundere; Totum enim oppositum in Sancto reperitur Missæ sacrificio, cum nihil aliud in eo fiat, quàm Christi Passionem, & merita commemorare, nec aliud sit, quàm sacrificium incruentum, cruento subordinatum ad eius meritum, & virtutem nobis applicandam, & ad gratias Deo de tam ingenti beneficio referendas.

Postremò, quia grauissimorum errorum sibi conscius condignam illis pœnam exhorret, queritur de Sancta Ecclesia Catholica, quòd vinculis, ferro, aqua, & igne puniat Missæ contradictores. Legat Diuum Augustinum in epist. ad Vincentium, & in epist. ad Bonifacium Comitem, & contra epistolam Parmeniani, & intelliget, quàm iuste, & prouidè Sancta Mater Ecclesia putrida membra præscindat à corpore, non gladio tantùm anathematis spirituali, sed etiam ignis, & ferri virtute materiali.

August.

In Vltimò demum capite, multùm (quamquam vanè) laborat, ut generales quasdam glossas inueniat, ut eas diuersis accomodet diuinæ scripturæ, & Sanctorum Patrum locis, in quibus sermo fit de sacrificio, hostia, oblatione, altari, & sacerdotio; dicens, eos non secundùm proprietatem, sed secundùm similitudinem, & improprie his vocibus vros fuisse; quam glossam quibusdam confirmat auctoritatibus.

Prima est Sancti Petri in Epistola sua prima cap. secundo, dicentis: *Et ipsi tanquam lapides vivi super ædificamini in domos spirituales, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, & infra. Vos autem genus electum, regale sacerdotium.* Tangit præterea dictum Apostoli ad Hebr. cap. 13. vbi ait:

1. Petri 2.

Heb. 13.

Per-

Apoc. 1.
& 5.

Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis, id est fructum labiorum confitentium nomini eius. Beneficentia autem, & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus. Addit præterea locum Apoc. primo, & quinto cap. vbi Sanctus Ioan. ait: *Fecisti nos Deo nostro Regnum, & Sacerdotes*. Sed prædicta glossa iam fuit à multis nostri sæculi Doctoribus, non minus euidenter, quàm efficaciter confutata. Nam, quod attinet ad scripturas, iam supra multis rationibus deductis ex ipsis diuinis scripturis, & Sanctorum Patrum auctoritatibus ostendimus, sacrosanctum Missæ sacrificium incrementum, quod in sacra cœna Christus Saluator noster instituit, esse verum, proprium, & reale sacrificium. Observandum est autem, diuinam scripturam, quando de sacrificio, hostia, oblatione, & sacerdotio similitudinariè loquitur, ea semper vti verborum forma, ex qua facillimè quisque valeat intelligere, sermonem illum esse metaphoricum, vt illum distinguat à proprio; prædicta namque proprie sumpta, puta sacrificium, hostia, &c. Solent talia simpliciter, seu absolute nuncupari, scilicet sacrificium, hostia, &c. At in locis, quæ paulò ante pro se Martius adduxit, apposuit diuinus scriptor circumstantias, quibus clarè sensus metaphoricus indicatur. Nam Sanctus Petrus postquam Christi fideles *Sacerdotium* sanctum nominauit, declarationem statim adiungit dicens: *offerre spirituales Hostias*. Et Sanctus Apostolus Paulus non simpliciter ait: *offeramus Hostiam*, sed addit *laudis*. Porro Sanctus Ioannes in Apocal. Ferè semper similitudinariè loquitur; ideo mirum non est, si nomine etiam Sacerdotis vtiur similitudinariè, & præsertim in 5. cap. vbi de beatis in cœlo loquitur, quos, perspicuum est, non offerre sacrificium proprie dictum. Quod autem Martij glossa non sit admittenda, ex hoc vno potest intelligi, quod hac via facile defendi posset, Christi sacrificium in Cruce nõ fuisse proprie sacrificium, nec Christum fuisse proprie Sacerdotem, apponendo scilicet glossam illam sensus improprij singulis diuinæ scripturæ locis, quod, nec Martius, nec alius quilibet lectatorum admitteret. Dicta verò Sanctorum Patrum, cum nimis aperta sint, glossam illam minime patiuntur. Manifestè, namque

que declinant solis sacerdotibus, non autem laicis concessum esse sacrosanctum Eucharistiæ sacrificium offerre, cum tamen laicis omnibus, etiam foeminis, liceat Deam laudare, elemosinas facere, & alijs incumbere sanctis operibus. Sed præterea clarissimè Sancti Patres enunciant, sacrificium, quod à Sacerdotibus offertur in Ecclesia, verum esse corpus, & sanguinem Christi: cui dicto nulla ratione potest glossa Martij prædicta congruere. Non enim Christi Domini corpus, & sanguis est actio, sed res sunt permanentes, ac solidæ. Tandem ad aliam Caluini glossam recurrit dicens, Sacramentum sacrae cœnæ, vt plurimum à Patribus nuncupari sacrificium, & oblationem, mensam autem altare, & ministros, sacerdotes, eo quod in sacra mensa frangatur panis, fidelibusq; distribuatur, & recipitur Sacramentum in commemorationem Dominicæ Passionis, & mortis; Non autem, quia sit proprium sacrificium, sed similitudinariè tantum. Quæ glossa, non differt à prima, nisi quod metaphora modum explicat particularem, absque fundamento tamen.

Nam, primò legis antiquæ sacrificia verè, ac proprie erant sacrificia, & nihilominus Crucis sacrificium figurandum repræsentabant.

Secundò, iuxta Caluini glossam baptismus etiam nomine sacrificij esset appellandus, cū in eo representetur Christi Domini mors, & sepultura, vt ait Apostolus ad Rom. 6. & ad Coloss. 2. Quo tamen nomine nullus vnquam Sanctorum Patrum baptismum nominauit.

Tertiò Sancti Patres Sacramenti Eucharistiæ oblationem vocant sacrificium, Cyprianus lib. 3. epist. 3. eam appellat *plenum, ac verum sacrificium*. Sanctus Ioan. Chrysostomus in hom. 60. ad Populum, & alij Græci Doctores communiter sacrificium appellat *terribile, & horrore plenum*; quæ sunt epitheta soli vero, proprio, & reali sacrificio congruentia.

Quartò: si sacra hæc oblatio solum esset sacrificij Crucis representatio; haud rectè, & congruè possent, vt Sacerdotes offerendi vocabulo, cuius tamè oppositum Patres manifestè significant dicentes; Sacerdotes in Altari cum

Deo loquentes his uti verbis *offero, vel offerimus Hostiam*, &c. Certum est autem, oblationem realem à Sacerdote factam in Altari, cum rei oblatæ consumptione esse verum, & reale sacrificium.

Tertull.
Optatus.

Quintò: Altaria lapidea, aut lignea in Ecclesia non pro similitudinario, sed pro vero, ac propriè sumpto sacrificio constituuntur. Legant Tertullianum loco supra notato, Optatum Millesimum Sancti Ambrosii coetaneum lib. 6. contra Parmenianum; ubi ait: *Quid est, tam sacrilegum quam Altaria Dei, in quibus aliquando, & vos obtulisti, frangere?* Et Sanctus Ambrosius lib. 5. epist. 33. sic loquitur: Certam nunciare milites irruentes in altaria osculis significare pacis insigne. Et Sanctus Ioh. Chrysost. in hom. 53. ad Populum. *Si quis (inquit) hoc suffodisset altare, nonne eum quilibet lapidibus obrueret, tanquam profanum, & impium?* Innumera alia Sanctorum Patrum dicta prætereo; his enim solis Martius, & eius sodales, aut erubescant, aut confundantur exemplo illius imperiti medici, qui volens infirmitates omnes vno medicamento curare, cum nihil efficiat sed infirmitates augeat, & languentes occidat, confunditur.

Superest iam, ut duobus argumentis respondeam. Primum est, sacram cœnam propriè sacrificium esse non posse, eo quod non sit oblatio Deo facta, sed donum, & oblatio facta fidelibus. Secundum est, Missam nihil habere commune cum sacra cœna; quia non fit in ea factorum signorum distributio, neque commemoratio sit Dominice Passionis, nec in ea mors eius annunciatur.

Ad primum breviter dico, utrunq; prædictorum in sacra scriptura expectari, scilicet oblationem à nobis Deo factam, & donum nobis à Deo datum. Quod missivè consonat, quia non alia dona Deo possunt à nobis offerri, quam que ab eo donata recipimus. Quod ergo Sacerdotes offerunt Deo in sacrosancto Missæ sacrificio, donum Dei est, qui sub accidentibus panis, & vini donat nobis corpus, & sanguinem Unigeniti filij sui. Sed idem etiam est oblatio, & sacrificium ex Christi institutione, & præcepto ad Dei honorem, & nostram utilitatem ordinatum, ut ante diximus.

Ad

Ad secundum dico: Si Calvinistæ, & Lutherani signa distribuunt, Ecclesie Catholice Sacerdotes populo distribuere verum Salvatoris nostri Iesu Christi corpus cum vero sanguine naturali illi coniuncto. Non enim Redemptori nostro ingrati sumus, sicut illi, qui veram, & realem in Eucharistia Sacramento Dominici corporis, & sanguinis existentiam in signum inane, & umbram extrinsecus apparentem, intus autem omni virtute, & efficacia carentem commutarunt. Reliqua satis ex præcedentibus remanent confutata. Diximus enim idem esse Christi Domini Passionem, & mortem in hoc sacrosancto Missæ sacrificio representari, quod eam realiter annunciare; ut Sanctus Apostolus Paulus clare significat in prima ad Cor. cap. 11.

Potuissem absque multo labore prædictæ præfationi satisfacere, cum prædictus Minister nulli, ut plurimum innotatur auctoritatis, aut rationis solidæ fundamento; bonum tamen esse iudicavi, præsentis Apologice disputationem paulò latius exarare ad manifestandum ijs, qui vel mediocri pollent intelligentia, quantum à veritate distent calumnie, quas Ioannes Martius ausus est communi Calvinistarum nomine scribere, ac publicè de verbo ad verbum recitare contra sacrosanctum Missæ sacrificium.

DISPUTATIO PRIMÆ DIEI.

DEinde ad locum, ubi primò sederam, reuersus dixi Ministris, ut, si qua haberent aduersus sacrosanctum Missæ sacrificium argumenta, proferrent. Responderunt illi, meum esse, probare Missæ sacrificium à Christo Domino fuisse institutum. Tunc ego petij, ut produceretur, ac legeretur à Cancellario scriptura supranotata promissionis, & obligationis inter D. Parochum, & Ioannem Martium de futura disputatione: Qua publicè, lecta clarissimè patuit, Parochi obligationem esse solùm ad defendendum, Sanctum Missæ sacrificium.

I 2

crisi-

crificium à Christo Domino fuisse institutum: Ministros autem teneri non solum ad defendendum sed etiam ad demonstrandum in sacris litteris, nec in vna quidem syllaba fieri mentionem de Missæ sacrificio. Et proteruè contentibus Ministris, velle se esse defensores, Catholicos autem argumentatores, dixi; Licet Ministrorum partes iure obligationis iam lectæ essent argumentari, me tamen libentissimè Sanctum Missæ sacrificium esse probaturum ex diuinis scripturis iuxta communem sensum, & explicationem Sanctorum Patrum, & Sacrorum Conciliorum Generalium; præsertim verò quatuor priorum, quorum auctoritatem etiam ipsi Lutherani, & Calvinistæ recipiunt; alioquin nolle Catholicos suo iuri cedere, quo non ad probandum, sed solum ad respondendum seiplos obligarunt. Et cum Ministri prædictam recusarent probationis formam, dixi, Diuinis scripturas non esse faciles intellectu, ac proinde, neque licitum esse cuiilibet, quam sibi placuerit, illis expositionem adiungere, & eas ad suæ sectæ, seu dogmatis institutum accommodare; sed eligendos esse iudices omnibususpensione carentes, doctrina, & sanctitate præstantes, quorum expositiones ante annos mille, priusquam scilicet essent in hoc mundo Lutherus, & Calvinus, & alij novorum dogmatum inventores, fuerunt ab Ecclesia receptæ, & omnibus succedentibus sæculis communi Doctorum, & Ecclesiæ calculo comprobata, nec alio modo fidei controverfias posse terminari, sed magis semper in infinitum multiplicari.

Martius. Tunc Martius assumens argumentantis officium nonnulla produxit antiquorum Ecclesiæ Patrum dicta, locis tamen, ex quibus ea delumpfit, minimè designatis, Ex Origene retulit ea verba: *Necesse nobis est, scripturas sanctas in testimonium euocare; sensus quippè nostri, & enarrationes sine his testimoniis non habent fidem.* Ex Augustino verba illa produxit, quæ refert Sanctus Thomas in prima parte, quæst. 1. art. 9. ad secundum ex epist. 19. eiusdem Sancti Patris ad Hieronymum, videlicet; *Solis enim scripturarum liberis, qui canonici appellantur, didici hunc honorem deferre, ut nullum auctorem eorum in scribendo errasse aliquid firmissimè credam;* alios

antem

autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque præpollent, non ideo verum putem, quid ipsi, ita senserunt, vel scripserunt. Addens, Augustinum dixisse, se scripta Cypriani non habere pro scripturis canonicis, & similia quædam adduxit ex Diuo Hieronymo.

Respondi primò ad Augustini verba, dicens, ea ad propositum minimè pertinere, eo quod ibi loquatur de vno aliquo Doctore particulari, nos autem de communi loquimur Doctorum Ecclesiæ consensu. Et præterea, Augustinum asseruisse, se velle dicta Cypriani examinare ex scripturis non solis, sed iuxta Sanctorum præcedentium expositionem, intellectis. Et deniq; vnus alicuius Doctoris dicta, quando à communi cæterorum Patrum sententia discrepant, per diuinis scripturas haud obscuras, vel ambiguas, sed planas, & apertas esse diligenter examinanda. Quod feliciter præstitit Augustinus contra Cyprianum in materia baptismatis ab Hæreticis ministrari; & cõtra Hieronymum epist. 19. de obseruatione legalium post Passionem Christi.

Ad dictum autem Origenis respondi, Sanctos Patres in materia sacrificij Missæ non fuisse locutos absque solido diuinæ scripturæ fundamento; illud enim ex diuinis scripturis ostendunt, à Christo Domino in vltima cæna fuisse non solum institutum, sed eius etiam oblationem in Ecclesia per manus Sacerdotum perpetuò frequentandum fuisse præceptam. Velle autem de communi sanctorum Patrum expositione, disputare, num diuinæ scripturæ sit consona, nihil aliud esse, quàm velle se iudices constituere inter diuinam scripturam, & Patres; quod est Hierarchicum Ecclesiæ ordinem confundere, & constituti à Deo regiminis normam euertere, & à rectè rationis tramite penitus aberrare. Sic enim ait diuina scriptura. Prouerb. 1. *Animaduertere parabolam, & interpretationem, verba sapientum, & anigmata eorum.* Et Ecclesiastes 12. dicitur: *Verba sapientum sicut stimuli, & quasi clauis in altum defixi, quæ per Magistrorum consilium data sunt à pastore vno; his amplius fili mi ne requiras.*

Tunc Scipio Lentulus dixit oportere ad punctum difficultatis venire, & non per alia vagari.

I 3

Re-

Nazarius.

Prou. 1.

Eccl. 12.

Lentul.

Nazar.

Respondi, Ministros ipsos huic diuagationi causam præbuisse suis argumentis, quibus necesse fuit respondere, bonum autem esse, vt circa punctum iam supra propositum disputatio tota versetur.

Mart.

Martius igitur hoc enthymema aduersus catholicam de Missæ sacrificio conclusionem produxit: In sacra scriptura nulla fit mentio de sacrificio Missæ, ergo non est institutum à Christo.

Nazar.

Respondi antecedens esse falsum.

Mart.

Martius dixit, proferantur loca diuinæ scripturæ.

Nazar.

Respondi in sacris Euangelijs, vbi cænz Dominicæ narratur historia, mentionem fieri de sacrificio Missæ ibidem instituto.

Mart.

Martius dixit, se negare, in dictis locis contineri Missæ sacrificii.

Nazar.

Respondi, secundum regulas legitimæ disputationis Martium ipsum ad probandum teneri, in dictis locis nullam fieri mentionem de Missæ sacrificio.

Mart.

Martius enumeratis Dominicæ cœnz partibus interrogauit, in qua parte contineretur Missæ sacrificium.

Nazar.

Respondi, Dominum nostrum Iesum Christum ipsa cõsecratione panis in corpus suum, & vini in sanguinẽ suum, & eiusdem Eucharistiæ consumptione sacrificium obtulisse, & idem, vt facerent, Apostolis præcipisse, & eos eisdem, quibus id eis præcipiebat verbis Sacerdotes noui testamenti constituisse, dicendo scilicet: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Scipio.

Tunc Scipio Calandrinus perijt, quid sit sacrificare.

Nazar.

Respondi, sacrificare secundum nominis etymologiam idem esse, quod facere de non sacro sacrum.

Scipio.

Scipio dixit, in omni sacrificio esse oblationem, & altare, hic autem neutrum inueniri.

Nazar.

Respondi, hic vtrunq; reperiri; Quia tunc verè, & propriè sacrificatur, quãdo victima ponitur in altari, & transmutatur, siue consumitur, id autem in hoc Sancto Missæ sacrificio fit.

Primò quidem ipsis Domini verbis, quibus panem in corpus suum, & vinum in sanguinem conuertendo consecrauit,

cravit, & ita vtrunq; scilicet corpus, & sanguinem media transubstantiatione posuit in altari.

Secundò verò dixi, id fieri ipsa victimæ transmutatione, seu consumptione, quàm in cœna Dominus fecit, & eius Apostoli cum eo sumendo corpus, & sanguinem in honorem Dei per modum cibi, & potus.

Nec esse requirendam in hoc sacrificio verbalem oblationem, vt scilicet dicatur, offero, & sacrificio; sed satis esse, vt victima imponatur altari, & ibidem transmutetur, & consumatur. In his enim vera, & realis exercetur oblatio.

Scipio, & Martius dixerunt in Cœna Domini non fuisse altare, sed mensam.

Scipio, & Mart.

Respondi, Mensam ipsam Altare fuisse, vt clarè significat Apostolus in prima ad Cor. 10. cap. vbi etiã satis apertè declarat, Idololatrarum mensam fuisse eorum altare, super quo Dæmonibus hostias imolabant.

Nazar: 1. Cor. 10.

Scipio dixit Apostolum ibi loqui non de altari Idololatrarum, sed de mensa priuata, in qua comedebant Idololatras.

Scipio.

Respondi, Apostolum ibi de duplici mensa mentionem facere; & de altera prohibere fideles cibum sumere, de altera autem permittere, vt cum infidelibus ederent, & primam fuisse altare, vbi sacrificabant idolis, & in qua nonnunquam idolis imolata comedebant, vt clarè significat Apostolus in 8. cap. eiusdem epistolæ, dicens: *Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recubentem; nonne conscientia eius, cum sit infirma, edificabitur ad manducandum idolotita.*

1. Cor. 8.

Scipione autem contendente, non duas, sed vnam tantum apud Idololatrias mensam extitisse; priuatã scilicet, in qua mittebat Apostolus fidelibus cibum sumere; petijt diuinæ scripturæ volumen afferri, & legi ex prima ad Cor. Epistola vtrunq; caput, octauum scilicet, & decimum, & manifestè deprehensum est, Apostolum de duplici mensa fuisse locutum, quarum alteram in octauo cap. fidelibus interdixit, vt patet ex verbis supra citatis, & hanc ipsum altare fuisse, super quo infideles hostias immolabant, de qua etiam loquitur in cap. 10, cum ait: *Non potestis mensa*

Domini participes esse, & mensa Daemoniorum. Alteram autem fidelibus concessit, ut patet ex eodem cap. 10. prope finem, ubi ait: Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne, quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Duplicem igitur Apostolus infidelium mensam fuisse significat, alteram publicam in Idolio, & alteram in privata domo; primam affirmat esse mensam Daemoniorum; quia scilicet in ea gentiles suas hostias immolabant, & postea comedebant; secundam autem non ait esse mensam Daemoniorum, nec sicut priorem, fidelibus interdixit; Alioquin secum manifestè pugnaret Apostolus, vnam, & eadem mensam prohibens, ac permittens.

Scipionis
confusio.

Quibus auditis Scipio Calandrius subita confusione percussus, ac tenebris ignorantiae circumfusus, oculis, ac facie utraq; manu coopertis, caput usque ad genua demittens, ac paulò post illud elevans dixit, se nec intelligere, nec ea, quae dicta fuerant memoria tenere, & sibi parcendum, eo quod labilis esset memoria.

Tandem verò dixit, duas apud Gentiles mensas extitisse, sed eam, quae erat in Idolio, altare non fuisse, sed simplicem quandam mensam, supra quam id, quod erat idolo super altare sacrificatum, Gentiles comedebant. Quod tamen nullo probavit argumento; cum tamen illi probationis onus incumberet.

Et iubentibus Dominis Praesidibus, ut ad Controversiam punctum reuocaretur disputatio.

Scipio.

Scipio petijt, quid prius in sacra cena fuerit, Sacramentum, an sacrificium.

Nazar.

Respondi, Primum fuisse Sacramentum.

Scipio.

Scipio dixit: Sacramentum fit consecratione; Qua ergo actione fit sacrificium?

Nazar.

Respondi: Sicut Sacramentum, & sacrificium (sumendo sacrificium pro re sacrificata) idem sunt realiter, distinguuntur autem formaliter; ita actio consecrandi, & actio sacrificandi, vna & eadem actio sunt realiter, duae verò formaliter. Sicut enim eadem res est Sacramentum, quatenus rei sacrae signum est, & sacrificium, quatenus Deo offertur, sic eadem actio consecratio est, quatenus eius virtus fit

fit transubstantiatio panis in corpus, & vini in sanguinem Christi Domini, & est sacrificium, prout actio est, qua Deo offertur corpus, & sanguis eiusdem Domini nostri, hoc ipso, quod eius virtute ponitur in altari; ut ante dictum est. Addita verò consumptione superius explicata perspicue patet ratio sacrificii realiter à consecratione distincta.

Scipio dixit: Si consecratio vna, & eadem actio est cum sacrificio, quomodo potest esse vna prior, & altera posterior?

Respondi, hic non esse ordinem temporis, sed naturae, & intelligentiae, & actionem hanc, & eius formalem distinctionem non crasse, sed subtiliter esse considerandam.

Post hanc responsionem Praesides surrexerunt, mandantes, ut die sequenti reuenteremur omnes ad proseguendam disputationem in eodem loco.

DISPUTATIO

SECUNDAE DIEI.

Die sequenti, scilicet nona Martij, postquam in dicta Ecclesia Sancti Ioannis conuenimus omnes; Martius proseguens argumētantis officium dixit: Sacrificium, quod à Deo constitutum est, habet fundamentum in Verbo Dei, At Missa nullum habet in Verbo Dei fundamentum; ergo Missa non est sacrificium institutum à Deo.

Respondi, falsam esse minorem propositionem.

Nazar.

Martius negatam minorem sic probauit. Si Prophetae, Apostoli, & Euangelistae de Missa locuti fuissent, etiam de diffinitione, & partibus diffinitionis essentialibus sermonem fecissent: At non reperitur, eos de diffinitione, aut de aliqua eius parte essentiali fuisse locutos; ergo neque de Missa sermone fecerunt.

Respondi, dupliciter intelligi posse mentionem fieri de diffinitione, aut eius partibus essentialibus: vno modo materialiter, alio modo formaliter. Tunc dicitur de diffinitione

Nazar.

tione

tionem fieri materialiter, quando de re definita fit sermo: Tunc autem formaliter de definitione loquimur, quando de ea mentionem facimus ea ratione, qua distinguitur à definitione.

Ex his ad Maiorem dixi, eam esse veram materialiter, falsam autem formaliter. Ad minorem autem, illam esse falsam materialiter, veram autem formaliter.

Mart. Martius dixit: Definitio Missæ est: eam esse sacrificium incruentum, id est sine sanguine, propitiatorium, in quo offertur corpus, & sanguis Iesu Christi sub speciebus panis, & vini in remissionem peccatorum viuorum, & mortuorum. At Prophetæ, & Apostoli non sunt locuti de tali sacrificio; Igitur neque de Missa, aut aliqua eius parte essentiali meminerunt. Probauit maiorem; quia sacrificium Missæ est sacrificium incruentum, & propitiatorium pro animabus viuorum, & defunctorum; igitur hæc est definitio Missæ.

Nazar. Respondi: Primò, falsam esse maiorem propositionem, cuius negationis ratio fuit triplex.

Prima; quia Missæ sacrificium non solum est propitiatorium, sed etiam est holocaustum, siue honorarium, quoniam in Dei cultum, & honorem offertur. Et præterea est Eucharisticum; quoniam offertur ad Deo gratias agendum pro receptis ab eo beneficijs, & demum est etiam impetratorium, cum ordinetur etiam ad impetranda à Deo beneficia. Quæ omnia probat Sanctus Thomas in tertiâ parte, quæst. 22. art. 2.

Secunda ratio negationis fuit; quoniam in definitione nulla fit mentio de oblatione essentiali huius sacrificij, quæ secundum multos viros doctissimos consistit in actu transubstantiationis; quorum sententia superius ex parte vñ sumus. Et præter dictam oblationem alia etiam est oblatio accidentalit in Missa, quam efficit Sacerdos illis verbis. Vnde, & memores, &c.

Tertia ratio fuit; quia prætermisit ea definitio modum consumptionis huius sacrificij, quo ab alijs distinguitur, cum tamen secundum Diuum Thomam, & communiorum Doctorum sententiam, in consumptione sit posita ratio, &

essen-

essentia sacrificij; vt patet in 2. 2. quæst. 85. artic. 3. Et late probat Bellarminus lib. 1. de Missa, cap. 2. & Raphael della S. Thom. Torre in Commentario dicti articuli tertijs disputatione se- Raphael. cunda, & alij.

Secundò ad probationem dictæ maioris dixi, nullam esse consequentiam; sicut enim nullus valoris est hæc consequentia; homo habet manus, pedes, aures, & nasum; igitur hæc est hominis definitio; ita non valet illa consequentia: Missa est sacrificium incruentum, &c. Ergo hæc est Missæ definitio.

Tertiò negavi minorem propositionem.

Martius petijt afferri veram Missæ definitionem, vt probare posset, Prophetas, Apostolos, & Euangelistas nihil de ea fuisse locutos. *Mart.*

Respondi, me non teneri, veram afferre Missæ definitionem, sed ipsi onus incumbere probandi dictam maiorem affirmantem eam, quam attulit esse veram Missæ definitionem. *Nazar.*

Et rursus probandam esse consequentiam supra negatam, & minorem argumenti principalis.

Martius dixit: definitionem, & definitum se inuicem inferre, atque ideo, qui de definitione loquitur, simul etiã loqui de definitione. *Mart.*

Respondi, hoc argumento nihil prædictorum probari, scilicet, neque maiorem, neque consequentiam in eius probatione factam, neque minorem. *Nazar.*

Tunc Scipio Calandrinus dixit: qui rei proprietates aufert essentielles, rem etiam ipsam aufert; ac esse sacrificium incruentum propitiatorium pro viujs, & mortuis sunt proprietates Missæ essentielles; ergo qui eas aufert, Missam etiam aufert. *Scipio.*

Respondi, proprietates dupliciter intelligi, aut dici posse essentielles; Vno modo, quia sint intrinsecæ, & ad ipsam rei essentiam pertinentes; alio modo, quia ab ipsa rei essentia deriuentur; & rursus essentiam tolli sublatis proprietatibus intelligi posse dupliciter: vno modo formaliter; alio modo consequenter. *Nazar.*

Ad argumentum igitur dixi: sublata essentiali proprietate

tate

tate priori modo sumpta, tolli simul formaliter essentiam: Et in hoc sensu sumendo proprietatem essentialem, falsam esse minorem propositionem argumenti; nimirum, quod esse propitiatorium sit proprietas essentialis sacrificij Missæ; sublata verò proprietate essentiali in secundo sensu, tollitur essentia rei non formaliter, sed consequenter, consequentia naturali, non autem logica. Ex quo tamen non sequitur, talem proprietatem ad rei diffinitionem pertinere, aut tales proprietates esse ipsam rei diffinitionem:

Mart. Et cum nullus Ministrorum consequentiam hanc probare potuisset: Martius dixit: Cum negauerit respondens allatam supra Missæ diffinitionem esse legitimam, ab eo petuimus, ut eam afferret, quam ipse iudicauerit esse veram, & nostra meliorem; quam tamen hæcenus non exhibuit: si eam protulisset, iam à nobis probatum esset id, quod est præcipuum nostrum institutum, videlicet Prophetas, Apostolos, & Euāgelistas nihil de Missa fuisse locutos, eo quod de tali diffinitione non meminerint.

Nazar. Respondi, nostrum non esse, diffinitionem Missæ legitimam assignare, sed eorum partes esse probare veram esse diffinitionem ab eis assignatam, & consequentiam præ illius probatione factam, & minorem argumenti principalis: aut fateri, se nihil ex his posse probare, si veram cupiunt à nobis audire Missæ diffinitionem.

Mart. Martius dixit: A diffinitione ad diffinitivum est bona consequentia: at supra allata est Missæ diffinitio; ergo est bona consequentia.

Nazar. Respondi primò, argumentum assumere in secunda propositione id, quod erat probandum, videlicet, veram ab eis allatam fuisse Missæ diffinitionem.

Secundò dixi, per illam consequentiam negatam non deduci diffinitivum, sed diffinitionem esse veram, & quo ad hoc consequentiam illam esse probandam.

Mart. Martius dixit: Cum hæc diffinitio partes omnes habeat essentielles, scilicet genus, & differentiam, aut essentielles proprietates, consequens fit; eam esse veram Missæ diffinitionem, si alia vera non assignetur, alias habens differentias, aut proprietates essentielles; igitur rectè possumus argumen-

gumentari à diffinitione ad diffinitivum.

Respondi, illi diffinitioni deesse partes aliquas essentielles, & in ea contineri nonnullas non essentielles.

Mart. Martius dixit: donec alia diffinitio magis accommodata, & congrua diffinitio producat, se reputare differentias, & proprietates in allata diffinitione positas esse veras, & sacrificio congruere propitiatorio, quod Missam esse dicunt.

Respondi primò, nos non loqui de Missa solum, ut sacrificium est propitiatorium, sed absolute, ut sacrificium est institutum à Christo Domino Salvatore ad alios etiam fines.

Secundò, illi onus incumbere probandi propositionem, qui eam argumentando producit, nec mihi difficile esse monstrare ultimam dictæ diffinitioni deesse differentiam, nisi rigor disputationis, quem etiam ipsi sequuntur, obfisteret.

Mart. Martius dixit: disputationis nostræ subiectum est Missæ sacrificium; & quamvis sciam, Missam ad alios etiam fines ordinari, nihilominus in diffinitione finem adduxi principalem; solent enim ad multa Missæ celebrari, etiam præ venatoribus, ut bonum sortiantur euentum.

Respondi, hoc argumentum non probare propositum, sed divertere ad impertinentia, & imposturas, ac mendacia manifesta continere. Probandum enim erat, dictam diffinitionem esse veram, & propriam, nec diuertendum erat ad extranea mentiendò præ venatorum fortuna, vel euentu Missas à Catholicis celebrari, quod euidenter est falsum.

Secundò deesse dictæ diffinitioni differentiam essentialem, qua Missæ sacrificium à quolibet alio legis naturæ, vel scriptæ sacrificio distinguitur, quæ in transubstantiatione, & modo consumptionis proprio huic sacrificio consistit.

Mart. Martius dixit: Fines, ad quos Missa destinatur, prope modum infiniti sunt, quos in Missali licet inspicere, ad quem me remitto; inter quos est finis iam dictus, licet non ignorem, Missalia aliqua fuisse correctæ, ne res aliqua in eis risu dignæ videantur.

Nazar. Respondi, & dixi tria. Primum est, Missæ sacrificium non habere fines quasi infinitos in specie, cum ad erestantum in genere reducantur; offertur enim Missæ sacrificium, vel ad remissionem peccati, aut etiam, ut homo semper in gratia Dei conseruetur semper inhærens Deo, in quo eius pax, & solus posita est; & ita offertur ad modum hostiæ pacificæ. Vel ad hoc offertur, ut spiritus hominis Deo perfectè vniatur, ac præsertim in gloria; & ita offertur ad modum holocausti, quod totum in Dei honorem incendebatur. Vel in gratiarum actionem offertur pro receptis à Deo beneficijs; & ita etiam ad primum genus pertinet sacrificij.

Secundum est, dictæ diffinitioni non solum deesse duos fines iam dictos, sed etiam ultimam differentiam superius explicatam.

Tertium est: mendacium, & imposturam esse manifestam id, quod de Missa pro venatorum fortuna, & correctione Missalium repetere Martius non erubuit.

Mart. Martius dixit. Propterea dixi, fines esse propemodum infinitos; quia Missa secundum eorum, qui celebrant, opinionem, medicandi munus exercet, & necessitatibus, tam corporis, quàm animæ succurrit, quæ infinitæ ferè sunt, alijs interim finibus prætermisissis, quæ in vestro Missali, cui me remitto, continentur.

Nazar. Respondi primò, per hæc non probari dictam Missæ diffinitionem esse legitimam, aut in Missali contineri Missam pro fortuna venatorum; aut Missæ fines in specie esse propemodum infinitos, aut consequentiam supra negatam esse bonam, aut minorem argumèti principalis esse veram.

Mart. Martius dixit: Quo ad diffinitionem, ad ea me remitto: quæ supra dixi.

Nazar. Respondi, ea, quæ pro dicta diffinitione Martius dixit fuisse à me suprascriptis responsionibus confutata, quibus itidem me remisi. Quibus absolutis, decreuerunt Præsides disputandum esse pottera die, de puncto principali, videlicet, an Missæ sacrificium sit institutù à Christo Domino:

DISPUTATIO TERTIÆ DIEI.

Die decima mensis prædicti hora 18.

Congregatis tertio Catholicis, & hæreticis in Ecclesia supranominata, Martius dixit: Ministri inhærentes ordinationi Dominorum Præsidentium externa die factæ, nouum exhibent testamentum, in quo Missæ sacrificium fuisse à Domino nostro Iesu Christo institutum non inueniunt.

Nazar. Respondi, ut legant caput Matt. 26. Marci 14. Lucæ 22. & epist. 1. ad Cor. 11. in quibus locis inuenient institutionem sacrosancti Missæ sacrificij, in verbis dominicæ cœnæ, satis euidenter expressam.

Martius dixit, intellexi loca assignata, quæ diligenter à nobis lecta sunt, nec tamen in eis inuenimus id, quod appellant Missæ sacrificium, sed sacram cœnam tantum, & legantur loca.

Quibus lectis.

Nazar. Respondi in illis locis, & verbis iam lectis institutum à Christo Domino fuisse Missæ sacrificium; sed ea in eo legitimo, ac verò sensu esse intelligenda, quem Sancti Ecclesie Patres communi consensu, nemine discrepante suis ad ea loca commentarijs explicarunt.

Mart. Martius dixit: Persistimus in eodem dicto, videlicet, nihil agi de Missæ sacrificio hodie consueto; & addidit Cæsar, de intelligentia locorum dictorum noui testamenti agendum esse secundum intentionem Dominorum Præsidentium.

Nazar. Respondi, & dixi tria. Primum est: in illis locis agi de Missæ sacrificio meq; (si opus fuerit) id ostensurum.

Secundum est: De sacrificio Missæ hodie consueto in duplici sensu hos loqui posse; Primò, quantum ad essentiale ipsius

ipsius sacrificij: secundo, quantum ad ceremonias, & alia eius accidentia. Si loquatur Martius de Missæ sacrificio hodie consueto quo ad id, quod illi essentiale est secundum rationem sacrificij, institutum fuit à Christo locis allegatis: ibi enim narratur transubstantiatio panis in corpus Christi, verbis illis facta: *Hoc est corpus meum: & vini in sanguinem: Hic est sanguis meus; & Calix novi testamenti, &c.*, quam etiam supra diximus esse essentialem oblationem; ibidem etiam sermo est de comestione eiusdem corporis sub speciebus panis, & de potu eiusdem sanguinis sub speciebus vini, & de actione sacrificandi per illa verba Domini: *Hoc facite in meam commemorationem*; quibus etiam Apostolos constituit novi testamenti Sacerdotes. Eadem etiam actio sacrificandi significatur apud Lucam cap. 22, illis verbi: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Et primæ*
 1. Cor. 11. *Cor. 11. Quod pro vobis frangitur, & Lucæ 22. Est Calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis funditur*, scilicet, in remissionem peccatorum; ut ait Matt. cap. 26. verba autem illa præsentis temporis, *datur, frangitur, funditur*, non significant, corpus Domini dari, frangi, & sanguinem fundi Apostolis ad manducandum, & bibendum; sed dari, frangi, & effundi Deo in sacrificium. Non enim dixit Dominus: *vobis datur, frangitur, &c. sed pro vobis; & pro multis*. Dabantur ergo tunc Apostolis corpus Christi verum sub specie panis ad comedendum, & sanguis sub specie vini in ora eorum effundebatur ad bibendum in sacrificium propitiatorium, tam pro sumentibus Apostolis, quam pro multis alijs, ad quorum salutem huius sacrificij virtus fuit ab æterno destinata.

Nec obstat verbum futurum *effundetur* in vulgata lectione, sed magis intento fauet; præsens enim tunc effusio sanguinis Christi Domini futuram sequenti die cruentam in Cruce sanguinis effusionem repræsentabat: Verbum autem futurum, scilicet, *effundetur* non solum eandem futuram effusionem in Cruce, sed etiam futuram effusionem in cruentam in Ecclesia perpetuò duraturam significabat.

His adde loca divinæ scripturæ, tam ex veteri, quam ex novo testamento à Sanctis Patribus exposita de sacrosan-

æto

æto Missæ sacrificio, quæ diligenter cum Sanctorum dictis Collegit Bellarminus libro primo de Missa, & optimè defendit ab Hæreticorum calumnijs, & post eum Valentia duobus libris de sacrosancto Missæ sacrificio.

Bellarm.
Valent.

Si autem loquatur Martius de Missæ sacrificio, quo ad ceremonias, & alia eius accidentia, certum est, nec ibi, nec alibi, institutum immediatè fuisse à Christo Domino, sed partim ab Apostolis; partim ab eorum successoribus auctoritate eorum ordinaria fuisse paulatim, & longo temporis successu institutum. Nouarum enim ceremoniarum, & rituum accidentalium prudens, ac rationabilis institutio ordinariam Summorum Pontificum auctoritatem non excedit.

Postremò dixi, me de sacrosancto Missæ sacrificio cum Martio, & alijs eiusdem sectæ ministris tractaturum secundum dicta, tam novi, quam veteris testamenti iuxta sensum à Sanctis Patribus expressum, ob rationes superius assignatas.

Martius dixit: Negamus, in dictis locis agi de sacrificio Missæ. Quo ad ceremonias autem Missæ, cum non sint essentielles, ut dicitis, sacrificio Missæ, non est necesse quidquam loqui.

Mart.

Quo ad tertiam autem dicimus nos fidei nostræ fundamentum habere completum; Atque perfectum in verbo Dei; Et præterea verba divinæ scripturæ adeo fuisse à Spiritu Sancto temperata, ut ex vno loco declaretur alius; & Patres ad divinæ scripturæ verba se remittere, sicut ipsi protestati sunt. Et ut Dominis Præsentibus obediamus, sicut omittimus ceremonias, sic, & Patres omittimus, prout etiam pacta, & promissiones scriptæ continent; quæ legantur: quibus lectis, ut etiam in prima disputatione.

Respondi, primò: partes eorum non esse quidquam negare, sed tantum iuxta pacta, & promissiones modo lectas probare, quod se probaturos esse dixerunt.

Nazar.

Secundò: Fidei fundamentum verbo Dei, tam scripto, quam non scripto perfectè contineri, & divinam scripturam haud facile ab omnibus intelligi posse. Quod autem Martius ait: divinam scripturam sic à Spiritu Sancto fuisse

K

se

se temperatam, ut vnus locus alterum explicaret. Respondi, id nequaquam sufficere, ut sine Sanctorum Patrum expositionibus verum, ac proprium diuinarum scripturarum sensum cōmuniter fideles assequantur; ut ipsa diuina scriptura testatur Psal. 118. dicens: *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam: & infra: Reuela oculos meos, & conspuerabo mirabilia de lege tua: & infra: Faciem tuam illumina super seruum tuum, & doce me iustificaciones tuas.* De quibus verbis Sanctus Hieronymus ad Paulinam sic ait: *Si tantus Propheta tenebras ignorantie confitetur; quas nos putas paruulos, & pene lactentes in scitia nocte circumdari:* Lucæ ultimo, Christus Dominus duobus Discipulis post resurrectionem scripturas interpretabatur. Act. 8. Eunuchus Regine Candace, dum Isaię vaticinia legeret, interrogatus à Philippo, cum ea, quæ legebat, intelligeret; Respondit, *Es quomodo possim, si non aliquis ostenderit mihi?* & 2. Petri vlt. cap. de epistolis Apostoli Pauli sic dicitur: *In quibus sunt quadam diffhesia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut & ceteras scripturas ad suam ipsorum perditionem:* Huic veritati subscribunt Sancti Patres vnanimi consensu. Ireneus lib. 2. cap. 47. Origenes lib. 7. contra Celsum Rufinus lib. 11. historię cap. 9. refert testimonia Basilij, & Nazianzeni. Chrysoft. hom. 40. in Ioannem. August. lib. 2. Doctrinæ Christianæ, cap. 6. & lib. 12. Confessionum cap. 14. & alibi sæpè. Gregorius hom. 6. in Ezech. & alij, quorum dicta refert Bellarminus lib. 3. de Verbi Dei interpretatione cap. 1. & optimis etiam argumentis confirmat, & ibid. cap. 2. diluit obiectiones Hæreticorum.

Secundò, quia verba nonnulla sacræ scripturæ ex seipsis clarissima petulantium ingeniorum peruersitate tenebris offusis reduntur obscura, ut perspicuè patet in verbis, quibus Christus Dominus panem in corpus suum, & vinum in sanguinem suum consecrauit; illa enim clarissimè veritatem corporis, & sanguinis, non autem signum tantum, aut figuram ipsorum virtute verborum illis à Christo collata sub panis, & vini speciebus esse significant: quibus tamen diuersas, immò & oppositas hæretici nostri temporis conati sunt expositiones accommodare.

Ter-

Tertiò, quia diuinæ scripturæ loca, quibus alia magis obscura declarentur, haud facile cuiuslibet erit inuenire: Quamobrem necesse est, ad certam eorum, quæ diuinis voluminibus continentur, intelligentiã assequendam vnã esse regulam infallibilem; hæc verò est Ecclesiæ doctrina, & Sanctorum Patrum expositiones communi eorum consensu, in ijs præsertim, quæ ad fidem pertinent, roboratæ. Non itaq; diuinas scripturas Catholici reiicimus, ut sacrosanctum Missæ sacrificium statuamus; sed prauas, ac fallaces refutamus intelligentias, & peruersa hæreticorum dogmata deuitamus, & verum, ac infallibilem verborum diuinæ scripturæ sensum complectimur.

Martius dixit: Respondeo, & me remitto ad id, quod scriptum est, & dico, mandatum Dei vocari præceptum lucidum, & lucernam pedum nostrorum, & lumen semitarum nostrarum: quibus; & alijs similibus perspicuè demonstratur, diuinas scripturas esse claras. Quod si hæretici, aut alij, etiam Demones scripturam corrumpunt, ad eam tamen recurrendum est, quæ diuina statuta nuncupatur, ad eam, ut ponderet, & non ponderetur, & si à malis; & peruersis ingenijs fuerit corrupta, ea tamen in respondendo, & ad conuincendum vtendum est, dicente Apostolo: *sis tenax sacræ doctrinæ, & aduersarios conuince.* Vnde Dominus noster, cum tentaretur à Diabolo malè allegante verbum Dei, non recurrit ad Rabbinos, neque ad Pontifices illius temporis, neque ad Sacerdotes, aut Prophetas, sed ad ipsam sacram scripturam; & ea superauit aduersarium, exemplum nobis præbens, ut eius vtamur verbo, non solum pro fidei fundamento, & recta via ad cælum gradiendi; sed etiam ad ingenia distorta conuincenda, & ad prauas mentium qualitates eorum aperiendas. Et Sanctus Paulus dixit: *totam sacram scripturam inspiratam à Deo fuisse, & vtilem esse ad docendum, & ad redarguendum.*

His addidit Scipio Calandrinus: Si verba consecrationis clarissima sunt, ut asseritis; poterunt ergo sua claritate deseruire ad redarguendas falsas expositiones, ut dictum est.

Quod autem dicitis, esse verbum Dei scriptum, & non scriptum; de non scripto nihil in præsentem curamus; cum

K 2

ver-

verbum scriptum sit per se sufficiens. Quo autem ad id, quod dicitis; scilicet, tam Ecclesiam, quam Patres esse doctrinæ regulam infallibilem; hanc admittimus regulam, si tamen Verbo Dei scripto sit cõformis, & ea utamur secundum fidei analogiam, ut ait Sanctus Apostolus Paulus. Denique negamus, Patres omnes in afferendo Missæ sacrificio convenisse; quod etiã, si necesse fuerit, demonstrabimus.

Nazar.

Respondi, Primò eos formam, ac personas assumere respondentium, cum tamen eorum partes sint argumentari, ac proinde responsionis meæ singula capita impugnare te neantur, eo meliori modo, quo sciunt, & possunt.

Primò, quia Reverendus Parochus sua se scriptura ad nihil aliud obstrinxit, quam ad defendendum Missæ sacrificium fuisse à Christo Domino institutum; Martius autem sua scriptura se ipsum obligavit non solum ad defendendũ, sed etiam ad probandum evidenter, nec vnam quidem syllabam de Missæ sacrificio in sacra scriptura reperiri.

Secundò, quia in ipso disputationis exordio, facta super hoc diligenti consideratione, onus assumpserunt argumentandi, quod prius scripturæ obligatione propria Martij manu firmatæ, se subituros esse promiserant; quod etiam in externa disputatione præstiterunt.

Tertiò, quoniam hanc ipsi hodiernam disputationem argumentis ex ipsa divina scriptura negativè propositis inchoarunt; hac forsitan via volentes argumentandi nobis onus imponere, quod ipsi minimè poterant sustinere.

Cum tamen omnibus, vel mediocriter in disputationibus exercitatis evidentissimè constet, legitimum disputationis ordinem postulare, ut qui in litteraria concertatione argumentandi munus assumpsit, nunquam in eadem respondentis fungatur officio. Hæ namque sunt primæ disputationum leges, ipso naturali rectæ rationis iudicio dictatæ, & communi omnium Academiarum consensu, & vñ firmatæ.

Secundò ad verba Psalmi respondi Divinum Præceptum dici lucidum, & pedum nostrorum lucernam nuncupari, quia secundum veram, & legitimam intelligentiam apprehensum, quam Sancti Patres suis Commentarijs explicarunt;

runt;

runt, nostras dirigit mirabiliter actiones.

Tertiò ad id, quod asserit Martius, nimirum, si contigerit, divinæ scripturæ sensum à quovis, etiam ab ipso Dæmone corrumpi, ad eandem sacram scripturam esse recurrendum, dixi, id verum non esse, loquendo de sola divina scriptura, omissa Sanctorum Patrum expositione, ijs dumtaxat exceptis, qui certam, & infallibilem, eiusdem habent scripturæ sacræ intelligentiam; qualem habuerunt Saluator noster, & Apostoli, ac Summi Pontifices, & Concilia generalia legitimè congregata, & capiti suo Christi Vicario copulara.

Nec tamen asserimus, aut admittimus blasphemum illum errorem, quem tam facile Martius nobis imponit, videlicet; divinam scripturam à nobis esse ponderandam, id est iudicandam, an scilicet res in ea contentæ verè sint, sed solum dicimus, ex Patrum interpretationibus earum sensum esse diligenter inuestigandum, ut ex eorum doctrina cognoscamus, ac iudicemus, quæ nam sit propria sacrorum verborum significatio, quam à nobis cognitam non dubitamus esse verissimã, & à nobis firmissima fide credendam.

Ad locum autem ex Sancto Apostolo Paulo productum dixi malè fuisse allegatum; verba enim Apostoli in secunda ad Timothæum tertio cap. sunt. *Tu verò permane in ijs, quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris: Et quia ab infantia sacras litteras nostras, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu. Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendam, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.*

Quibus verbis manifestè declarat Apostolus, se Timothæum adhortari, ut divinis utatur scripturis ad docendum, arguendum, corripiendum, &c. iuxta doctrinam, & intelligentiam illi ab Apostolo traditam, sicut etiam paulò ante præmiserat: *Tu autem assecutus es meam doctrinam, &c.* & in secundo capite. *Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere.* De Christo autem iam diximus, illam habuisse infallibilem divinæ scripturæ intelligentiam, quam ad omnes fideles

Secunda ad
Timoth. 6.

K 3

exten-

extendere, summa non solum ignorantia, sed insignis dementia est.

Ad obiectionem autem Calandrini aduersus exemplum allatum ex verbis consecrationis, dixi, non eis fauere, sed magis aduersari.

Nam, si proprium, ac litteralem dictorum verborum sensum clarissimum ausi sunt Hæretici recentiores falsa, ac perniciosa interpretatione pervertere; Atque ideo veris Christi fidelibus necesse fuit, ad Sanctorum Patrum, & Ecclesie doctrinam pro legitima eorum intelligentia recurrere, ne ad Hæreticorum dogmata traherentur; quanto magis in obscurioribus diuinæ scripturæ locis intelligendis, ad eandem Patrum, & Ecclesie doctrinam, velut ad tutissimam anchoram erit à fidelibus recurrendum? Eadem autem verba in sensu proprio, ac planissimo sumpta Calvinistas erroris conuincunt in præcipuo fidei dogmate de veritate Sanctissimi Eucharistie Sacramenti.

Quod addit, se nihil pendere Verbum Dei non scriptum, nihil refert; nam quidquid ipsi crediderint, verum semper erit, quod supra diximus, scilicet Verbum Dei, tam scriptum, quam non scriptum esse completum, referendo verba hæc; tam scriptum, quam non scriptum ad subiectum, quod est Verbum Dei; Sic enim efficiunt sensum compositum, & verum; quia simul sumendo Verbum Dei scriptum: & non scriptum, vnum constituunt Verbum Dei, propriè, & absolute completum. Si verò referrentur ad prædicatū, quod est dictio illa completum, faceret sensum diuisum, & falsum. Non enim vtrunque verbum, scilicet scriptum, & non scriptum per se, ac seorsum sumptum est completum, simpliciter, & absolute loquendo, vt facile probari posset, si liceret à recto disputationis tramite declinare.

Quod autem Calandrinus admittit circa sacrarū scripturarum intelligentiam, ex Sanctorum Patrum, & Ecclesie doctrina cum limitatione, Si fuerit Verbo Dei scripto conformis, & fuerit examinata secundum fidei analogiam; satis remanet confutatum ex ijs, quæ supra diximus de sacrarū scripturarum intelligentia ex Sanctorum Patrum, & Ecclesie documentis comparanda.

Quo

Quo ad id autem, quod postremò dicit, se negare, communem scilicet esse Patrum consensum in materia sacrificij Missæ, dixi primò, munus eius in hac disputatione non esse negare, sed probare; vt pluries dictum est. Secundò dixi, me nullum, ex Patribus inuenisse contrarium. Tertiò dixi; si forte vnum, aut alterum contingeret, non omninò consonè cæteris exponere, non ideo tolli communem Patrum consensum, de quo supra locutus sum.

Quibus dictis, decreuere Præsides, vt ad propositum punctum, seu difficultatem reuocaretur disputatio; an scilicet Missæ sacrificium secundum Verbum Dei scriptum, fuerit, vel non fuerit à Christo institutum.

Tunc Martius dixit: Respondens affirmauit, loca diuinæ scripturæ superius allegata ad Missæ sacrificium pertinere; Ego autem id nego, verum esse.

Respondi, me tanquam respondentem ea diuinæ scripturæ loca proposuisse, in quibus secundum Sanctorum Patrum communem intelligentiam sermo est de sacrosancto Missæ sacrificio: Nunc verò eorum partes iuxta factam promissionem, & scriptam obligationem, esse probare, nec in vna quidem syllaba in dictis locis mentionem fieri de Missæ sacrificio, quod etiam pluries suis argumentis efficere tentarunt, sed hætenus perficere non potuerunt.

Martius dixit: Defendenti Missæ sacrificium respondeo, quod, cum ego promiserim ijs omnibus respondere, quæ fuerint opposita pro Missæ sacrificio; Si aliqua proposuerit respondebo, & factam exequar promissionem; Et postquam ipsi ea omnia, quæ potuerint pro defensione sacrificij Missæ, producerint, ero tunc iuxta scriptam promissionem paratus ad probandum, in sacra scriptura, nec vnam quidem syllabam de sacrificio Missæ reperiri. Qui enim quidpiã affirmat, paratus esse debet, ad id, quod asserit, cõprobandum.

Respondi, Nos omnes Catholicos protestari, cum ex scripta promissione, & obligatione iam bis publicè lecta solum teneamur, propositis argumentis respondere, ac defendere sacrosanctum Missæ sacrificium à Christo Domino fuisse institutum: Et tribus iam expletis disputationibus coram Dominis Præsidentibus nihil Ministri probare

K 4

potue-

potuerint, nec velint vterius argumētis agere, sed respondere iam in fauorem Catholicorum disputationem esse terminatam.

Minist. Ministri dixerunt: Si finem vultis impositum esse disputationi, assentimur, & ipsi, sed cum probare non potueritis ex scriptura facta Missæ institutionem à Christo protestamur disputationem in fauorem nostrum, & contra vos esse terminatam.

Nazar. Respondi, Nos vt supra protestari, & protestationem, quatenus opus est, innouare.

Syler. Tunc Dominus Ministralis Ioannes Baptista Sylerus dixit: Rogamus vos Reuerendos Patres, & Ministros, vt pro nostra, & totius populi ex vtraq; religione mixti ædificatione cum teneatis, & doceatis, Missæ sacrificium institutum fuisse à Christo Domino nostro, & esse sanctum, & bonum; id ex Verbo Dei probetis, vt ab errore liberemur, & doceamur, si namq; nobis ex sacris litteris fuerit demonstratum, Missam esse sanctam, & bonam, & Christi Domini institutione fuisse sancitam, me ipsum offero ad eam amplectendam; Si verò non fuerit ex Dei Verbo comprobata, illam esse rem humanam existimabo.

Nazar. Respondi, me cum socijs mecum sedentibus esse paratum ad eum, & totum simul populum instruendum de sacrosancto Missæ sacrificio, tam in suggesto, quam in cathedra, tam in scriptis, quam in priuatis colloquijs; Sed cum probare publica disputatione per diuinas scripturas Missæ sacrificium à Christo Domino fuisse institutum, nulla promissione, vel obligatione teneamur; id minimè faciemus; nisi superiores nostri, qui nos iuxta scriptæ promissionis, & obligationis formam huc ad disputandum destinauerunt nobis præcipiant, vt publicè disputando id probemus ex diuinis litteris, Missæ sacrificium Christi Domini institutione fuisse sancitum: Illis enim præcipientibus, id libenter, & facile præstabimus; Non enim deerunt optima fundamenta ex vtroq; testamento; sed nõ debemus, ac proinde, nec volumus iuri nostro in præsentis disputatione derogare.

Syler. Dominus Ioannes Baptista dixit: Causa, quæ me mouit ad petendum, vt supra, fuit; quia credidi, disputationem

hanc,

hanc à nobis tandem desideratam, cum maiori ædificatione fuisse terminandam, & oppositum accidisse cognoscens dictam petitionem proposui.

Quo ad oblationem autem nos supradicto modo docendi dico me nolle eo modo doceri, sed coram hac nobili congregatione ad hunc effectum hic adunata.

Respondi, me nunquam simpliciter recusasse, neque in presenti recusare modum docendi, quem ipse desiderat, probando scilicet ex diuinis scripturis sacrosanctum Missæ sacrificium; sed esse paratum etiam hoc onus assumere,

Verum, quia de diuinarum scripturarum sensu controuersia est inter Catholicos, & Calvinistas, dum quisque consonam fidei suæ sacris dictis adhibet expositionem; nec Catholicus intelligentiam Caluini, neque Calvinista Catholicæ Ecclesiæ sensum vnquam admittet; impossibile esse, disputationem hanc nostram aliquo vnquam sine terminari, nisi iudices eligantur integerrimæ, & indubitatæ fidei; quid de legitimis ac proprijs earum scripturarum, quas producemus sensu, iudicium ferant.

Nullos verò ad id præstandum inueniri posse antiquis Patribus omni doctrina, & sanctitate præstantibus meliores, qui multis sæculis Lutherum, Caluinum, & alios modernæ eorum religionis, ac dissensionis præsentis auctores præcessere, ac proinde omni eos suspicionis nota carere; quod vni magis, quam alteri religioni sint addicti; atque ideo suis interpretationibus vni magis, quam alteri faueant. His ergo iudicibus de diuinarum scripturarum sensu constitutis, Missæ sacrificium à Christo Domino fuisse institutum illis me ex verbo Dei demonstraturum esse promisi.

Dominus Ioannes Baptista, & cum eo Martius, & alij Ministri dixerunt, se velle probationes afferri tantum ex verbo Dei, relictis Sanctorum Patrum expositionibus.

Respondi, sine Patrum interpretationibus nullum posse disputationi finem imponi, & ideo probent ipsi, quod publica scriptura se probaturos esse promiserunt.

Dominus Ioannes Baptista subiunxit, Dicatis saltem hic publicè, vel in scriptis, quid sit Missæ sacrificium.

Respondi, me libenter in scriptis, quid sit Missæ sacrificium,

V. 10

cium,

cium, explicaturum; licet eius definitio ex dictis à me superius colligi facile possit.

Præsides. Nunc horam esse nimis tardam occidente iam Sole:
Tunc Clauennæ Commissarius Calvinista alter ex Præsidentibus disputationis sententiam suam, ita pronunciauit. Cum vos Patres nolueritis quidquam proponere, quod à Ministris possit impugnari respondendo, sicut seiplos exhibuerant, prout etiam in scriptura continetur; Dico per vos stetisse ne disputaretur; quoniam à superioribus mandatum non habetis.

Et statim Prætor plurijs alter Præsides Catholicus dixit; Dico Reuerendos Patres nulla teneri obligatione ad argumentandum, sed solum ad respondendum; atque ideo per Ministros stare, ne disputetur.


Hoc modo terminata fuit disputationis: cuius duæ postremæ partes, secundæ, scilicet, & tertie diei à duobus Cancellarijs fuerunt exceptæ, altero Catholico, scilicet Domino Parauicino Mazzono Villæ Archipresbytero, & altero Calvinista, scilicet Luca Donato Trahonæ concionatore, scriptis primò collatis, & postea commutatis, & subscriptione firmatis; quanquam Catholico necesse fuerit, multa à me inter disputandum dicta ab eo notata delere, quæ ut creditur, malitiosè prædictus Donatus notare contempserat; sicut à Ministris multa malè, & impertinenter dicta prætermiserat.

Primæ verò diei disputationis non fuit à notarijs excepta; Quia Commissarius Clauennæ prædictus non absensit, ut publicè scriberetur; fuit tamen priuatim à me, & alijs Reuerendis Catholicæ fidei Sacerdotibus mecum sedentibus cum omni diligentiâ, ac fidelitate descripta, & plurimum subscriptione firmata.

Horum omnium actuum exemplaria missa sunt Romam ad sacram Illustrissimorum Generalium Inquisitorum congregationem, & ad Summum Põtificem Clementem Oñium.

RESPONSIONES AD CENSURAS
OPVSCVLVM
TERTIVM

Responsiones Adm. Reuer. Patris Magistri
Fratris Ioannis Pauli Nazarij ad
Censuras Hieronymi Fasoli.



Prima Censura, & eius confutatio.

Circa sensum dicti Sanctorum Dionysij, & Thomæ
de causa, & causato.



Hieronymus Fasolus nouissimus Sancti Doctoris interpres in prima parte D. Thomæ quæst. 4. art. 3. exponens responsionem S. Doctoris ad 4. quo ad ea verba: *In his, quæ vnus ordinis sunt, recipitur mutua similitudo, non autem in causa, & causato.* malè considerans Caietani declarationem, & nostram, & illi, & nobis imponit, quòd asseramus disparitatem dictis verbis à D. Thomæ, cum magno Dionysio significatam, intelligendam esse etiam in causis vniuocis; ita .s. ut in eis verè dici possit causam, & causatum non esse eiusdem ordinis, & in eisdem similitudinem non esse relationem æquiparantæ, Quod neq; Caietanus vnquam asseruit, neq; nobis aliquando mens cogitatione fugessit, neq; somniando phantasia confinxit. Prædictus igitur interpres cum laruis pugnat, & hostes ferit, quos sibi pro sua voluntate formauit, dum aduersus impostam nobis ab ipso falsitatem argumenta multiplicat.

D. Thom.

Impostura.

M V J V O 2 V 4 0
Secunda Censura, & eius confutatio.

Circa illud dictum Sanctorum Patrum: Deus est
supra, & extra mundum, &c.

Idem expositor quæst. eiusdē primę partis octava art. 2.
Dubitatione 4. exponens commune dictum SS. Patrum
asserentium Deum esse supra, & extra mundum, & ex-
cedere omnia, id (inquit) explicamus, ex formalis ratione im-
mensitatis, & de esse actu: Nam, quod Vasquez hic disp. 29.
cap. 4. Et Nazarius Contron. unica non distinguentes duos mo-
dos essendi ab extra; alterum essendi simpliciter, & in seipso; al-
terum essendi in alio extra seipsum, velint id dici ex ratione for-
mali Omnipotentia, & excellentia natura Divina; super omni-
alias naturas, & de esse in potentia, non de esse actu; non existi-
mo, esse ad mentem Sanctorum. Hæc ille. Probat autem hanc
suam sententiam ex illo Job. cap. 10. Excelsior celo, profun-
dior inferno longior terra mensura eius, & latior mari. Hæc
enim verba (inquit) ex propria significatione clarissime
important formalem, & actualem excelsum immensitatis,
& de immensitate dici docet Augustinus libro de essentia
Divinitatis in principio; sicut etiam illa alia verba: Quem
celum, & cali calorum capere non possunt. Nam capere ad
magnitudinem formaliter refertur; & idem omnino sunt:
celum te capere non potest, & tu es supra, vel extra celum, sive
excelsior celo; & habens magnitudinem maiorem illa, quam po-
test capere celum; ad quam etiam immensitatem ait specia-
re verba illa Gregorij. Circumquaq; exterior; exterior per
magnitudinem extra circumdans, & exterius ambiens, circum-
dando exterior, &c.
Et illud Hieronymi, & Hilarij: Infusus, & circumfusus,
exterior interna concludit, excedit exterior, & in circumscrip-
tione sui spiritus cuncta transcendit. Hæc verba (inquit) ma-
nifestum sonant excelsum, & superioritatem, & exteriore-
ritatem actualis presentie, & magnitudinis, non potentie,
& mobilitatis. Quod clarius apparet ex verbis eiusdem
Gregorij lib. 2. Moralium cap. 8. dicentis Deum esse inte-

Iob. 10.
mod. T. 11

August.

Gregor.
stud. 10. q. 11

Hieron.
Hilarius.

rins supraq; super, & intus. Sicut enim, cum dicitur Deus
esse interius, & intus, non intelligitur potentialiter, sed lo-
caliter, sic intelligi debet, cum dicitur esse supra, & super;
quoniam hæc illi contraponuntur. Prædictis addit ingen-
tem sententiarum syluam ex varijs SS. PP. locis acceptam,
quæ nostra in allegata quæstione dicta non feriant, sed æ-
rem verberant. Ad cuius evidentiam.

Explicantur dicta Sanctorum Patrum, & confu-
tantur obiecta Fasoli.

Sciendum est primò ex Arist. & D. Thoma 4. physic. 2
textu 25. vsq; ad 28. exclusivè, nihil esse posse in seipso
lo primò, neq; per se; neq; per accidens; vt ibi demon-
stratiuè probat Arist. & explicat optimè S. Thomas: cum
autem Deus sit omnino simplex, & ideo partes non habeat,
secundum quarum vnã sit in altera, non potest Deus ve-
rè, ac propriè dici esse per se primò in seipso actu, & posi-
tiuè; sed negatiuè tantum; vt S. Doctor ibidem aduertit
tex. 27. dicens: Sciendum tamen, quòd aliquid dicitur esse in
seipso, non secundum intellectum affirmatiuum, sicut hic repro-
bat Philosophus, sed secundum intellectum negatiuum, prout esse
in seipso non significat nisi non esse in alio. Cum ergo dicitur
Deus esse in seipso, non potest intelligi secundum vllum ex
illis octo modis essendi in alio, quos ibi recenset Arist. ac
proinde, cum dicitur, Deus esse supra, & extra mundum,
& illum excedere, vel transcendere, aut exterius circum-
dare, ambire, & concludere: esse excelsior celo, profun-
dior inferno, longior terra, & latior mari, verba illa: extra,
supra, excedere &c. secundum figuratam locutionem, &
Methaphoricam similitudinem accipienda sunt, non au-
tem secundum dictarum vocum proprietatem, prout .s.
materialium quantitarum, locorum, aut situum significant
differentias. Cum enim neq; Deus sit corpus, neq; supra,
aut extra mundum sit aliud corpus, in quo sit Deus, non
potest Deus, verè, ac propriè dici longus, aut latus, vel lo-
caliter, & actualiter esse supra, aut extra mundum; quo-
niam

Arist.
S. Thom.

Quo sensu
Deus dica-
tur esse ex-
tra, & su-
pra mun-
dum.

niam his vocabulis, supra, & extra, longus, latus, materialium quantatum, locorum, & situum corporeorum differentia significantur, à quibus non nisi res corporeæ, aut corporibus copulatæ denominantur. Confirmatur, & explicatur hæc veritas; quia, cum dico: Deus est supra, aut extra cælum, aut circumdat, ambit, concludit, excedit, & transcendit per magnitudinem, voces istæ præcipue, & localiter sumptæ, significant relationem æquiparantiam, qua duo corpora, vel duæ spirituales substantiæ corporibus aliquo modo coniunctæ, aut vnum corpus, & vna substantia spiritualis, alteri corpori coniuncta, referuntur, ad intimitatem vt superius & inferius, secundum situm: Cum ergo Deus, neq; sit corpus, neq; sit in aliquo corpore existens extra cælum, quia nullum ibi est, nulla ratione dici poterit esse supra, aut extra cælum aequaliter, & localiter. Confirmatur secundò, Nam ex hoc, quod Deus sit in semetipso, siue in sensu affirmatiuo, quod negant Arist. & D. Thomas, siue in sensu negatiuo, quod affirmat S. Doctor, non potest fundare dictam relationem, aut relationes; tum quia dictæ relationes, aut relationum fundamenta sunt differentia locorum, aut situum, materialem consequentes rerum corporearum quantitatem; quæ est vnius, & eiusdem ordinis; Tum etiam, quia negatio non potest esse ratio fundandi relationem realem.

Et ex his patet supradicta Diuinæ scripturæ, & PP. testimonia accipienda esse, vel vt figuratè, & Methaphoricè dicta, vel ad significandam infinitam Dei maiestatem, & potètiã, quæ ad nullam rerum creatarum, aut creabilium potest multitudinem, aut vniuersitatem limitari, adeo vt ita sit in illis, vt in alijs ab eo creabilibus vsq; in infinitum esse non possit. Vel etiam exponenda sunt negatiue, dicendo Deum esse extra, & supra mundum, id est non ita esse intra mundum, vt eo tanquam loco sibi aequato limiteretur, nec alia corpora facere possit, in quibus existat. Et deniq; Deum esse extra, & supra mundum in potentia; quatenus extra, & supra mundum potest res nouas creare, & in eis existere. Et ex his facitè vniuersa dicti expositoris diluuntur obiecta; quæ ex malè ab eo apprehensa Diuina immen-

immensitate procedunt; quod ijs accidere sæpe consuevit, qui de Diuinis supra res omnes corporeas eleuatis agentes supercœlestes Dei perfectiones, vt à rerum corporearum proprietatibus, & modis omnino separatas minimè contemplantur, sed ad imaginationem deducti diuina deprimunt, rerum eis corporearum modos tribuentes.

Tertia Censura, & eius confutatio.

Circa significationem æternitatis, & durationis vitæ Dei.

Sententia Fasoli.

Idem expositior quæst. 10. art. 1. Dubitatione 3. affirmat id, quod additur supra vitam diuinam nomine æternitatis, seu durationis vitæ Dei, non consistere in permanentia vitæ diuinæ; qua permanentia (inquit) significatur negatio defitionis, & connotatur existentia præhabita; & quod illud intelligatur permanere, quod non deficit, & ita habetur, vt prius etiam haberetur; quæ est (inquit) sententia communis antiquorum Theologorum contra Pererium lib. 12. cap. 11. propos. 4. Valentiam in dicto artic. Suarezium in Methaph. dist. 50. sect. 1. num. 7. & sect. 2. & Nazarium hic, & Fonsecam 5. Methaph. cap. 13. quæst. 12. sect. 1. & alios multos recentiores, post Capreolum in sent. dist. 2. quæst. 2. qui solam spectauit vulgaris vocis significationem, secundum quam duratio propria, & primaria sua significatione importat permanentiam esse præhabiti; Dicitur enim æuum durare, in quantum non raptim transit, sed diu ratum est. Postea tamen translata (inquit) est à Philosophis, & Theologis ad aliam secundariam, sed nobiliorem significationem, secundum quam importatur abstractum prædicamenti *Quando* secundum rationem formalem analogicè communem Deo, & creaturis; qua res dicitur in concreto formaliter durans, & esse nunc, fuisse antea, & fore postea; quæ sunt differentia eiusdem prædicamenti; & vniuersaliter esse aliquando; quod omnes huiusmodi differentias complectitur; & in hoc sensu (inquit) quem vox durandi habet apud sapientes, non apud vulgum

Valentia.
Suarez.
Fonseca.
Capreol.

*Explicatur propria ratio durationis, & consutatur
sententia Fasoli.*

Sed hęc doctrina magnam, & euidentem continet fal-
sitate, & ipsius auctoris declaratione tota destrui-
tur, & Capreoli sententia confirmatur. Falsum est
enim nomen Durationis importare abstractum prædica-
menti *Quando* secundum rationem formalem analogicè
communem Deo, & creaturis; qua res dicitur in concreto
formaliter durans &c. Vt enim cum D. Thoma, & omnibus
eius discipulis, & alijs in Philosophia rectè sentientibus
ostendimus in prima parte quæst. 3. art. 5. Deus neq; secun-
dum suam essentiam, neq; secundum suas rationes attribu-
tales in vlio ex decem summis rerum generibus continetur.
Nec obstat, quod de prædicamento relationis dixerit S. D.
in dicto libro quæst. 28. art. 2. in eo esse relationes ratio-
nis; Nam de eo longè diuersa ratio est, ac de cæteris præ-
dicamentis; ut ibi latissimè declarauimus post Caietanum,
& alios.

S. Thom.

Caietan.

Capreol.

Quod autem ex declaratione dicti expositoris circa si-
gnificatum vocabuli *Durationis* nostra; quæ Capreoli pri-
mò facta, sententia roboretur, & eius opinio destruat, ita
ut in nostrâ, cui suam opposuit, conuertatur, probatur eu-
denter ex verbis Capreoli à nobis in allegato primo arti-
culo quæst. 10. declaratis. Hæc verò sunt. *Eadem res dici-
tur ipsum esse, in quantum est actus entis, vel essentia; dicitur au-
tem duratio, in quantum non raptim transit, sed diu ratum esse;
dicitur, verò mensura, vel auum, in quantum induit rationem
unitatis, vel similitudinis; ut possit certificare quantitatem alio-
rum eiusdem generis. Ad quorum ampliorem intelligen-
tiam, & solutionem omnium difficultatum.*

Sciendum est primò nomen *durationis*, & rationem eo
significatam esse communem analogicè æternitati, tam es-
sentiali, quàm participatæ; Aeuo, & tempori, tam nostro
quàm

quàm Angelico. His enim omnibus, & singulis conuenit,
ut sint quoddam esse, quod non raptim transit, sed diu ra-
tum est; sed valde diuersa ratione, siue modo. Nam æter-
nitas dicitur non raptim transire, quatenus eadem semper
cum perfecta immutabilitate perseuerat; dicitur diu rata
esse, quatenus omnibus partibus temporis, tam præteriti,
quàm præsentis, & futuri semper actu coexistit, adeo ut co-
ta temporis latitudo, & ea omnia, quæ tempore mensuran-
tur, sint illi ab æterno præsentia secundum suum esse reale,
quod illis conuenit secundum hanc, vel illam temporis dif-
ferentiam, secundum quam verè de illis enunciatur existe-
re in rerum natura; ut ostendimus in prima parte quæst. 14.
art. 23. in 3. Coqr. & quæst. 10. art. 5. in prima Controu. ha-
bet autem æternitas rationem mensuræ per modum unita-
tis; ut in eisdem locis explicauimus. Aeuum autem dicitur
non raptim transire, quatenus secundum suum esse sub-
stãtiale immutabile physicè perseuerat; dicitur diu ratum
esse, quatenus varijs temporum differentijs successiuè coe-
xistit; rationem autem habet mensuræ per modum unita-
tis sibi conuenientis. Tempus verò nostrum dicitur non
raptim transire, quia non habet esse tantum per instans; ut
explicauimus in allegata quæst. 10. art. 1. §. *Quomodo verò*
*ijs namq; quæ habent esse solum per instans, nulla ratio-
ne nomen potest congruere durationis; quæ idem est, quod*
*perseuerantia in esse; hæc autem nihil addit reale supra es-
se, sed modo nostro intelligendi præsupponit existentiam,*
*siue creatam, siue incretam, & addit negationem instan-
tanei transitus, qualem habent illa, quæ habent esse solum*
per instans; atq; ideo propriè non dicuntur durare, aut in
*esse perseuerare. Nam perseuerantia in esse, sicut præsup-
ponit esse rei perseuerantis, ita necessariò connotat hoc,*
*quod est posterius esse, vel ut futurum; ut in ijs, quæ tem-
pore mensurantur, vel ut coexistens futuro altero supradic-
torum modorum conuenientium æternitati, vel Aeuo.*

Hanc conditionem significauit Capreolus in illis verbis
sed diu ratum est; sic enim distinguuntur ab ijs, quæ durant
solum per instans; horum enim esse, licet in instanti, in quo
est, possit verè, ac propriè dici ratum; sicut verè, & pro-
priè

Æterna-
tis ratio.

Eius ratio.

Temporis
ratio.

Instantanea
non durans.

Capreol.

priè est, non tamen dici verè potest diu esse ratum; quia secundum communem loquentium, & audientium intelligentiam, dictio illa diu, quæ diuturnitatem significat ut mensuram diuisibilem formaliter, aut virtualiter, instanti penitus indiuisibili minimè congruit, sed manifestè repugnat.

Tempori
quomodo
conueniat
ratio dura-
tionis.

Quomodo autem tempori, quod est in continuo fluxu, & de quo non habemus nisi nunc, quod est instans indiuisibile, nomen, & ratio conueniat durationis, facillè potest explicari dicendo, permanentiam dupliciter summi posse: Vno modo, ut distinguitur contra successiõnem; quo modo tempus, & motus non sunt entia permanentia, sed eorum esse in continuo fluxu positum est: Alio modo permanentia summi potest pro perseverantia in esse, siue illud, sit totum simul, ac stabile, & permanens, siue partes habeat parti continuè succedentes, & fluentes; sic autem sumpta permanentia, nihil aliud importat; quam rem ut prius existentem, & posterius etiam futuram, vel ut futuro coexistentem; ita ut excludat instantaneum transitum, seu defitionem illis duntaxat propriam, quæ habent esse solùm per instans; quibus, ut ante dictum est, nulla ratione, propriè loquendo, permanentia congruit.

Durationis Nomen tres habere significationes.

Sed ad tollendas omnes difficultates, quæ plerumq; ex multiplici vocis significatione solent oriri, diligenter aduertendum est, nomen durationis triplicem habere significationem. Nam primò significat esse rei mensurabilem, quatenus non raptim transit, sed diu ratum est. Secundo significat esse rei mensurantis, sub eadem ratione pro ut. s. non raptim transit, sed diu ratum est, addens hoc quod est esse maximè conforme, & simplicissimum in tali genere, puta motuum vel æternorum, aut æternorum participium æternitatem, &c. Tertio significat hoc, quod est esse in tempore, aut in æuo, vel in æternitate participata. Et primo quidem, aut secundo modo sumpta duratio non habet particulare prædicamentum, sed ad illud idem per-

pertinet prædicamentum, ad quod pertinet res, cuius est duratio; est enim idem, quod rei perseverantia in suo esse; quæ in eodem est prædicamento, in quo ponitur res, in esse perseverans. Tertio verò modo sumpta duratio creata constituit prædicamentum. Quando; quod est esse in duratione secundo modo dicta ut actu mensurante; hoc autem, quod est esse in dicta duratione ut mensurante, effectus quidam formalis est formæ intrinsecæ causatæ in re mensurata à duratione mensurante tanquam à forma extrinsecæ: Qui de hac re plura videre desiderat, legat Socum, Ioannem Sanchez, & alios recentiores in commentarijs logicalibus; quorum varias opiniones hic non expediret examinare; Et ex his vniuersa dicti expositoris obiecta, quæ ex falsis sunt deriuata principijs, facillè diluentur.

Duratio q̄
sic prædica-
mentum quā-
do.

Sotus,
Sanchez.

Argumenta Fasoli, & eorum solutiones.

Arguit Fasolus primò: Permanentia non habet peculiare prædicamentum, sed pertinet ad prædicamentum rei permanentis; at duratio constituit vnum peculiare prædicamentum, quod dicitur Quando Ergo duratio non est permanentia rei.

Respondetur permanentiam hjsdem modis summi posse, quibus duratio sumitur; & primò quidem, ac secundo modo sumpta non habere peculiare prædicamentum, sed solùm tertio modo. Secundo dico durationem, atq; adeo permanentiam creatam constituere prædicamentum Quando increatam autem ad nullum prædicamentum pertinere.

Secundo arguit: Si duratio sumpta pro ratione formali prædicamenti Quando consisteret in permanentia, non posset competere rebus, pro ut precisè sunt in instanti formaliter, & virtualiter indiuisibili; at hoc falsum est; ergo probatur falsitas: Quia ad interrogationem factam per Quando interdum respondemus per instans; v. g. cum petimus; quando sit presens corpus, aut sanguis Christi sub speciebus consecratis, quando anima rationalis sit forma corporis, quando incipit Angelus, &c.

Respondetur primò durationem vniuersatissimè sum-

pram non pertinere ad prædicamentum *Quando*, vt supra dictum est. Secundò responderetur quo ad durationes creatas in prædicamento contentas ad illam interrogationem bene responderi quandoq; per instans, non ea præcisa ratione, quòd instans sit principium durationis, vt fingit dictus expositor, sed ob eam præcipuè causam, quia, cum designatur instans, simul etiam datur intelligi tempus presens, aut etiam proximè præteritum, & immediatè futurum, non quidem vt mensurans, sed vt rei mensurata circumstans, & quasi complens rationem mensuræ, quatenus eius perficit cognitionem, quæ ex partibus tēporis instanti connexis augetur.

Tertiò arguit: Entia successiua sic habent esse, vt sint in cōtinuo transitu, ac fluxu; ita vt nulla pars assignari queat, quæ sit simul cum alia, & qualibet parte existente, aliz non existant, sed vel sint præteritæ, vel futuræ; ergo nullum est assignabile esse successiuum, quod ita sit, vt præferat: ergo si duratio essentialiter consistit in permanentia esse præhabiti, essentialis ratio durationis nullo modo tribui poterit durationis successiuis.

S. Thom.

Respondetur huic argumento ex doctrina D. Thomæ in Opusculo de tempore cap. 1. vbi sic loquitur: *Intelligendum est, quòd omne esse ab actu est; actus autem est duplex, vt vult Philosophus in 9. Metaph. Est enim actus quidam totus simul existens, sicut anima, & albedo, & est alius actus successiuus, sicut dies, & ager; de numero quorum sunt motus, & tempus. Cum ergo esse sequatur actum, & modus essendi sequitur modum actus, esse igitur, quod est ab actu primo, est esse simul; & tale esse est completum, quod debetur rei perfectæ, per primum actum: esse verb, quod est ab actu secundo, s. ab actu successiuo, est esse successiuum; & tale esse est perfectum, quod debetur tali actui, vel rei perfectæ per talem actum; & ideo esse perfectum ipsius motus, & tempus, quod debetur vtriq; secundum rationem propria speciei, non est esse simul existens, sed est esse in successione; est tantum aliquid indiuisibile ipsorum. Et paulo post: *Dicendum quòd præteritum, & futurum non sunt sic, vt simul sint, nec hoc requiritur ad esse temporis, cum sit successiuum, vt declaratum est; habet tamen esse per aliquid indiuisibile suum, quod continuat ea s.**

per

per ipsum nunc. Ex quibus ad argumentum dico, nullam esse consequentiam: assignabile est enim esse successiuum, quod ita est in hoc nunc indiuisibili, vt dicatur etiam præfuisse respectu partis posterioris, quæ per idem nunc cum altera præcedente copulatur, ita vt ambæ partes verè dicantur esse per illud indiuisibile, pro vt competit naturæ rei successiue, & tamen illa præcedat, & hæc sequatur, hic enim essendi modus est proprius, & essentialis rei successiue.

Quartò arguit: Conceptus hic durationis, & permanentiæ s. modo est, & ante fuit, imperfectè, immo & peruersè tribuitur æternitati, &c.

Respondetur conceptum illum peruersè tribui æternitati secundum se sumptis, non autem, pro vt ob infinitam suam perfectionem coexistit toti simul temporis latitudini; vt ostendimus in prima parte quæst. 14. art. 13. Controu. 3.

Quarta Censura, & eius confutatio.

Circa visionem beatificam, an sit per speciem expressam.

Sententia Fasoli, & eius probatio.

Idem expositor quæst. 13. art. 2. Dubitatione 3. statuit hanc conclusionem. *Diuina essentia potest videri, & de facto videtur à Beatis per similitudinem, & per speciem expressam, & consequenter Beati videndo Deum formant intra se in proprio intellectu verbum creatum, non in quo cognita, sed quo incognito intueantur Deum: hoc est formant tale verbum, quod non cognoscitur actu illo directo, quo per illud cognoscitur Deus, sed est solùm ratio cognoscendi Deum.* Hanc (inquit) arbitror esse sententiam S. Thomæ, quamuis pleriq; discipuli sint in contrarium; inter quos vtriamque recenset. Præbat autem primò hanc suam opinionem ex dictis D. Thomæ summa diligentia collectis ex varijs eius doctrinæ locis. Secundò etiam sententijs D. Augustini à Doctoribus eiusdem opinionis passim allegati conuenit. Postremò rationes addit receptoribus eiusdem instituti communes; quæ omnia iam ante

L 3

vigin-

viginti annos fuerant à nobis plenè, cumulatèq; confutata in prima parte quæst. 12. art. 2. Controu. 2. vbi sensum Sanctorum Augustini, & Thomæ declarauimus, & rationibus satisfacimus. Vnum tamen, aut alterum superest argumentum à dicto expositore propositum breui responsione diluendum.

Sic igitur arguit pro sua conclusione: Sicut amor procedit à voluntate amante, ita verbum procedit ab intellectu dicente, sed actio voluntatis habet terminum, nempe amoris formam, qua voluntas efficitur formaliter amans; Ergo pariter in intellectu intelligente Deum, & quodcunq; aliud verum debet esse terminus actionis intelligendi, qui sit verbum, Confir. primò: Quia amor circa obiectum non potest produci à voluntate, nisi illi intellectus ostendat obiectum; ergo obiectum amandum debet esse in ipso intellectu, nimirum per aliquam similitudinem, quam verbum dicimus: sed beati eliciunt amorem beatificum erga Deum; ergo eorum intellectus habet verbum de Deo. Confir. secundo quia infra quæst. 27. art. 1. 2. 3. & 4. contra gen. cap. 11. Doctor Sæctus nulla alia ratione naturali explicat mysterium diuinarum processuum, Filij per intellectum, & Spiritus Sancti per voluntatem, nisi per similitudinem, ac proportionem cum nostro intellectu, ac voluntate; in quibus non solum est actio intelligendi, & amandi, sed etiam terminus actionis, quo formaliter res intellecta dicitur esse in intellectu, & res amata in amante; ergo qui dat aliquando in intellectu actionem sine verbo, ac similitudine rei intellectæ, vel qui huius similitudinis, ac verbi rationem ponit præcisè in actione sine termino, præcidit sibi vnicam viam naturalem persuadendi infidelibus Diuinos actus notionales, eorumq; terminos.

Diluatur Argumentum, & probatur oppositum de mente D. Thomæ.

Responderetur, hoc argumento probari, aut probabiliter suaderi in omni intellectu nostra naturali, aut etiam supernaturali viz produci verbum. Secundo

cundo dico, si sermo sit de actibus intellectus, & voluntatis, pro vt etiam extenduntur ad actus elicitos in statu gloriæ, falsam esse maiorem argumenti propositionem, ob diuersum, immo & oppositum modum actionis intellectus, & voluntatis, quam diuersitatem explicat S. Doctor in prima parte quæst. 27. art. 4. dicens: *Hac est differentia inter intellectum, & voluntatem, quod intellectus fit in actu per hoc, quod res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem; voluntas autem fit in actu, non per hoc, quod aliqua similitudo voliti sit in voluntate, sed ex hoc, quod voluntas habet quandam inclinationem in rem volitam: processio igitur, qua attenditur secundum rationem intellectus, est secundum rationem similitudinis; & intantum potest habere rationem generationis; quia omne generans generat sibi simile. processio autem, qua attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis, & mouentis in aliquid.* Hæc ibi S. D. Ex quibus apparet voluntatem per actum amandi non solum quem habet in patria circa Deum perfectè dilectum, sed etiam, quem habet in via circa Deum minus perfectè dilectum, ferri in Deum, pro vt in se est: Cum igitur terminus dilectionis sit essentialiter inclinatio in rem dilectam, consequens fit, vt idem terminus producat in patria, quo Deus perfecta charitate diligatur. Nec eadem, sed opposita ratio est de actu intellectionis, seu visionis in patria; quoniam, vt probat S. Doctor, & cum eo Caietanus in dicto articulo secundo, nulla potest dari similitudo creata, qua diuina essentia representetur, vt in se est; & ideo per actum illum intellectionis, seu visionis impossibile est produci verbum, quo Deus, pro vt in se est, clarè videatur. Tertiò dico, si in illa maiore propositione non fiat sermo de productione similitudinis, seu verbi, aut termini, sed tantum de verbo, quo Deus videatur, & de termino visionis, verum esse in visione beatifica esse verbum, .i. ipsam diuinam essentiam vnicam intellectui vt obiectum interiori, & per ipsam excellenter suppleri munus illud representandi, & terminandi; quod in nostra cognitione naturali, aut etiam supernaturali in via, præstat verbum ipsa intellectione

168 RESP. AD CENS. HIER. FASOLI.
ctione productum. Et per hæc satisficit etiam primæ, & secundæ Confirmationi.

Nec rament sequitur præcisam nobis esse viam naturalem persuadendi infidelibus Diuinarum personarum processiones: Via namque naturalis ex actibus merè naturalibus intellectus, & voluntatis humane debet assumi, vt fecit S. Doctor prima parte quæst. 27. art. 1. & alibi sæpe, non autem debent immisceri actus supernaturales visionis beatificæ, non minus infidelibus ignoti, quam ipsæ diuinæ processiones; neque nos ponimus visionem illam beatificam sine verbo, aut sine termino absolute, sed sine verbo, & termino per actum visionis producto; supplet enim in ea visione vtriusque speciei manus excellenter essentia Dei, vt ante dictum est.

Quinta Censura, & eius confutatio.

Circa rationem, qua Thomistæ negant visionem beatam fieri per speciem impressam creatam.

Idem expositor in eodem art. Dubitatione 13. refert, & impugnat rationem nostram, & communem omnium Thomistarum, qua probat Diuinam essentiam per nullam speciem impressam creatam posse videri. Hæc verò est: Quia speciei intelligibili per se conuenit, vt sit representatiua per modum similitudinis naturalis; ita vt sit naturalis imago rei representatæ; atque ideo si cognitio sit quædam directiua, & perfecta, debet species esse similitudo obiecto in specie infima, quam dicunt specialissimam; immo & per se haberi vt sit natura, & quidquid est rei intelligibilis, & consequenter, vt sit equalis rei intelligibili, aut quod sit eminenter continens intelligibile, ac proinde nunquam potest esse inferioris ordinis, &c.


Quod dictum sit Fasolus impugnat: Species est quoddam instrumentum obiecti; ac nullum instrumentum potest eandem speciem, ac naturam habere cum sua causa principali, ergo.

Responderetur falsum esse antecedens; vt ostendimus in prima Controuersia ad dictum articulum secundum contra Suarezium. Bononiæ Anno salutis 1630. ætatis verò meæ 74.

OPV

RESPONSES AD OBIECTA 169
OPVSCVLVM
QVARTVM

*Responsiones Adm. Reuer. Patris Magistri
Fratris Ioannis Pauli Nazarij ad
obiecta P. Magistri Fratris
Ioannis Gonzalez.*



Prima Obiectio, & eius solutio.

De habitu sapientie qualis sit.

Sententia Gonzalez, & eius probatio.



Ioannes Gonzalez in suis Commentarijs ad primam partem D. Thomæ quæst. 1. art. 6. disp. 6. refert secundo loco sententiam eorum, qui docent sapientiam esse habitum simplicissimum, & perfectissimum; qui sub vnicæ ratione formaliter eminentissima, se extendit ad cognitionem principiorum, & Conclusionum: quam (inquit) opinionem sequitur Nazarius, sed illam refutat Bannes, & merito: Quia non est intelligibilis talis habitus, si sit sermo de habitibus naturalibus: Quod probat hoc argumento: Omnis habitus intellectualis ordinis naturalis, vel est nobis à natura inditus; vel proprio labore acquisitus; sed sapientia, vt accipitur ab authoribus huius secundæ opinionis, non est habitus ab ipsa natura inditus, neque acquisitus medio discursu; ergo &c. Maior patet. Minor quo ad primam partem probatur: quia alii omnes homines prædici essent huiusmodi habitu. Quo ad secundam verò partem probatur: Quia, si talis discursus sit evidens ex principijs per se notis, ille habitus esset scientia; si autem

tem

170 RESPONSIONES AD OBIECTA
tem ineuidens, aut ex principijs non certis, esset opinio; ergo per discursum non est generabilis habitus eminentior scientia, & habitu principiorum.

*Diluitur argumentum, & declaratur opposita
veritas.*

Respondetur hoc argumentum idem esse cum argumento Bannesij, cui latè satisfecimus in nostra Controuerfia ad illum articulum. Debuerat ergo Pater Gonzalez armis, ac viribus ingenij, & doctrinæ suæ responsionem nostram elidere, & nostræ, quibus innitimur, fundamenta destruere; sed inanes eius omnes conatus euasissent: quia doctrina S. Thomæ, qualibet petra solidior nostræ sententiæ fundamentum est; ut patet in prima secundæ quæst. 57. art. 2. quam explicant ibidem egregie Caietanus, Conradus, & Medina. Breuissimè tamen nunc ad argumentum dico, falsam esse minorem, quo ad secundam partem: Ad cuius probationem, concesso, quod ille discursus esset euidens, negatur inde sequi habitum illum esse præcisè scientiam. Cuius rationem assignauimus loco notato dicentes ad generationem sapientiæ concurrere duos habitus; alterum primorum principiorum, & alterum ex primis principijs acquisitum. Nam primo ex primis principijs deducuntur quædam Conclusiones, & ex his alix, sicq; generatur quidam habitus scientiæ imperfectus; qui est inchoatio sapientiæ; Deinde ex illo habitu, & conclusionibus scitis per discursum, fit ascensus ad primas causas; nondum tamen hætenus habetur habitus sapientiæ, nisi inchoatiuè, sed tantum scientiæ: Tandem, cognitæ primis causis, ex eorum cognitione à priori procedendo medio discursu iudicamus de rebus ab eis dependentibus, & per terminos vniuersalissimos entis, & passionum entis, aut per rationes summorum generum .s. substantiæ, quantitatis &c. iudicamus etiam de veritate primorum principiorum, & in hoc completur generatio habitus sapientiæ; ut ibidem ostendimus. Vel dicas (& in idem redit) habi-

cum

D. Thom.

Caietan.
Conradus.
Medina.

AT IOANNIS GONZALEZ 171
cum posse per demonstrationem ex principijs acquiri dupliciter: Vno modo immediatè, & primò secundum ordinem generationis; & ita acquiritur habitus scientiæ; qui tamen inchoatiuè potest esse habitus sapientiæ; Alio modo mediatè, & secundario secundum dictum ordinem generationis, & sic acquiritur habitus sapientiæ. Habita namque per demonstrationes à posteriori cognitione Dei, ut primæ causæ efficientis, exemplaris, & finalis, cum ex his diuinis causalitatibus redditur ratio entis creati, redditur etiam ratio terminorum componentium prima principia; & rursus cum ex proprio conceptu entis quasi ex causa formali redditur ratio entis, habetur etiam ratio principiorum constantium ex nominibus entis, & non entis; Vnde ex demonstrationibus precedentibus ex talibus principijs simul necessario acquiritur scientia, & sapientiæ: quia per noticiam ex talibus demonstrationibus acquisitam fit potens intellectus iudicare de primis principijs, & ex vi perfectionis eiusdem discursus iudicat de rebus per supremas causas; qui est actus proprius sapientiæ. Nec tamen duos, sed vnus tantum habitus simplicissimus, eo discursu generatur, ut in dicta Controuerfia declarauimus.

Secunda Obiectio, & eius solutio.

De reuelabilitate an Deo sit adequata.

Sententia Gonzalez.

Idem expositor in eadem quæstione prima art. 7. disp. 7. respondens ad confirmationem quarti argumenti, ait me multum laborare in explicando, quomodo reuelabilitas adequatè se habeat cum ipso Deo, cum tamen Deus reuelat nobis multa creata; & addit me supponere rationem sub qua debere esse propriam passionem rationis, quæ, & adequatam cum illa; & subdit: Ego tamen facilius hanc difficultatem expedio, aduertendo ex doctrina Caietani hoc esse discrimen inter scibile, & credibile, quod aliquid dicitur scibile ex propria sua ratione formali; Vnde ratio sub qua scibilis est propria passio rationis quæ; credibile autem

autem dicitur non quidem ab intrinseca entitate, & ratione sua formali, sed ab extrinseco testimonio dicentis, seu testificantis illud ita esse. Vnde ratio formalis credibilis non est propria passio rei creditæ. Cum igitur ratio formalis Theologiæ nostræ, ut potè, quæ non est scientia euidentis esse, sed certa ex testimonio dicentis non sit propria passio entitatis subiecti, de quo est talis scientia; hinc est, quòd argumentum factum in præfenti nõ habet locum, &c. Hæc ille.

*Diluitur argumentum, & ostenditur opposita
veritas.*

Sed hæc facile diluuntur; non enim est eadem ratio credibilis, & reuelabilis, latius enim patet credibile, quàm reuelabile; duplex enim est ordo credibilium; nam quædam credibilia sunt ordinis naturalis, quædam autem sunt ordinis supernaturalis. Illud namque propriè credibile dicitur, quod, cum non sit per se notum, neque ex se notis deduci possit, non habet implicantiã contradictionis, & ideo credi potest; quas condiciones constat rebus tam naturalis, quàm supernaturalis ordinis posse congruere. Et cum prædictæ tres credibilitatis conditiones sint merè negativæ, consequens fit, ut rei credibilitas magis ex auctoritate dicentis, quàm ex rei credibilis natura sit æstimanda. At reuelabile propriè dicitur id, quod, quia diuini ordinis est, naturalem excedit mentis nostræ capacitatem, atque ideo supernaturale est; ac proinde nullo naturali intellectus nostri lumine, vel discursu cognosci potest, vel attingi. Reuelabilitatis igitur propria causa est essentialis, aut participata diuinitas, quæ rem nobis efficit sola Diuina reuelatione cognoscibilem. Est ergo reuelabilitas diuinitatis, & supernaturalitatis, seu rei diuine, & supernaturalis natia proprietates, non minus quàm visibilitas sit humanitatis, aut hominis passio naturalis. Non igitur frustra laborauimus proponendo, ac dissoluendo variis difficultates contra dictam veritatem emergentes; sed

Gon-

Gonzales errauit vocum proprietates, ac differentias non attendens.

Tertia Obiectio, & eius solutio.

De imitabilitate exemplari, an per se primò conueniat formæ, vel conceptui.

Sententia Gonzalez, & eius probatio.

Dixi in prima parte quæst. 15. art. 1. Controu. vnica §. Sextum dictum. Imitabilitatem exemplarem per se primò conuenire formæ, per conceptum repræsentatæ, ipsi verò conceptui per se secundò; pro ut .i. est rei obiectæ similitudo eius vicem gerens.

Quod dictum impugnat Ioãnes Gonzalez in suis Commentarijs ad primam partem D. Thomæ Disp. 47. sect. 2. §. Ex his sequitur dicens me parum consentaneè ad doctrinam D. Thomæ, & meam fuisse locutum; quia forma repræsentata est res ipsa producenda; igitur (inquit) coincidit hoc dictum cum sententia Scoti.

Ad rationem autem vix ab eo insinuatam; quia scilicet forma cognita est prototypus ad cuius similitudinem formatur verbum, respondet id esse falsum; quia verbum est imago dicentis, quatenus est in actu per speciẽ impressam.

*Diluitur argumentum, & probatur opposita
veritas.*

Sed hæc obiectio prouenit ex malo intellectu, & diminuta inspectione doctrinæ meæ in dicto loco; vbi cum D. Thoma notauit idæam, siue exemplar dupliciter dici: vno modo de forma rei imitatæ; Alio modo de forma in intellectu concepta, id est de verbo, ut ait expressè S. Thomas in prima parte quæst. 44. art. 3. Et ibidem §. Septimum dictum. cum eodem S. Doctore definitionem assignauimus idææ; scilicet esse formam, quam aliquid imita-

tur

tur ex intentione agentis determinantis sibi finem: Quam, ut ibi diximus cum Suarezio, communis est Idææ utroque modo sumptæ, scilicet pro forma extrinseca, & pro conceptu practico. Sed præterea in dicto §. *Sextum dictum*, in fine aduertimus, nomen Idææ secundum magis communem, & consuetum usum non formam aliquam extrinsecam intellectui, sed ipsam mentis conceptionem, & verbum practicum significare; nomen autem exemplaris ex usu videri magis externam formam, quam interiorem mentis conceptum significare, ex quo deduximus, quæstionem inter Thomistas præsertim, magis esse de nomine quam de re.

Quando igitur dixi imitabilitatem exemplarem per se primò conuenire formæ per conceptum representatæ, &c., & infra dixi talem formam esse exemplar, siue Idæam, de exemplari in proprio sensu, & usu communi locutus sum Idæam vero nuncupauit secundum sensum D. Thomæ, qui formam extrinsecam, ad cuius imitationem aliquid efficitur, idæam appellauit loco supra notato; quæ videtur esse significatio nominis idææ minus propria, ac minus vsitata.

Solutio ar
guenti.

Ad rationem autem dicti Gonzalez in oppositum nego sequelè. Nam primò Scotus de Idæa propriè supra loquebatur; quam dicebat esse rem eandem numero cum ea, quæ est producta, ut est obiectiuè in intellectu: dictum autem meum intelligendum est de idæa minus propriè sumpta, siue de exemplari propriè, ac præcisè sumpto; de cuius ratione solùm est, ut sit obiectiuè in intellectu, non autem subiectiuè. Secundo: Magna differentia est inter opinionem meam, quæ est D. Thomæ, ut patet in dictis, & Sententiam Scoti: quia Scotus assererat Idæas artificum creatorum, & etiam Idæas diuinas esse res ipsas producendas easdem numero, pro ut obiectiuè sunt in intellectu creato, vel diuino: Quæ doctrina simpliciter loquendo falsa est:

Scoti sen-
tentia.

Nam, ut cum Capreolo in primo sent. dist. 1. quæst. 2. art. 3. ad 5. Adæ, & Caietano 3. p. quæst. 35. art. 5. ostendi in sententia Controu. ad eundem articulum species sensibiles duorum alborum in eodem sensu exteriori, aut interiori, aut in eodem medio, vel in diuersorum hominum sensibus

Capreol.
Caietan.

Species
duorum al-
borum spe-
cie diffi-
cunt.

aut

aut in diuersis medijs receptæ differunt non solùm numero, sed etiam specie in esse sensibili; plures autem vnus albi species solo numero differunt. Ex quo etiam sequitur speciem albi in oculo existentem quo ad rem representatam, & secundum eius esse representatum, quod habet in oculo; continere in esse representato, ut sic, aliam numero albedinem ab ea, à qua species in oculum emanauit; Quod euidenti ratione probatur; quia duæ albedines materiales numero distinguuntur propter diuersum essendi modum, quem habent in diuersis subiectis, & propter diuersas condiciones indiuiduantes, quas ex eisdem subiectis sibi vendicant; igitur multò magis numero distinguuntur albedo habens esse intentionale in oculo, aut in medio ab albedine habente esse materiale in subiecto materiali à sensu extrinseco. Et confirmatur. Quia albedo in esse intentionali habet subiectum realiter distinctum à subiecto albedinis in esse naturali; igitur non minus realiter sunt distinctæ dictæ duæ albedines materiales in suo esse naturali; immò & secundum aliam rationem genere distinguuntur, cum vna habeat esse intentionale, alia verò materiale. Similiter ergo forma exemplaris ut in verbo representata numero distinguetur à forma producenda, vel producta per verbum artificis, siue creati siue increati, ob eandem causam; quia scilicet forma concepta in verbo artificis habet esse intelligibile, estque principium practicum cognitionis, & operationis, & habet esse subiectiuè in intellectu; forma verò rei productæ, vel producerdæ, nullum aliud esse sibi vendicat, quam illud, quod sibi conuenit in materia, seu in rerum natura dependitur ab agente secundum dictam formam in verbo representatam; ut etiam in supradiçta nostra Controuersia in solutione tertij argumenti Suarezij cõtra Sextam nostram Conclusionem ostendimus ex doctrina D. Thomæ tertio contra gentes cap. 49.

Quod autem addit verbum esse imaginem dicentis, quatenus est in actu per speciem impressam, non autem formæ cognitæ tanquam prototypi, falsum est; quia species impressa per se primò, & essentialiter est representatiua dicti prototypi, ac proinde etiam hoc ipso, quod verbum formatur

176 RESP. AD OBIECTA IO. GONZ.
riatur ad similitudinem speciei impressæ, multò magis, ac
prius formatur ad similitudinem formæ per speciem im-
pressam representatæ.

Sed cum de exemplari diuinæ actionis sermo est, obser-
uandum est, id esse non posse vllò modo rem creatam vel
Deo conceptam, & in eius verbo essentiali, aut personali
representatam; sed exemplar actionis diuinæ, aliud esse non
potest, quàm ipsamet essentia diuina in seipso ut verbo es-
sentiali representata, quatenus supereminenter còtinet si-
gulas rerum creabilium naturas, & perfectiones, ut locis
supra notatis declarauì, præsertim autem in dicto §. *Sex-
tum dictum*.

Quarta Obiectio, & eius solutio.

De necessitate, qua Deus vult suam bonitatem.

Caietan.
Bannes,
Zumellus.

Idem expositior quæst. 19. art. 3. reijcit sententiam Caietani, Bannesij, Zumelli Nauareti, & nostram asserentem conclusionem illam D. Thomæ. *Deus vult bonitatem suam ex necessitate absoluta* intelligendam esse solùm de necessitate quo ad specificationem: Quod suadere nititur quibusdam argumentis ex alijs recentioribus mutuatis: sed breuiter dico sententiam Caietani, & eorum, qui cum eo sunt, intentionem attingere D. Thomæ; ut patet ex ratione, qua probatur ab eo conclusio, quæ de sola specificationis necessitate preceedit: Argumenta verò in contrarium à dicto expositore producta probant sensum eiusdem conclusionis ad exercitij necessitatem extendi posse; quod non abnuimus.



OPV-

DE OBIECTO
OPVSCVLVM

QVINTVM.

*Quomodo Deus, & entia supernaturalia sub obiecto
creati intellectus contineantur, & quomodo ad
eorum visionem possint homo, &
Angelus eleuari.*



In prima parte Summæ D. Thom. quæst. 12.
art. 1. in prima Controuersia ad illum ar-
ticulum statuimus hanc primam Conclu-
sionem: *Ens commune enti naturali, & super-
naturali; in quantum ens, est obiectum ad æqua-
tum intellectus creati; in cuius formaliter, &
præcisè sumpti notitiam quilibet intellectus naturaliter inclina-
tur.* Cuius prior pars ibi probatur: Quia alioquin seque-
retur dari aliquod ens, ad cuius cognitionem, per nullam
potentiam posset intellectus creatus eleuari; & hoc maxi-
mè esset summum ens, quod est Deus; in cuius visione po-
sita est Angelorum, & hominum beatitudo; erroneum est
autem asserere creaturam intellectualem, aut rationalem
consequi nõ posse beatitudinem in sacris litteris illi à Deo
promissam. Sequela probatur: Quia propria ratio, pro-
pter quam non potest Deus, aut Angelus oculo corporeo
quantumuis confortato videri, ea est, quia Deus, aut An-
gelus non continetur intra latitudinem obiecti potentie
visus corporalis; & ideo nec per Dei potentiam absolutam
potest oculus corporeus eleuari ad visionem Dei, aut ali-
cuius substantie spiritualis: Cum itaq; possit intellectus
creatus virtute diuina ad videndum clarè diuinam essen-
tiam eleuari, necesse est Deum clarè visum contineri intra
latitudinè obiecti intellectus creati, & multò magis quod-
libet aliud ens, in quantum ens. Posterior verò pars Con-
clusionis sic probatur: *Ens secundum rationem formalem*
entis.

Oculus
corporeus
nõ pot
est eleuari
ad viden-
dum Deum.

entis, vt sic precisè, nihil supernaturalitatis includit; ergo intellectus creatus naturaliter inclinatur in ens etiam supernaturale, quatenus ens precisè sumptum. Consequentia patet; quia tota ratio, ob quam intellectus creatus non habeat in aliquod obiectum naturalem propensionem, est obiecti supernaturalitas; igitur, ea præcisa, currit naturalis inclinatio. Et quia nonnulli minus perspicaces huius doctrinæ formalitatem non intelligentes illam impugnant, plana hic eam elucidatione declarabimus, qua facile vniuersa aduersantium argumenta diluantur. Sciendum igitur est, ad hoc, vt aliqua potentia possit eleuari diuina virtute ad aliquod obiectum, non requiri, vt illud secundum suam propriam, & specificam rationem contineatur positivè sub obiecto illius potentie naturali, sed satis esse, vt secundum communem rationem obiecti talis potentie sub eius obiecto contineatur; ac proinde illi non repugnet attingi secundum specificam suam rationem à tali potentia; cum ad eius obiectum pertineat non repugnanter iuxta regulam Caietani apud Porphyrium in explicatione secundæ definitionis differentie; vbi statuit hanc regulam: *Quando aliquid non repugnanter conuenit superiori absolute, & repugnat inferiori ex propria ratione, vel ex quacumq; alia additione, illud tale simpliciter non potest enuntiari de inferiori, sed cum specificatione superioris: exempli gratia: quantitati non repugnanter conuenit diuidi in infinitum; quod non potest absolute verificari de omni quanto; vt patet in quantitatibus physicis; sed verificatur de omnibus quantis cum illa specificatione, in eo quod quantum; quantitas enim humana non est diuisibilis in infinitum; quia si in medio secaretur, statim defineret esse humana, sed quantitas humana, in quantum quantitas, est diuisibilis in infinitum. Hæc ibi Caietanus. Sic igitur in proposito enti absolute non repugnat esse obiectum naturale nostri intellectus, & ab eo etiam naturaliter attingi, videri, & quiditatiuè cognosci; sed non omne ens secundum specificam suam rationem ad obiectum pertinet intellectus creatus naturale, nec potest ab eodem naturaliter attingi, videri, & quiditatiuè cognosci. Nullum tamen est ens, quod saltem per supernaturale virtutis, ac luminis augmentum clare non possit ab*

Regula
Caietani.

sit ab intellectu creato videri. Cum igitur Deus, & quolibet eas supernaturale rationem habeat entis formalem, secundum quam ad obiectum pertinet intellectus creatus naturale, & nihil aliud desit ad hoc, vt ab intellectu creato secundum propriam, & specificam suam rationem cognosci valeat, nisi proportio quædam intellectus ad obiectum sub propria, & specifica sua ratione consideratum, quam Deus potest efficere per supernaturalem intellectus superadditam qualitatem, facile poterit, tam noster, quam Angelicus intellectus ad claram diuinæ essentia visionem eleuari. Cæteræ verò inferiores animæ nostræ vires nimirum sensus, & phantasia; quarum obiecta sunt singularia tantum sensibilia, nec vniuersales generum, aut specierum rationes attingunt, non possunt per absolutam Dei potentiam ad eius essentiam intuemendam eleuari. Ex his aduersantium vniuersa facile diluantur obiecta. Bononiæ Anno salutis 1630. ætatis verò meæ 74.



O P V S C V L V M
S E X T V M.

Responsiones Adm. Reuer. Patris Magistri
Fratris Ioannis Pauli Nazarij Cre-
monensis Ordinis Predicato-
rum ad quesita Casuum
Conscientia.

PRIMVS CASVS.



Vxoritur: An Matrimonium contractum in-
ter Sempronium, & Bertam illud procu-
rantem per Maleficiū amatorium, sequuta
etiam copula, sit validum.

Ad huius quesiti solutionem definienda prius sunt quatuor alia, quae hic implicentur quesita. Primum est: Qualis libertas sit ad Matrimonium contrahendum necessaria. Secundum est: An voluntas humana cogi possit à Dæmone, & quomodo Dæmon, ac proinde etiam Malefici Dæmonum ministerio possint mouere voluntatem. Tertium: An concupiscentia praesertim vehemens tollat, aut minuas rationem voluntarij, aut libertatis; Et eadem ratione, An maleficium amatorium cooperante Dæmone tollat, aut minuat rationem voluntarij, aut libertatis in actibus nostris. Quartum: Quid in dubio sit praesumendum. Ex his .n. recte definitis veluti principijs facile deducetur propositae dubitationis solutio.

Matrimo-
nium de-
bet esse p-
fecte libe-
rum.
S. Thom.

Quo ad primum dico: Ad Matrimonium non sufficere quodcunq; voluntarium, aut liberum; sed necessariò requiri, vt sit completè, & perfectè voluntarium, & liberum: Ita Sanctus Thomas in 4. sent. dist. 29. quaest. vnica art. 3. ad se-

ad secundum; Scotus eadem dist. quaest. vnica, Ricardus eadem dist. quaest. 1. art. 1. Sanctus Bonauent. ibidem art. 1. quaest. 1. Soto ibidem quaest. 1. art. 3. & omnes Theologi in eadem dist. Valencia Tomo 4. disput. 10. quaest. 3. de consensu requisito ad Matrimonium, puncto 2. Nauarrus in manuali cap. 22. num. 50. & sequentibus. Couarruias in Epit. lib. 4. parte 2. cap. 3. §. 4. & 5. Sanchez lib. 4. de consensu coactò disp. 12. & satis clarè definitur ab Alexandro 3. sub titulo: De eo qui duxit in Matrim. quam. pol. per adulterium cap. Significauit. Quamuis autem consensus in matrimonium; per metum extortus, sit voluntarius simpliciter, sicut & alia, quae fiunt per metum cadentem in constantem vjrum; de quibus Sanctus Thomas in prima 2. quaest. 6. art. 6. & omnes eius expositores ibidem; quia tamen est inuoluntarius secundum quid, non est sufficiens ad perpetui vinculi obligationem contrahendam ob dictam causam; & ideo decreuit Ecclesia; & ius naturae postulat vt tantae aestimationis contractus sit completè voluntarius, & perfectè liber.

Quo ad secundum. Duplex est coactio, seu violentia, quaedam proprie, & simpliciter dicta, & haec non cadit in voluntatem; vt probat Sanctus Thomas in prima 2. quaest. 6. art. 4. Quia actus voluntatis nihil aliud est, quam inclinatio quaedam procedens ab interiori principio cognoscente; sicut appetitus naturalis est quaedam inclinatio ab interiori principio, & sine cognitione; Quod autem est coactum, vel violentum, est ab exteriori principio, & ideo contra rationem ipsius actus voluntatis est, quod sit coactus, vel violentus; sicut etiam est contra rationem naturalis inclinationis, vel motus lapidis, quod feratur sursum ex naturali inclinatione. Quaedam alia est coactio improprie dicta; & conditionata, quae idem est, quod metus, quam Arist. in 3. Ethic. cap. 1. appellat violentum mistum; vt cuius quis proijcit merces in mare, ne periclitetur; & in hac coactione, quamuis id, quod agit, non sit per se voluntarium; tamen consideratis circumstantijs hic, & nunc, voluntarium est; & quia actus in particularibus suprà, ideo simpliciter voluntarium est, sed secundum quid inuoluntarium; & ideo

M 3

hzc

S. Bonauentura.
Sotus.
Valentia.
Nauarrus.
Couarruias.
Sanchez.
Alex. 3.

S. Thom.

Coactio
duplex.

S. Thom.

Arist.

9. Thom.

Dæmō nō
potest cogere
voluntatem.

5. Thom.

Dæmon
quomodo
possit esse
causa pec-
candi.

5. Thom.

Arist.

hæc violentia, vel coactio potest esse in consensu, qui est actus voluntatis. Ita Sanctus Thomas in 4. sent. dist. 29. quæst. vnica art. 1. quam doctrinam sequuntur omnes Theologi. Ex quo sequitur, Dæmonem non posse proprie cogere voluntatem. Quod etiam ex professo probat Sanctus Doctor in prima 2. quæst. 80. art. 3. Vbi quærit, an Diabolus possit necessitatem inferre ad peccandum, & respondet, posse quidem Diabolum mouendo imaginationem, & appetitum sensitium, impedire totaliter usum rationis, ut facit in arreptitijs, & ita inducere ad faciendum ex necessitate aliquem actum, qui de suo genere peccatum est: sed tunc ratione sic ligata, quidquid homo agat, non imputatur ei ad peccatum; non tamen villo modo posse necessitatem inducere homini ad peccandum: & rationem affert idem Sanctus Doctor in art. 1. eiusdem quæstionis; quia non potest Diabolus esse homini directe causa peccandi, mouendo scilicet voluntatem ad volendum; sic enim a solo Deo, qui ipsius voluntatis est causa, potest moueri voluntas ad actum volendi; sed eam tantum indirecte mouere potest proponendo scilicet obiectum, & tuadendo obiectum propositum habere rationem boni: quomodo potest etiam vnus homo alterius mouere voluntatem. Hic autem mouendi modus nullam affert necessitatem voluntati; quæ à nullo de necessitate mouetur obiecto, nisi ab ultimo fine. Potest etiam alio modo Dæmon ad peccatum inducere operando ad hoc, ut imaginationi aliqua forma representetur, aut etiam, ut appetitus sensitius concitetur ad aliquam passionem; ut ait Sanctus Thomas in allegata quæst. art. 2. cuius rationem affert: Quia natura corporalis spirituali naturæ obedit ad motum localem: Unde Diabolus ea omnia causare potest, quæ ex motu locali corporum inferiorum prouenire possunt, nisi virtute diuina reprimatur. Quod autem aliqua forma representetur imaginationi sequitur quandoque ad motum localem; dicit enim Arist. in libro de somno, & vigilia quod, cum animal dormit, descendente plurimo sanguine ad principium sensitium, simul descendunt impressiones relictæ ex sensibilibus motionibus, quæ in sensibilibus speciebus conseruantur, &

mo-

mouent principium apprehensiuum, ita ut appareant, ac si tunc principium sensitium à rebus exterioribus immutaretur. Vnde talis motus localis spirituum, vel humorum procurari potest à Dæmone, siue dormiant, siue vigilent homines; & ita fit, ut homo aliqua imaginetur. Similiter etiam appetitus sensitius concitatur ad aliquas passiones secundum quendam determinatum motum cordis, & spirituum; ad quod etiam Diabolus potest cooperari. Et ex hoc, quod passiones aliquæ concitantur in appetitu sensitiuo, sequitur, ut motum, siue intentionem sensibilem, prædicto modo reductam ad principium apprehensiuum, magis homo percipiat; quoniam, ut ait Arist. in eodem libro, amantes modica similitudine in apprehensionem rei amate mouentur. Ex hoc etiam, quod passio est concitata, contingit, ut id, quod proponitur imaginationi, iudicetur prosequendum; quia ei, qui à passione detinetur, videtur esse bonum id, ad quod per passionem inclinatur. Sed hic modus inducendi nullam affert necessitatem ad peccandum; sed, ut infra dicemus, efficit, ut id, quod agit voluntas, sit illi magis voluntarium. Eandem veritatem explicat vberissime Sanctus Doctor in quæst. Disputatis de Malo, quæst. 3. art. 3. & 4. & prima 2. quæst. 10. art. 3. vbi docet, nullam passionem, quantumuis vehementem posse cogere voluntatem ad peccandum, sed posse voluntatem eam repellere, aut saltem se tenere, ne passionem sequatur, quod etiam affirmat in eodem libro quæst. 77. art. 7. & in articulis præcedentibus, scilicet 1. 2. & 6. vbi de eadem materia differit. Eandem sententiam, ut fidei veritatem, defendit Alvarez aduersus Hæreticos in suo opere de Auxilijs diuinae gratiae disp. 14. Quam etiam explicant, & tuentur omnes Expositores D. Thomæ in prima 2. locis supra notatis; præsertim verò Medina, Valentia, Vasquez, Salas, & Alvarez. Et quia constat, Maleficos in suis amatorijs maleficijs, vti Dæmonum ministerio, ut asserunt auctores infra notandi; idcirco eodem modo, quo Dæmones possunt hominis voluntatem mouere ad aliquid volendum, possunt etiam Malefici, non per seipso, sed Dæmonum ministerio illam ad aliquid volendum allicere; ut multis argumentis,

M 4

& ex-

Syluester. & experimentis probant. Syluester in 2. lib. de Strigimaga-
 Bisfeldius. rum, Dæmonumq; mirandis cap. 6. Petrus Bisfeldius in
 Commentario in titulum Codicis libro 9. de Maleficis, &
 Delrius. Mathematicis quæst. 2. Martinus Delrius lib. 2. Disquisi-
 tionum Magicarum quæst. 29. & lib. 3. quæst. 3. lect. 1. Al-
 Castrensis. phonsus de Castro, de Iusta Hæreticorum punitione lib. 1.
 Michael Medina. cap. 15. propè finem. Michael Medina de Recta in Deum
 Pegna. fide lib. 2. pag. 58. Franciscus Penna ad secundam partem
 Grilland. Directorij Inquisit. Comment. 68. pauca de hac materia
 breuiter tangit post Grillandum tractatu de Sortilegijs
 quæst. 3. num. 17. & seq. Qui omnes docent, huiusmodi
 maleficijs nullam inferri posse coactionem, aut violentiam
 humana voluntati. Hanc etiam esse communem Iurispe-
 ritorum sententiam, affirmant Bisfeldius, & Martinus
 Bisfeldius. Delrius locis supranotatis, ubi leges Imperatorum, & Iuris
 Delrius. vtriusq; prudentium dicta accuratè recensent.

Concupi-
 scentia nõ
 causat in-
 uoluntariũ
 sed auget.
 S. Thom.

Quo ad tertium, an, scilicet, concupiscentia, præsertim
 vehemens tollat, aut minuat rationem voluntarij, aut li-
 bertatis. Sanctus Thomas in prima 2. quæst. 6. art. 7. sic
 respondet: Concupiscentia non causat inuoluntarium, sed
 magis facit aliquid voluntarium; Dicitur .n. aliquid vo-
 luntarium ex eo, quod voluntas in id fertur; per concupi-
 scentiam autem voluntas inclinatur ad volendum id, quod
 concupiscit; & ideo concupiscentia magis facit ad hoc,
 quod aliquid sit voluntarium, quàm quod sit inuolunta-
 rium. Et in responsione ad tertium ait: Si concupiscentia to-
 taliter cognitionem auferret; sicut contingit in illis, qui propter
 concupiscentiam sunt amidei; sequeretur, quod concupiscentia
 voluntarium tolleret; nec tamen propriè esset ibi inuoluntarium;
 quia in his, quæ usum rationis non habent, neq; voluntarium est,
 neq; inuoluntarium; sed quandoq; in his, quæ per concupiscentiam
 aguntur, non totaliter tollitur cognitio; quia non tollitur potestas
 cognoscendi, sed solum consideratio actualis in particulari agibili;
 & tamen hoc ipsum est voluntarium; secundum quod voluntari-
 um dicitur, quod est in potestate voluntatis, ut non agere non
 velle, similiter autem, & non considerare; potest .n. voluntas
 passioni resistere. Hæc ibi Sanctus Thomas. In quæst. autem
 77. art. 6. docet passionem antecedentem actum liberi ar-
 bitrijs

bitrijs, & inclinantem, seu trahentem rationem, & volun-
 tatem ad peccandum, minuere voluntarium, & consequen-
 ter alleuiare peccatum; passionem autem consequentem
 actum voluntatis ipsum augere, aut esse signum magnitudi-
 nis eius; quia talis passio causatur ex intensione actus
 voluntatis. Ad quorum euidentiam aduertunt exposito-
 res, præsertim verò Medina, Valentia, Salas, & Alvarez in
 suis commentarijs ad art. 7. quæst. 6. Duas in actu volun-
 tario posse rationes considerari. Altera est ratio volunta-
 rij; quæ consistit in quadam intrinseca inclinatione ipsius
 voluntatis: Altera est ratio libertatis, quæ est perfectio ip-
 sius voluntarij; quæ in hoc consistit, ut inclinatio procedat
 ex libera facultate, & potestate rationis. Addunt præte-
 rez, concupiscentiam minuere indifferentiam iudicij ra-
 tionis, in quo fundatur ratio libertatis ipsius voluntatis.
 Ex quibus duo deducunt. Primum est: concupiscentiam
 antecedentem augere voluntarium, quatenus voluntarium
 est; quia auget inclinationem voluntatis in rem volitam;
 ut ait S. Doct. in allegato art. 7. Idem docent Sanctus An-
 tonius prima partæ tit. 4. cap. 3. §. 4. Nauarrus præludio
 6. nu. 7. & Viguierius cap. 3. §. 5. versic. 6. Secundum, quod
 deducunt, est concupiscentiam antecedentem minuere vo-
 luntarium, quatenus liberum est, seu quo ad perfectionem
 voluntarij; quia nimirum facit, actum esse minus liberum.
 Et hoc est, quod significare voluit Sanctus Thomas in pri-
 ma 2. quæst. 77. art. 6. cum dixit, passionem antecedentem
 actum liberi arbitrijs, & trahentem, seu inclinantem ratio-
 nem, & voluntatem ad peccatum, minuere voluntarium;
 loquitur .n. de voluntario quo ad eius perfectionem, quæ
 est libertas. Et quia Dæmonis operatio, quam prouocante
 Malefica per sortilegium amatorium, exercet circa cor-
 poris humani dispositionem, & sensus exteriores, & appe-
 titum sensitivum, fit ad excitandam concupiscentiam in
 appetitu, ut per eam indirectè moueat voluntatem; ideo
 idem censendum est de voluntate sic à Malefica, mini-
 strante Dæmone, ad concupiscentiam accensa; eius scili-
 cet actum esse magis voluntarium, sed minus liberum, quàm
 si absq; tali præcedente concupiscentia fuisset elicitus.

Medina.
 Valentia.
 Salas.
 Alvarez.

S. Antoni-
 nus.
 Nauarrus
 Viguierius

S. Thom.

Ad

Ad ampliorem autem dictorum explicationem aduertendum est, inueniri nonnunquam aliquos, qui ob quandam singularem phantasiae dispositionem, sunt in vna tantum speciali materia delirantes, ac proinde in illa liberi arbitrij, meriti, atq; demeriti expertes, in alijs verò ratione vti, ac liberè operari, mereri, aut demereri; vt probat Sanchez lib. 1. de sponsalibus disput. 8. nu. 23. ex Auicenna, Galeno, & alijs, additis etiam quibusdam experimentis. Constat autem ex dictis, posse Dæmonem, Deo permittente, similem dispositionem inducere in phantasia in ordine ad actus, & effectus amoris, sicq; hominem dementare, vt instar bruti in ijs sola imaginatione ducatur, in alijs verò liberè, & secundum operationis iudicium operetur.

Quo ad quartum, & vltimum, quid scilicet præsumendum sit, quando dubitatur, an alter contrahentium matrimonium, putà vir, fuerit mentis compos; quando actu contraxit; præsertim, si constiterit præcessisse foeminae cum illo contrahentis maleficium amatorium. Dico breuiter, esse præsumendum illum esse sanæ mentis, si contrarium ex euentibus indicijs non appartat; quia natura ipsa homines sanæ mentis producit; igitur asserenti aliquem amentem esse, siue simpliciter, siue circa materiam aliquam particularem aduersatur præsumptio, quæ à natura ipsa deriuatur; vt patet ex lege 2. Cod. Qui testamen. fac. & L. Nec codicillos. Quod etiam affirmant, & probant Couarruias 4. Decret. 2. par. cap. 2. num. 5. Menoch. lib. 6. de Præsumptionibus, præsumptione 45. nu. 18. Qui multos alios referunt, docentes etiam, quibus id coniecturis valeat deprehendi.

1. Concl. Ex his ad quæsitam dico primò Matrimonium contractum inter Sempronium, & Bertam ex solo amatorio maleficio Bertæ, non reddi nullum, si non constet Sempronium virtute dicti maleficij fuisse priuatum vsu rationis, & liberi arbitrij. Huius dicti veritas patet euidenter ex doctrina Diui Thomæ, & aliorum supra notata. Ratio verò præcipua est: quia passio, seu concupiscentia medio maleficio à Dæmone excitata non minuit, sed magis auget voluntarium: & licet aliqua ratione minuatur liberum, remanet tamen

Sanchez.

Cod. qui testamen-
tum facit.
Couarrui.
Menoch.

men in habente concupiscentiam, quantumuis vehementem, tantum vsus rationis, & libertatis, quantum sufficere potest ad superandam, aut repellendam concupiscentiam, vt patet ex D. Thoma locis supra notatis dicente etiã Apostolo. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione promeritum, vt possitis sustinere.*

Secundò dico; si constaret Sempronium vi maleficij amatorij, aut opera Dæmonis fuisse rationis vsu priuatum, atque adeo libertatem non habuisse in actu contrahendi matrimonium, certò etiam fore iudicandum, matrimonium sic contractum nullum esse. Hoc patet ex dictis circa primum quæsitum; vbi diximus ad matrimonium contrahendum necessario requiri completam, perfectamq; libertatem; adeo vt nec secundum quid dici possit inuoluntarium, vt patet in matrimonio ex metu in constantem virum cadente contracto, quod de præsentis casu dici non potest, in quo contrahitur matrimonium ex concupiscentia, quæ non causat inuoluntarium.

Tertio dico, per copulam carnalem affectu maritali libero, vt præsumitur, sequutam inter Sempronium, & Bertam ratificari, & conualidari matrimonium prædicto modo contractum cum vsu tamen rationis, & cum libertate, licet non vndequaq; perfecta. Probatur à fortiori in matrimonio contracto per metum cadentem in constantem virum; quod Theologi, & factorum canonum Doctores communi consensu docent ratificari, & conualidari per subsequentem copulam factam cum affectu maritali. Ita D. Thomas in 4. sent. dist. 29. quæst. vnica, art. 3. quæst. 2. ad 2. Sanctus Bonauent. eadem dist. quæst. 2. nu. 23. Ricardus ibidem art. 2. quæst. 2. Paludanus quæst. 1. art. 4. nu. 23. Sotus ibidem quæst. 2. art. 3. versus finem. Sanctus Antonius, 3. par. tit. 1. cap. 7. ad finem. Syluester verbo Matrimonium 8. quæst. 1. dicto 4. 5. & 6. Nauarrus cap. 22. nu. 51. ad finem. Sanchez lib. 4. de consensu coacto disp. 18. nu. 1. & sequentibus, vbi multos allegat auctores, tam Theologos, quàm Iuristas.

Postremò dico, periculosum esse, nec expedire talia ma-

S. Thom.
Apostolus.

1. Concl.

2. Concl.

S. Thom.
S. Bonau.
Ricardus.
Paludan.
Sotus.
S. Antonius.
Syluester.
Nauarrus.
Sanchez.

4. Concl.

188 **RESPONSIONES AD QVAESITA**

rimonia dissoluere, seu nulla declarare, tum propter ho-
minum malitiam, praesertim potentium, qui facile testes
inuenient falso de maleficio deponentes; tum quia difficil-
limum est probare, supposito etiam maleficio, contrahen-
tem, contra quem factum est maleficio, non habuisse suf-
ficientem usum rationis ad contrahendum; tum quia non
apparet haec in Ecclesia propter amatoria sortilegia
fuisse matrimonium aliquod dissolutum, nec ullus Theolo-
gorum, aut Iurisperitorum hoc docet: Vnde neq; ponitur
hoc inter impedimenta dirimentia matrimonium; tum de-
mum, quia multa sequerentur scandala, & via patens ape-
raretur iniurijs, & iniurijs, auctoritate publica com-
mittendis; vnde sequerentur inimicitiae, & homicidia, &
haereticorum obtrecciones, & ludibria, quod vinculum
perpetuum, & indissolubile, ex tam occulta, & ad proban-
dum difficillima causa solueretur.

Ita sentio saluo, &c.

Frater Ioannes Paulus Nazar.

SECUNDVS CASVS.

Dominus N. promotus fuit ad ordines sacros Anno
1603. sub titulo patrimonij sibi assignati à B. & C.
nihil tamen unquam percipere potuit ex fructibus
dicti patrimonij. Propter quod, stantibus Conciliorum
dispositionibus, dubitari posset, eum poenam suspensionis
incurrisse; ideo supplicando licentiam petiit ab Illustrissi-
mo Episcopo celebrandi dicens, se eo tempore, quo sacris
fuit ordinibus initiatus, non habuisse scientiam synoda-
lium Constitutionum, & credidisse, dictum patrimonium
sibi non fictè, sed verè à predictis assignatum fuisse, & in
posterum Dominum D. verè, & realiter esse sibi submini-
straturum alimenta.

Queritur, quid agendum.

Supposita facti veritate, prout in supplicatione narra-
tur, Dico, dictum Dominum N. nullam incurrisse censu-
ram, aut poenam per sacros canones constitutam; vt planif-
simo

CASVVM CONSCIENTIAE. 189

simo discursu probat Nauarrus libro primo Consiliorum,
Consilio primo, quaestione 16. notans, poenam sacrorum ca-
nonum dist. 70. mutatam fuisse ab Innocentio 3. cap. *Cum*
secundum De praebendis in poenam ordinatis; & mutationem
illam esse restringendam ad eos, qui existens in bona fide
ab Episcopo sciante, vel debente scire, cum non habere,
quo se aleret, fuit ordinatus; & renouationem poenarum per
Concilium Tridentinum factam intelligendam esse de poe-
na canonum praedictae dist. 70. quae sublata fuit per Inno-
centium Tertium quo ad eos, qui bona fide fuerint ordina-
ti; non autem quo ad eos, qui per fraudem, & dolum confi-
cti patrimonij promoti fuerint; de quibus, manifestè con-
stat, loqui sacrum Concilium Trident. sess. 21. cap. 2. vt patet ex
illis verbis: *Qui varijs artibus, ac fallacijs constringunt, se bene-*
ficijs Ecclesiasticis, aut etiam idoneas facultates obtinere.

Idem sentit in casu magis difficili Vualdus de suspen-
sione num. 28. & 31. dicens, eum, qui initiatur ordinibus
cum titulo ficto, affirmando se habere patrimonium, cum
tamen clam fecerit pactum de illo renunciando proprio
Domino, aut etiam illud ante ordinationem renunciauerit
ei, qui donauerat, non esse suspensum. Et in prioris partis
confirmationem, quando, scilicet, coeurrat solam pactum,
allegat declarationem factam ab Illustrissimis Cardinali-
bus in Congregatione pro declarando Sacro Concilio, ex
mandato Gregorij Decimi tertij; quam affirmat se vidisse
Anno 1583. & dictam Congregationem iudicasse dictum
Concilij referendum esse ad caput *De Multa de Praebendis* in
quo, capite 1. & 2. dist. 70. limitantur.

Eandem sententiam sequitur Sayrus de Censuris libro 4.
cap. 15. nu. 23. quo ad eum, qui ante ordinationem patri-
monio sibi donato renunciauit.

Ex quo sequitur, multò minus dictum Dominum N. poe-
nas Sacrorum Canonum incurrisse; cum bona fide sua, &
Illustrissimi Episcopi fuerit ordinatus, & habeat nobilem
promittentem, & se obligantem ad ea omnia suppeditan-
da, quae ad alimenta fuerint necessaria.

Ita sentio saluo, &c. Frater Ioannes Paulus Nazarius Sacrae
Theologiae Magister, Ordinis Praedicatorum.

TER-

Ledesma. Angelus. Sorus. Armilla. Rosella. Molina. Nauarrus. Aragon. Lessius. Azorius. Salon. Reginald. Bartholom. Naldus. Bonacina.

bus tractatu sexto quæst. 97. Petrus Ledesma in secunda parte Summæ tractatu 8. cap. 34. Angelus verbo *Societas* 2. Sorus de Iustitia, & Iure libro 6. quæst. 6. art. 1. Armilla verbo *Societas* in principio. Rosella eodem titulo à principio vsq; ad membrum quintum. Molina de Iustitia, & Iure quæst. 415. Nauarrus cap. 27. nu. 251. Aragon in 2. 2. quæst. 78. art. 2. circa reipsonem ad quintum Diui Thomæ Lessius de Contractu Societatis libro 2. cap. 25. Dubio primo. Azorius parte 3. libro 9. cap. 2. Michael Salon Toma 2. de contractu Societatis art. 3. Reginaldus in posteriori volumine lib. 25. cap. 28. Bartholomæus à Sancto Fausto disp. 7. quæst. 5. Naldus verbo *Societas*. Bonacina de Contractibus disp. 3. puncto primo propositione 2. & alij communiter.

Addunt plures ex dictis recentioribus duas alias conditiones. Prima est, vt aliquid conferant in commune. Secunda est, vt seruentur pacta. Sed neutra est necessaria: Nam prima supponitur vt pertinet ad essentiam contractus, & in prædictis tribus implicite continetur. Secunda vetò non pertinet ad essentiam, neq; ad iusticiam contractus constituendam; sed ad conseruationem iusticiæ in contractu iam facto.

Secundò præmitto, propositam difficultatem non esse de prima conditione, neq; de eo contractu Societatis, cui sunt additi alij contractus, puta a securacionis cum debito pretio, aut liberæ omninò donationis pecuniæ eiusdem quantitatis cum ea, quæ ab altero Socio fuit in negotiatione posita, in casu, quò periret eius capitale; sed quæstio est de cõtractu Societatis purè, ac solitariè sumpto, & de conditionibus illi cõuenientibus ex vi naturæ suæ præcisè sumptæ. Quibus præmissis.

1. Concl. Dico prima: secundam conditionem ad eò esse necessariam, vt ea deficiente contractus sit vsurarius. Probatur cum Diuo Thoma loco supra notato ex differetia inter mutuum, & Societatem; quòd ille, qui mutuat, transfert dominium pecuniæ in eum, cui mutuat; & ideo ille, qui mutuo accepit pecuniã, sub suo periculo tenet eam; quia res Domino suo perit, & tenetur eam restituere integrè pro-

propter quam causam non debet ille, qui mutuauit, aliquid amplius exigere, sed ipsam solam pecuniã mutuo datam repetere. At ille, qui pecuniã suã negotiatori per modum Societatis committit, non transfert dominium pecuniæ suæ in illum, sed illud sibi retinet, ac proinde etiam negotiatio dictæ pecuniæ fit cum continuo periculo eius, qui illam in Societatem posuit; alioquin non posset partem lucri ex ea prouenientis accipere, tanquam de re sua: nam hoc ipso, quòd adderetur pactum, vt salua esset pecuniã illi, qui eam communi Societati commisit, fieret mutatio contractus, & Societas in mutuum transiret, & pecuniæ dominium migraret ad eum, qui saluam teneretur eam restituere; & quoniam ex pecuniã mutuata nihil licet accipere, vsuram committeret ille, qui pecuniã in commune posuit, si ex ea lucrum perciperet. Qua ratione vtuntur Syluester, Tabiena, Sorus, Michael Salon locis allegatis, & alij ferè omnes prænominati. Et eadem est ratio de parte pecuniæ, quæ est de tota; quoniam, sicut pactum, vt salua sit tota pecuniã, transfert eam totam à Societate in mutuum; ita, si parti pecuniæ apponatur idem pactum, Societatem, quò ad eam partem, tollit, & mutuum constituit; vt etiam aduertit Nauarrus in allegato cap. 27. nu. 253. & alij.

Vnde Societatem cum dicto pacto initam antiqui Iuriconsulti Leoninam appellant, alludentes ad fabulam Esopi de Leone cum duobus alijs animalibus Societate inuenite, & totum sibi capitale cum fructibus vsurpante. Non enim iusta est ea Societas, in qua vnus habet caput saluum, & alius fractum; vt dicunt Angelus, Syluester, Tabienfis, & alij ferè omnes supranominati.

Secundò dico: In Societate supra narrata, partem illam pecuniæ, quam ex pacto tenentur dicti Fratres D, ac C. ex proprijs suis pecunijs supplere, & reddere Domino A. casu, quò in Societate non essent pecuniæ, aut effectus Societatis; ex ipso pacto desinere esse materiam Societatis, & fieri materiam mutui; ex quo illicitum est quidquam expectere; vt probat Sanctus Doctor in 2. 2. quæst. 78. art. primo, & secundo, ex legibus diuina, naturali, & humana, ac proinde contractum iniustum esse, & vsurarium.

Syluester. Tabiena. Sorus. Saloa.

Nauarrus.

Angelus. Syluester. Tabienfis. 2. Concl.

S. Thom.

N

Quod

Quod autem ea pars pecuniae desinat esse materia Societatis, & fiat materia mutui: probatur; quoniam, ut omnes allegati Doctores affirmant, in Societate dominium pecuniarum à singulis Socijs collatum manet apud ipsos conferentes; atq; ideo stant eorum periculo, ita ut illis pereuntibus singuli pro rata damna patiantur; quoniam, ut ante dictum est, res perit Domino suo. Igitur, à posteriori procedendo, sub illius dominio erit pecunia, qui illius pereuntis damnum sustinet. Cum ergo in casu proposito Fratres D. & C. ex pacto nulla eis constituta mercede, obligentur ad subeundum dominum dictae pecuniae, necessario sequitur, eam hoc ipso fuisse sub eorum Dominio constitutam, & cum ex proprijs teneantur eam rependere Domino A. nullius potest esse contractus materia, nisi mutui; ut patet discurrenti per singulas contractuum species. Contractus ergo praedictus quo ad eam partem pecuniae, quam supplere tenentur dicti Fratres D. & C. non est Societas, sed mutuum usurarium, colore, & nomine Societatis palliatum à Xysto Quinto prohibitum per extrauagantem *Detestabilis*, quam refert Naldus verbo *Societas*.

Sixt. quint.
Naldus.

Tertiò dico: In dicto contractu aliam apparere inaequalitatem; quia Fratres D. & C. in tribus alijs capitibus videntur aggrauati. Primum est, ut Societas duret ad placitum Domini A. Secundum est, ut pecuniae maneant apud Dominum A. qui hoc ipso, quod pecunias omnes negotiationis apud se detinet, maiorem habet securitatem, quam dicti Fratres. Tertium est, quod in reddenda ratione lucri, & damni quarundam negotiationum, seu imprefarum per dictum Dominum A. Fratres D. & C. teneantur stare, & credere eius simplici iuramento; in quo etiam longè minorem habent securitatem dicti Fratres, quam Dominus A. igitur Societas haec à debita videtur aequalitate deficere; ac proinde iniqua magis conuentio, seu potius circumuencio, quam Societas nuncupanda.

Ita sentio, saluo &c. Frater Ioannes Paulus Nazarinus Sacrae Theologiae Magister Ordinis Praedicatorum.

QUAR-

QUARTVS CASVS.

L Abitur iam annus, quo ex ordine Excellentiss. Gubernatoris Magistratusue extraordinarij huius Domini, iussa fuit Ciuitas Cremonae constituitur apotecam cereae quantitates tritici; quae vulgo dicitur magazenum. Quod sanè onus, & si relictis allegatis rationibus, & causis ab initio subire detrederit ciuitas, quas longum esset referre; attamen nulla habita ratione ab ea deductorum, per praecipua poenalia, & executionis non semel reiteratas minas coacta fuit illud, saltè pro parte, adimplere: Quae propterea dedit sufficiens auctoritatè DD. Praefectis annonae illud emedi; cū hac tamè conditione, ne Ciuitas aliquid detrimenti caperet. Quare tribus mille aureis, & plus ad cambium receptis, emit sextaria duo mille, & quingenta frumenti. Hoc verò, cum coacti fuissent emere in locis exteris, & longinquis, in territorijs nempe Laudensi, & Papiensi, & regione Montisferrati, tempore praesertim hyemali, & eo, in quo ubiq; locorum vigeat annonae caritas, necessario factum est, ut ob ingentes impensas, itinerum, vectonum, vectigalium, gabellarum, & aliorum respectu tritici memorati factas, illius pretium carius euaserit.

Netamen alicui damno, & iacturae obnoxia remaneat Ciuitas, adiuuit Illustrissimum praetorem, eoque certiori reddito de cariori comparati tritici pretio, eundem rogauit, ut permittat eadem Ciuitatem memoratum triticum vendere absq; aliqua sui iactura.

Cum autem nunc reperitur constitutum pretium panis venalis in libris duodecim pro singulo sextario ex conuentione facta cum pistoribus duratura vsq; ad diem decimam Mensis Iulij: Dubitat Illustrissimus D. Praetor, nunquid possit in foro conscientiae in hac re gratificari Ciuitati, permittendo, aut iubendo, ut damnum ex minori pretio ad Ciuitatem peruerturum resarciatur super eodem pane venalis, nunc, vel finita dicta conuentione.

In hoc, n. intentus est, ne pauperes maximè grauentur, &

N 2

non

non edant panem multo cariorum, quam de tempore in tempus verus tritici valor postularer.

Respondet Civitas, iure civili, clarum esse, ut similia magazena vendi debeant absq; damno Civitatis, & populus cogi debeat consumere triticum eodem pretio, quo fuit comparatum.

Se non teneri talia detrimenta subire, nisi in casu extremae necessitatis, quo tempore iuxta regulas Theologorum omnia communia sunt; & annis proxime elapsis passam fuisse aliam iacturam aureorum ex simili causa.

Esse prope ad nihilum redactam ob intolerabiles collectas, quas suis civibus indicere cogitur, idq; notorium est.

Hoc damnum, quod ipsa pretendit sibi compensari super pane venali, esse insensibile, quia spatio quindecim dierum refarcietur.

Dignetur ergo M. R. P. V. pro ratione rectae conscientie respondere, & in scriptis adducere rationes, & auctoritates, quibus moveri debeat Illustrissimus D. Praetor ad consentiendum iustae petitioni Civitatis.

Rationes D. Praetoris Cremonae pro parte negante.

Non potest Praetor consentire, ut vendatur frumentum magazeni pretio, quo fuit emptum; quoniam hoc redundaret in magnum pauperum damnum: Verum est, quod anno praeterito id permisit, etiam si eius praedecessor in suo regimine contrarium voluerit observari. Cuius promissionis multas habuit causas, quae modo cessant.

Prima est; quia tunc pretium non erat excessivum, sicut modo est.

Secunda; quia anno praeterito D. Praetor mandavit, ut emeretur frumentum pro beneficio pauperum, & Civitatis non habentis, quantum posset sufficere; nunc autem agitur de Magazeno facta ex mandato Excellentissimi Gubernatoris absq; ulla causa expressione.

Tertia est; quoniam anno praeterito nullum aliud frumentum erat in Civitate, nunc autem aliud praeter praedictum reperitur.

Septem-
milium.

Quar-

Quarta est; quia pauperibus succursum fuit anno praeterito centum saccis frumenti, quo compensata fuit pars damni, quod ob magnum pretium patiebantur; quod tamen pretium non erat excessivum.

His accedit conventio facta anno praesenti cum pisto-ribus.

Resolutio.

Casus propositus ad speciem pertinet monopolij, modum quendam habens collectae: ex communi autem Theologorum sententia monopolium per se loquendo iniustum est; ut probant Sylvester verbo Emptio, quaestio 18. Soto de Iustitia, & Iure libro 6. quaestio 2. art. 3. prope finem. Ioannes Medina Codice de rebus restituendis quaestio 30. §. Sexto redditur. Navarrus cap. 33. num. 92. Bannes de Iure, & Iustitia quaestio 77. art. 1. Molina de Contractibus tractatu 2. disp. 345. Michael Salon Tomo 2. in fine. Lessius lib. 2. cap. 21. Dub. 20. Azorius parte 3. lib. 8. cap. 28. Rebellus 2. parte de Obligationibus Iustitiae lib. 9. quaestio 7. Reginaldus Tomo 2. lib. 25. cap. 22. Bonacina de Contractibus disp. 3. quaestio 2. puncto 5. & alij communiter. Tribus tamen concurrentibus iustum erit. Primum est, ut fiat auctoritate Principis, aut publicae potestatis. Secundum est, ut eadem auctoritate, seu potestate, aut prudentum iudicio iustum pretium mercis vendendae taxetur. Tertium est, ut fiat ob iustam causam, puta publicam necessitatem, aut utilitatem; ut asserunt Ioannes Medina, Bannes, Molina, Salon, Lessius, Rebellus, & Bonacina locis supra notatis. Collecta vero, ut iusta sit, formam exigit iustitiae distributionis, ut scilicet gravamen iuxta civium facultates distribuatur, ne ab eo, qui minus habet, maioris summae fiat exactio; ut communiter tradunt Doctores in materia Vectigalium, & Gabellarum.

Sed praeterea considerandum est, multum referre, quo sine constituatur magazenus, siue massa frumenti communis: Nam, si fiat a populi Primatibus ad succurrendum eius necessitatibus, tenebitur populus subire gravamen totius expensae, emendo triticum, aut panem ex eo factum eo pretio,

Sylvestre.
Soto.

Bannes.

Molina.
Salon.

Lessius.
Azorius.
Rebellus.
Reginald.
Bonacina.

Io. Medina.
Bannes.
Molin. &c.

N 3

tio,

tio, quod necessarium est, ut emptores totius massae seruentur indemnes: Quod n. a populi Primatibus, seu Decurionibus factum est ad subleuandam ipsius populi necessitatem, ab ipso populo factum esse censetur; illi n. populi vices gerunt, & ab eius consensu, & electione dependent: Si autem non ad succurrendum populi necessitatibus, sed ad prouidendum militibus instante bello constituantur, praedicta frumenti massa de mandato Principis; iam non populus, sed milites triticum consumentes, aut certe Princeps, si milites triticum non consumpserint, expensis, ac damnis omnibus tenebitur subiacere: Quod si fuerit impotens, deuoluetur necessariò grauen in subditos secundum iustitiae distributivae formam in singulos diuidendum. Ad propositum igitur quaesitum.

1. *Concl.* Dico primo: Si dicta frumenti massa collecta fuisset ad succurrendum populi necessitatibus, omnium expensarum grauen ad populum pertineret. ita Docet Ludouicus Messias in suo Laconomo, seu Commentario in Regiam Pragmaticam, qua panis pretium taxatur in interiori hominis foro, quarta conclusione in fine, dicens: Si Ciuitas vendat frumentum, quod in annonam habet publicam, posse illud vendere, ut ipsa annona exigit secundum expensas, quibus eidem constat, quod dictum confirmat auctoritate legum imperialium. Et patet etiam ex ratione superius adducta.

2. *Concl.* Secundò dico, cum dicta frumenti massa fuerit empta de mandato Principis ad alendos (ut praesumitur) milites in casu belli, & nihil ex eo fuerit a militibus consumptum, teneri Principem, seu Regiam Cameram ad seruandam indemnem Ciuitatem. Probat hoc dictum: Quia Ciuitas soluit debita Regi tributa, & alia multa sibi minime debita subit grauamina pro militum sustentatione, & alijs causis ad Regiam Cameram pertinentibus; igitur nullo iure tenetur militibus de annona cum magno suo damno prouidere.

Tertiò dico: Si Regia Camera fuerit impotens (ut facile credi potest) frumentum praedictum currenti pretio esse distrahendum, & ut emptores primi seruentur indemnes, per

colle-

collectas ad formam iustitiae distributivae ciuibus impositas residuam pecuniae summam esse colligendam. Probat. Nam alioquin absq; causa legitima pars Ciuitatis debilior, ac indigentior, quae pane quotidie a pistoribus empto viuit, maius damnum pateretur, quam diuites, ad quos parum, aut nihil huius grauaminis perueniret; hi n. frumento vtuntur ex proprijs agris collecto, aut aliunde sibi prouiso. Iam autem diximus in grauaminibus populo imponendis, siue per modum vectigalis, siue per modum collectae, aut quouis alio modo, seruandam esse formam iustitiae distributivae. Quod etiam aduertit Molina loco supra notato num. 3. dicens; attendendam esse, ut subueniendo communi bono, non magis grauentur quaedam Reipublicae partes, quam aliae, quando ad omnes aequaliter subuenire illi spectat.

Molin.

Ad rationes autem pro parte Ciuitatis adductas, dico ad primam, leges ciuiles intelligendas esse in casu primae nostrae conclusionis, seu dicti.

Ad secundam dico, posse Ciuitatem ex singulis ciuibus pecuniam expensam colligere secundum formam iustitiae distributivae, & non cum tanto indigentium grauamine.

Ad tertiam dico, Ciuitatem ad nihilum magis esse redactam in parte debiliori, quam in parte potetiori, & ideo seruandam esse dictam iustitiae formam.

Ad vltimam dico, damnum praedictum fore valde sensibile pauperibus, sed dicta forma seruata omnibus simul ciuibus futurum esse quasi insensibile.

Ita sentio, saluo &c.

Frater Ioannes Paulus Nazar.

QVINTVS CASVS.

Cvm Seius procurator quorundam Canonicorum, & Capituli cuiusdam Ecclesiae collegiatae, assumpto Cancellario dicti Capituli, se praesentasset coram Episcopo cuiusdam Ciuitatis existente in Ecclesia sua Ca-

N 4

the-

thedrali in Synodo ibidem congregata; praesentibus etiam eiusdem Ecclesiae Canonicis, dixit Episcopo, praedictum Capitulum Ecclesiae supradictae collegiatz petere, & rogare ipsum Dominum Episcopum, ut iuberet dari locum conuenientem ad sedendum dictis Canonicis, scilicet immediate post Canonicos Ecclesiae suae Cathedralis, cum nullus reliquus esset dictis Canonicis locus ad sedendum more solito cum Canonicis Ecclesiae dictae Cathedralis, aliter se protestari, prout in scriptura, quam manibus gerebat, continebatur; & iubente Domino Episcopo, ut Seius scripturam legeret, ea statim per eum lecta, Episcopus illam e manibus Seij eripuit, ut eam daret suo Cancellario, ut ipsi de ea esset rogatus; quam, cum Seius manu sua ex vna parte apprehendisset, tenente eam ex alia parte Domino Episcopo, dixit Seius Episcopo, se velle, ut de dicta scriptura esset rogatus Cancellarius Capituli, & Canonicorum praedictae Ecclesiae collegiatz, non autem Cancellarius Ecclesiae Cathedralis, cum tamen uterque Cancellarius esset praesens. Et interim praedictus Dominus Episcopus manu ad se trahens dictam scripturam, ut eam suo traderet Cancellario, cum eam Seius pressa manu teneret, accidit, ut ex vna parte maneret aliquantulum lacerata, ex ea videlicet parte, in qua tenebat eam Dominus Episcopus, qui eam tandem eripuit e manibus Seij, suo Cancellario tradidit, & rogante Seio, ut saltem de dicta scriptura essent in solidum rogati praedicti duo Cancellarij, consensit Episcopus, & Seius a tergo dictae scripturae scripsit ordinationem in forma consueta. Quibus actis, Dominus Episcopus, expositis publice schedulis, declarauit praedictum Seium excommunicatum, eo quod tentauerit vi eripere scripturam praedictam de manibus Episcopi Pontificalibus vestibus induti coram Capitulo, & Synodo &c. accepta prius iuridica informatione.

Quaeritur, an praedicta excommunicatio sit iusta, vel iniusta, & an praedictus Seius teneatur fidelium commercium euitare, & a Sacramentorum, & diuinorum officiorum communione abstinere.

Resolutio. Ad praedicti casus euentiam duo sunt in primis statuenda

da principia communi Theologorum calculo comprobata. Primum, illudque praecipuum, est, poenam excommunicationis maioris infligi non posse nisi propter mortale peccatum; ut manifeste patet ex verbis Domini Matthaei 18. vbi ante poenam excommunicationis trina decernit peccatorum correctione monendum, & ait: *Si (facta prima monitione) te audierit, lucratus es Fratrem tuum*; ex quo dicto colligit optime Sotus in 4. sent. dist. 27. quaest. 1. art. 2. Christum Dominum de eo tantum peccato fuisse locutum, per quod homo perit; nam eo per correctionem remoto, dicitur is, qui correxit, lucratus fuisse fratrem suum; quod verè, ac proprie dici non posset de culpa veniali per effectum correctionis amora. Demum peracto toto correctionis ordine concludit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus*. quibus verbis se de culpa mortali loqui Christus Dominus manifeste declarat; peccato namque veniali tam atrox poena non congruit; quod etiam praecedentia in eodem capite verba declarant; praemiserat. n. *Non est voluntas ante Patrem vestrum, ut pereat vnus de pusillis istis; si autem peccauerit in te frater tuus, &c.* Huic diuinae scripturae consonant Sacri Canones in Decreto Gratiani 1. quaest. 3. *Nemo Episcoporum, & Nullus Sacerdotum.* & 24. quaest. 3. *Can. Corripiantur;* & alijs sequentibus; in quibus solis peccatis mortalibus, & quidem grauissimis poena decernitur excommunicationis, & idem statuatur in Concilio Tridentino sess. 25. de Reformatione cap. 3. Eandem veritatem unanimi consensu docent omnes Theologi: Sanctus Thomas in 4. sent. dist. 18. quaest. 2. art. 1. Paludanus eadem dist. quaest. 1. art. 2. Adrianus in 4. tractatu de Clauibus quaest. 3. Alexander Alensis in 4. parte summae quaest. 23. membro 1. art. 3. Sanctus Bonaventura in 4. sent. dist. 18. in vltima parte distinctionis quaest. 2. Ricardus eadem dist. quaest. 2. Durandus ibidem quaest. 3. num. 7. Caietanus in summula verbo excommunicatio cap. 10. Syluester verbo excommunicatio 1. numero 11. Tabiena verbo *Excommunicatio* 1. versiculo tertio; Sanctus Antoninus 3. parte tit. 24. cap. 73. Sotus loco supra notato. Nauarrus lib. 5. confid. de sent. excommunicationis, consilio 38. & in Manuali cap. 27. nu. 9. & 80.

Matth. 18.

Sotus.

Sotus.

Sotus.

Cap. Nemo episcoporum.
Cap. Nullus Sacerdotum.
Cap. Corripiantur.
Coc. Trid.

S. Thom.
Paludan.

Adrianus.
Alensis.
S. Bonau.
Ricardus.
Durandus.
Caietan.
Syluester.
Tabiena.
S. Antoninus.
Sotus.
Nauarrus.

Ledesma. & 80. & alijs sequentibus. Petrus Ledesma in sua summa
Toletus. Hispanica sub titulo de excommunicatione cap. 3. Toletus
Suarez. in sua instructione lib. 1. cap. 6. nu. 13. Suarez Tomo 5. disp.
Sayrus. 4. sect. 6. num. 13. Sayrus in Thesauro casuum conscientiae
Tomo 1. lib. 1. cap. 9. nu. 1. & sequentibus, & alij per eum
allegati.

Secundum principium est, iniectioem manus in cleri-
cum ex multis causis non inducere culpam mortalem; pre-
fertim verò, quando fit incontinenti causa defensionis non
solum personae suae, aut suorum, sed etiam rerum suarum,
vim vi repellendo cum moderamine inculpatae tutelae; ut
cap. si verò
clare decernitur in cap. si verò et 1. de sententia excommu-
nicationis; & ita docent communiter omnes Theologi. San-
ctus Thom. ctus Thomas in 4. sent. dist. 18. quæst. 2. art. 5. quæstioncula
1. Sanctus Antoninus 3. parte tit. 25. cap. 1. §. 4. notandum.
Caiet. verbo excommunicatio cap. 10. Syluester verbo ex-
communicatio 6. nu. 6. Tabiena verbo excommunicatio 5.
casu 1. nu. 10. Sotus in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 3. Navarrus
in Manuali num. 82. Sayrus in suo Thesauro lib. 3. cap. 27.
nu. 17. & alij Theologi, & Canonistæ per eum allegati.

Ex his duobus principijs sequitur euidenter, sententiam
excommunicationis laram contra Seium prædictum iniu-
stam esse, & in foro conscientiae nullam, & teneri Episco-
pum ad eam reuocandam, aut ad absolutionis beneficium
Seio absq; eius dedecore impendendum, declarando per
scripturam publicam, aut alio meliori modo illum non esse
a fidelibus euitandum. Nam, ut in casu narratur, Seius
communem dictorum Canonicorum causam agebat, & pro
illis protestationem, seu appellationem ad sedem Aposto-
licam porrigebat, & ad bonum inchoatae tunc causae finem
expediebat, de illa scriptura Notarium eorundem suorum
Canonicorum esse rogatum, non autem Notarium partis
aduersae; atq; ideo licebat ei scripturam, tanquam rem ma-
gni momenti pro causa, quam agebat, defendere, ne a suis
manibus eriperetur, & alteri notario valde suspecto in cau-
sae præiudicium traderetur. Immò, stantibus prædictis,
licite poterat eam a suis manibus ereptam cū debito mo-
deramine recuperare: Ex narratis autem supra non appa-
ret.

ret, Seium, cum dictam scripturam recuperare tentauit,
modum sicut defensionis excelsisse; cum solum eam tenuerit,
& ereptam a manibus suis Episcopo reliquerit; adeo ut
nullum appareat ex parte Seij violentiae signum, sed vis ex-
titerit ex parte Episcopi, scripturam ad se trahentis, & eam
in parte, qua per eum tenebatur, lacerantis; Nulla igitur
fuit in Seio culpa, nedum mortalis, sed ne venialis quidem,
ac proinde iniusta, & in foro conscientiae nulla est excom-
municatio; Quæ dictum Seium, non absolutè, sed solum ad
euitandum scandalum obligat a manifesto commercio fi-
delium, & a participatione publica diuinorum abstinere.
Poterit autem secretò, & in locis, ad quos dictae excommu-
nicationis noticia non peruenit, nec facile sciri possit ab
existentibus in loco, vbi promulgata fuit excommunica-
tio, diuinis interesse, & cum fidelibus conuersari. Ut affir-
mant communiter Doctores: Adrianus in 4. sent. quæst. 4. Adrianus
de confess. vers. si petas. Sotus in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 3. Sotus.
& in relectione de regendo secreto, membro 3. quæst. 1. art.
4. Martinus Ledesma, quæst. 23. art. 4. Gratianus 1. i. quæst. M. Ledes.
3. cap. si Episcopus; vbi notat, Sanctum Gregorium, & Vr- Cap. si Epi-
banum non dixisse, sententiam iniuste latam esse seruandam, sed timendam; id est, non ex superbia contemnendam. scopus.
Petrus Ledesma in sua summa parte prima de excommu- Petrus Le-
nicatione, cap. 4. Caiet. 2. 2. quæst. 76. art. 4. ad secundum. desma.
Maior in 4. dist. 18. quæst. 2. Suarez tomo 5. disp. 4. sect. 7. Caietan.
numero 43. Vivaldus in suo Candelabro, de excommuni- Maior.
catione, numero 68. conclusione 4. & alij. Suarez.
Vivaldus.

Ita sentio, saluo &c.

*Fr. Ioannes Paulus Nazarius Sacrae Theologiae
Mag. Ordinis Prædicat.*

SEXTVS CASVS.

Titius Doctor collegiatus annum agens suae aetatis 74.
circiter affectus per multos annos continuos ardo-
re vrinx, sanguinis motu copioso, & ita copioso, ut
quan-

quandoq; vires resoluantur, spuro etiam eiusdem sanguinis, ita vt mortem saepe proxime attigerit; difficultate spirandi saepius vexatur, Quae affectiones, licet per interualla eum decineant, nihilominus adeo eum molestant, vt semper vitæ periculum incurrat: vellet sibi in vxorem copulare Bertam Forésem virginem annorum 12. solitam in eius domo inseruire pro ancilla, seu domicilla; quae parentes habet modo huc modo illuc vagari solitos, & duos fratres; quorum alter est doctoratus in Medicina amore Dei. Titius autem tres habet filios doctoratos; ex quibus vnus est collegiatus; viuuntq; omnes cum patre Titio in eadem domo cum vxoribus aequalibus suae conditioni. Periti medicinae Doctores interrogati respondent Titium considerata eius aetate, & infirmitate multiplici, non posse coitum exercere sine maximo vitæ suae detrimento, & repentinae mortis periculo, & rationes adducunt ex arte medicinae non vulgares. Quaeritur, an dictus detentus talibus affectionibus possit vxorem ducere, & eò magis virginem, & an eius filij licite possint, cum impeditè à tali matrimonio contrahendo.

Resolutio. Ad propositum quaesitum dico, non solum licitum esse filijs patrem à supradicto matrimonio contrahendo impedire, sed eos etiam ex charitate, & pietate, qua tenentur parentum vitam tueri, & in necessarijs eis lege diuina succurrere, ad illud impediendum per media rectè rationi, & iuri tam diuino, quam humano consentanea ex multis capitibus obligari. Primum, illudq; praecipuum est periculum repentinae mortis in coitu, aut vitam notabiliter breuiorem efficiendi, contractis prius grauissimis indispositionibus eum reddentibus miserabilem. Quibus post prudentum, & peritorum moniciones velle se committere, aut implicare mortale peccatum est, eadem lege naturali, & diuina prohibitum, qua quilibet se ipsum occidere, aut notabile sibi vitæ detrimentum afferre prohibetur. Probat autem, quod intendimus; Primum, quia Doctores affirmant illicitum esse, & ex genere suo culpam esse lethalem viro reddere debitum vxori, & vxorem viro cum notabili salutis suae detrimento: Ita Petrus à Soto lect. 16. de matrimo-

S. Sunt

S. Sunt etiam, Caiet. in Summa verbo Matrimonium cap. vlt. non longè à principio; vbi ait esse peccatum mortale, cui subscribit Armilla eodem titulo nu. 67. & 68. Idem affirmant S. Antoninus 3. parte tit. 1. cap. 20. §. 4. & Syluester verbo debitum quaest. 5. quos sequitur Sanchez lib. 9. de debito conjugali disp. 24. nu. 8. & sequentibus. Secundo probatur idem ex communi Theologorum doctrina, asserente eum peccare mortaliter, qui non ex intentione, sed tamen aduertenter vitam notabiliter ieiunij, vigilijs, abstinentijs, & psalmodiarum decantationibus efficit breuiorem. Ita Victoria relect. de temperantia nu. 12. & relect. de homicidio nu. 34. Nauarrus cap. 15. nu. 12. Couarruias lib. 1. variarum resolutionum cap. 2. §. Quanto hinc, & clarius Ludouicus Lopez prima parte Instructorij conscientiae cap. 64. & copiosè Petrus Nauarrus lib. 3. de restit. cap. 3. num. 88. & sequentibus. Toletus lib. 5. Instruct. cap. 6. statuit hanc quamquam Conclusionem: Occidere se mediatè adhibendo, & aggrediendo ea, ex quibus mors certa, aut probabilis sequitur peccatum est mortale ex genere suo, & infra nu. 14. ait eum, qui se in abstinentijs macerat aduertens inde mortem securam peccare mortaliter. Sayrus in Clauis Regia lib. 7. cap. 9. nu. 31. idem docet, & explicat accurate; Quod etiam affirmat de eo, qui fungis, aut herbis crudis, vel fructibus acerbis, & alijs similibus cibis humanae valetudini nociuis vteretur, ita vt vel scienter, vel ex aliorum bonorum, & peritorum sententia breui adrumperetur vita; quod etiam antè eum docuerant Victoria in allegata relect. de temperantia nu. 15. in fine, & relect. de homicidio nu. 33. ad 12. & Petrus Aragon in 2.2. quaest. 64. art. 5. ad 5. & Lopez loco supra notato, & habent hæc satis evidens fundamentum in doctrina D. Thomae, & Caietani 2.2. quaest. 147. art. 1. His adde eum, qui scienter, & aduertenter nimis comedit, & bibit in graue corporis sui nocumentum, peccare mortaliter, vt ait Syluester in verbo Gula nu. 2. Nauarrus in manuali cap. 15. nu. 13. Bonacina de legibus disp. 7. quaest. 2. puncto 5. nu. 28. & alij per eum allegati, & est communis Theologorum sententia. Ex quibus sequitur eadem, & potiori ratione Titium praedictum mortali-

Caietan.

Armilla.

S. Antoninus.

Syluester.

Sanchez.

Victoria.

Nauarrus.

Couarruias.

Lopez.

Petr. Nau.

Toletus.

Sayrus.

Victoria.

Aragon.

Lopez.

S. Thom.

Caietan.

Syluester.

Nauarrus.

Bonacina.

taliter peccaturum matrimonium contrahendo, & confu-
mando cum Berta virgine, & adolescente; cum id facere
non possit absq; graui vitæ suæ detrimento, cum euidenti,
aut valdè probabili mortis etiam repentinæ periculo. Te-
nentur autem non solum filij patri periclitanti, siue casu,
siue propria voluntate, succurrere, sed etiam quilibet pro-
ximo suo sibi mortem intentanti, vt dicitur 23. quæst. 4.

Cap. Ni-
mium.
August.

cap. *Nimum* vbi referuntur Augustini verba ex Epist. 48.
ad Vincentium ita scribentis: *Si n. quisquam inimicum suum
periculosi febribus freneticum saltum currere videret in preci-
pitium, nonne tunc potius malum pro malo redderet, si eum sic
currere permitteret, quàm si corripendum, ligandumq; curaret?*

Nauarrus.

&c. Eandem veritatem confirmat Nauarrus in manuali
cap. 24. nu. 23. ex dicto cap. *Nimum*, & ex cap. *Non infe-
renda* 23. quæst. 3. Fauet Syluester verbo *Bellum* 2. nu. 9. &
est doctrina communis.

Syluester.

Tertio probatur idem ex scandalo verisimiliter immi-
nenti, prò vt ex facti specie colligitur, qd ad licitè impedi-
dum videtur sufficiens, præsertim, si nondum sint contra-
cta sponsalia, nec interuenerit copula carnalis, vt suppo-
nitur in casu; rationalis autem suspitio scandali ex ma-
trimonio consecuturi, iusta, & sufficiens causa est illud im-
pediendi, etiam post contracta sponsalia; vt satis clarè si-
gnificatur cap. *Cum in tua* de sponsalibus, & matr. & ibi

Cap. Cum
in tua.
Clem. 3.

glossa notat secundum illam Decretalem, quæ est Clemen-
tistertij propter scandalum impediri matrimonium: quam
communem Doctorum præsertim Iuristarum esse senten-
tiam probat Sanchez lib. 1. de sponsalibus disp. 14. & antè
eum Nauarrus in summa cap. 16. nu. 18. & Corduba quæst.
13. §. *Dixi regulariter*: vbi docet eum, qui promisit, teneri
eam, cui promisit in uxorem ducere, etiam si disparis sit
conditionis, nisi ex tali matrim. graue scandalum immi-
neat, quod etiam affirmat Panormitanus in expositione di-
cti cap. nu. 4. & alij plures, quos allegat Sanchez in dicta
disp. 14.

Sanchez.
Nauarrus.
Corduba.

Panormit.

Deniq; attendenda est etiam disparitas inter Titium, &
Bertam, prout in casu narratur; quam valdè considerant
Nauarrus in allegato cap. 16. nu. 18. Sotus de Iust. & iure
lib. 4.

Nauarrus.
Sotus.

lib. 4. quæst. 7. art. 1. ad 2. Corduba loco supranotato. Mol.
tom. 2. de iust. tract. 2. disput. 271. & alij. Quamuis n. vt
Sanchez in dicta disp. 14. prudenter aduertit, disparitas
status viri, & mulieris ad impediendum matrimonium
non sufficiant, additis tamen alijs supradictis multum
ponderat. Itaq; supposita specie facti, prout iacet in scri-
ptura à parte mihi porrecta, dico filios Titij supradicti nõ
solum posse, sed etiam debere secundum viam iuris, & re-
ctæ rationis conari ad dictum matrimonium Patri suo, &
ipsis, ac toti suæ familiæ præiudiciale impediendum.

Corduba.
Molina.
Sanchez.

Ita sentio, saluo &c.

SEPTIMVS CASVS.

Sempronius nobilis sororem habens Seiam Titio nu-
ptam iuuenem ad amores satis procliuem; adeo vt
eius occasione graua inter eius amatores orta fuerint
scandala, & alia non minora viderentur imminere; propter
quæ dictus Sempronius odio concepto contra Seiam pro-
pter honorem familiæ suæ tentauit eam occidere. & illi, ac
Titio eius viro paræ prudentiæ, & pusilanimi factus est
inimicus capitalis; tandem procurata, & conclusa fuit pax
inter eos publico instrumento, & partis vtriusq; iuramento
firmata, hac apposita conditione, vt Seia monasterium in-
grediatur, à quo non possit exire sine licentia Sempronij
sub pena fractæ pacis.

Quæritur primò. An possit cogi Sempronius ad licen-
tiam Seie concedendam, vt exeat e monasterio. Secundò;
An, Sempronio denegante licentiam, possit Seia ex mona-
sterio exire, & ad maritum reuerti. Tertiò; An rectè possit
Episcopus reclamante Sempronio, Titium, & Seiam absol-
uere à vinculo præstiti iuramenti.

Resolutio.

Ad primum quæsitum respondeo, & dico, Sempronium
nullo iure ad dictam licentiam concedendam cogi
posse.

posse. Primò propter periculum multiplicis scandali, quod in perniciem animarum propter dictam licentiam, & exitum Seiz è monasterio potest, ac debet à quolibet prudente, ac pio viro timeri tanquam imminens: Cum enim eadem, ac integræ dictorum malorum occasiones, aut etiam causæ ex parte Seiz, ac Titij remaneant, facile erit ex eis eisdem, seu similes effectus emanare, & Sempronij ad honoris familiaris suæ zelum accendere, & noua scandala prioribus longè maiora hinc inde multiplicari. Nec apparet, quomodo, stantibus conditionibus, & qualitatibus, seu dispositionibus prædictorum, tot imminentibus malis possit occurrere. Videtur autem exitus Seiz è monasterio non qualiscunque, sed proxima dictorum malorum occasio, præsertim autem occisionis Seiz, ac proinde necessario vitanda, iuxta ea, quæ tradit Nauarrus in Manuali Cõfess. cap. 3. num. 12. & sequentibus; vbi aduertit ex diuersa personarum qualitate, seu dispositione fieri, vt id, quod vni est occasio peccandi remota, sit alteri proxima; sed dato etiam, dictam occasionem non esse inter proximas connumerandam; quia tamen est valde lubrica, prudenter est euitanda, & nulla ratione permittenda.

Ad secundum quæsitum dico Seiam absque violatione præstiti iuramenti ex monasterio contra voluntatem Sempronij exire non posse. Probat primò, quia iuramento à Seia, & eius viro præstito tres congruunt comites cuiuslibet legitimo, ac valido iuramento, præsertim autem promissorio debiti ex lege diuina, Hieremia 4. vbi dicitur, *Iurabit; viuit Dominus, in veritate, in iudicio, & in iustitia*; quæ verba exponens S. Hieronymus ait: *Animaduertendum, quòd iurandum hos habet comites, scilicet veritatem, iudicium, & iustitiam.* Nam, vt ait S. Thomas in 2. 2. q. 89. art. 3. Ad bonum vltim iuramenti requiritur primò, vt aliquis non leuiter, sed ex necessaria causa, & discretè iuret; & quantum ad hoc requiritur iudicium scilicet discretionis ex parte iurantis. Secundò postulat iuramentum, vt id (quod eo confirmatur) neque sit falsum, neque sit aliquid illicitum; & quantum ad hoc requiritur veritas, per quam aliquis iuramento confirmat, quod verum est; denique debet adesse iustitia, qua

con-

confirmatur, quod licitum est; iudicio autem (inquit S. Doctor) caret iuramentum incautum, veritate autem iuramentum mendax, iustitia autem iuramentum iniquum, siue illicitum. De his iuramenti comitibus agunt expositores D. Thomæ ad dictum articulum, Socus de iustitia, & iure lib. 8. q. 5. art. 3. Sacri Canones, & eorum Doctores sub titulo de iure iurando cap. *Et si Christus*. Syluester in verbo iuramentum 4. & alij sub eadem voce: Constat autem ex præmissa facti narratione, & ex hucusq; dictis, iuramentum Seiz, ac Titij prædictis esse comitibus exornatum: iudicio quidem; quia non leuiter, sed præmissa matura deliberatione, & ex causa necessaria adhuc integra perseveranter factum est, & publica, ac legitima scriptura firmatum, veritate autem, cum stantibus prædictis, nulla possit falsitas præsumi; iustitia verò, quoniam id, quod erat iuramentum confirmatum, est, æquitati, & consilijs legis diuinæ conformè, licitum, & honestum, interueniente vtriusq; conjugati consensu, Seiz nimirum, ac Titij: Huius probationis vis ex secunda nunc subiicienda magis aluacescet; igitur.

Secundò probatur eadem assertio. Nam æqualis ferè virtutis sunt vincula, seu obligationes voti, & iuramenti, & in multis obligatio iuramenti maior est, quàm voti; quamuis enim, vt ait S. Thomas in 2. 2. q. 89. art. 8. votum ex ratione sua videatur magis obligatorium, quàm iuramentum, ratione maioris cuiusdam reuerentiæ, quæ Deo exhibetur, in voto, quàm sit eas quæ illi defertur in iuramento; multis tamen partibus, siue rationibus excedit obligatio iuramenti, præsertim promissorii, vt late probat Michael Medina in suo opere de Sacrorum hom. cont. lib. 5. cap. 22. & 23. Nauarrus in Man. Confess. cap. 12. num. 32. & latius in suo volumine Consiliorum lib. 3. sub titulo de regularibus, consilio primo. Suarez tom. 2. de Religione tractatu 4. de iuramento lib. 2. de iuramento promissorio cap. 3. quam sententiam Sanchez reputat esse probabilem in suo opere morali lib. 3. cap. 9. num. 4. At Canonum Doctores communiter affirmant æqualem esse voti, & iuramenti obligationem; ita docet Abbas Panormitanus in cap. *Si verò* de iure iurando, & alij; vt autem in allegato consilio, notat Na-

Socus.
cap. Et si
Christus.
Syluester.

S. Thomas

Michael
Medina.
Nauarrus.

Suarez.

Sanchez.

Panormit.

Nauarrus.

O

quartus

uarrus obligatio iuramenti maior est obligatione voti. Primò; quia votum obligat soli Deo; iuramentum autem Deo, & proximo; adeo vt licet Pontifices passim absoluunt ex iusta causa à voto, non tamen ita regulariter absoluunt à iuramento, quo iurans obligatur proximo, nisi de consensu eius. Secundò; quia votum metu emissum est ipso iure nullum, iuramentum autem metu contractum est validum; vt patet ex cap. Verum de iure iurando. Sed præterea in iuramento clauditur ratio iustitiæ proprijsimè dicta, quæ non est in voto; atque ideo, licet voti vinculum, sit diuinius; iuramenti tamen obligatio est insolubilius, vt bene aduertit Medina prædictus loco supra notato; cuius alias rationes ob earum prolixitatem omitto.

Ex his igitur sic probatur assertio. Si Scia, consentiente Titio eius marito, votum emisisset ingrediendi monasterium, & ex eo non egrediendi, nisi de licentia Sempronij, exire non posset nisi impetrata à fratre Sempronio facultate; igitur, cum sit insolubilius vinculum iuramenti, quam voti, multo minus egredi poterit post præstitum fratri de non exeundo iuramentum. Assumpta conditionalis colligitur ex Decreto 23. q. 5. cap. Quod verò; vbi definitur, non posse virum continentis vota rescindere, quæ eius assensu mulier Deo promisit; & clarius ex cap. Vna sola causa. quod est sextum eiusdem questionis; & ex cap. Charissimus. de conuersione conjugatorum; vt ibidem etiam affirmant, ac probant Abbas, & Glossa, & alij factorum Canonum expositores; idem etiam declarat Ledesma in prima parte suæ summæ sub titulo de Sacramento Matrimonij conclus. 15. & est doctrina communis omnium Theologorum.

Ad tertium quæsitum. An. scilicet rectè possit Episcopus reclamante Sempronio Sciam, & Titium à vinculo iuramenti, quo tenentur, absoluere, patet, quid dicendum ex supra notatis de vinculo iuramenti ex Michaeli Medina, Nauarro, & alijs, considerata præsertim Sedis Apostolicæ consuetudine circa absolutionem ab huiusmodi iuramentis, in quibus agitur de interesse tertij, & scandalis, quæ ex egressu Scie à monasterio facile consequi possent; repullularent enim inimicitia; ex quibus facile sequerentur homici-

cap. verum
de iure iur.

Medina.

cap. Quod
Deo.

e. vna sola.

cap. Cha-
rissimus.
Abbas.
Glossa.
Ledesma.

micidia; & alia plurima, ac ingentia damna, tam in temporalibus, quam in spiritualibus bonis, quæ Deus auertrat.

Ita sentio, saluo &c.

*Fr. Ioannes Paulus Nazarius à Cremona sacra
Theologia Magister Ord. Prædic.*

OCTAVVS CASVS.

DVM Titius Sacerdos cum quodam laico nocturno tempore iret ad sua negotia, duo viri armati vnus sclopis, & alter hasta, illum aggressi sunt, & dicente eis Titio, cur ipsum aggredierentur, responderunt verba impertinentia; & accensa verborum contencione, vnus ex dictis viris apprehendit sclopum, quem Titius tenebat, & nitente Titio sclopum recuperare, non potuit. Interim ille, qui tenebat hastam Titium in latere vulnerauit, & socius Titij vulnus infixit lethale illi, qui sclopum nitentibus auferre de manu Titij, ipso tamen Titio non aduertente, neque vidente; propter quod vulnus post breue tempus prædictum, qui sclopum Titij manu tenebat, in terram cecidit, & Titius sclopum suum recepit, & irapercius dubitans, ne denuo offenderetur, cum sine vitæ periculo fugere non posset, vt sibi videbatur, sclopum, quem manu tenebat, exoneravit contra eum, qui in terram ceciderat, dubitans, ne surgens ipsum offenderet; ex quo vulnere statim prædictus aggressor mortuus est.

Quæritur: An Titius Sacerdos incurrerit irregularitatem ex dicto homicidio; & an Illustrissimus Legatus Bononiensis possit cum ipso dispensare, casu quo esset irregularis, præsertim cum dictum homicidium sic deducum ad forum contentiosum.

Resolutio.

AD propositum casum dico primò: Sacerdotem hunc non contraxisse irregularitatem prouenientem ex homicidio,

dio. Probatur quia talis irregularitas non contra hunc nisi ab eo, qui per industriam, seu a proposito, & sua voluntate, & non a casu, aut vim in repellendo pro sua vita necessaria defensione homicidium perpetravit, ut clare docet Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. de reformatione, & omnes Doctores communiter; die autem Sacerdos aggreffus ob necessariam vitae suae defensionem occidit, ut patet in facti specie supra notata.

Secundo dico eundem Sacerdotem nullam ex dicto homicidio in foro conscientiae contraxisse irregularitatem. Probatur: quia homicidium perpetratum pro necessaria defensione vitae suae facta cum debito moderamine nullam inducit irregularitatem, ut patet ex Clem. unica de homicidio; & est communis resolutio Doctorum S. Antonii 3. part. tit. 5. cap. 8. §. 1. Syluest. verbo homicidium 3. num. 5. Navarr. cons. 36. de homicidio, & in Enchir. cap. 27. num. 238. Tabiena verbo irregularitas 2. num. 30. Suarezij disp. 46. sect. 1. num. 27. Mohr. tome 4. tract. 3. disp. 11. num. 11. Sayri lib. 6. cap. 7. Toleti lib. 1. in fine. c. 80. & aliorum recentiorum.

Tertio dico eundem Sacerdotem ad evitandum scandalum eorum, quibus notum est dictum homicidium, debere ab omni sacrorum ordinum exercitio abstinere, in ijs praesertim locis, ex quibus facile posset ad eos, qui patrati homicidij notitiam habent, fama dicti exercitij peruenire. Probatur ex eor. Doctorum sententia in materia de censuris: dicunt enim eum, qui a Iudice per sententiam iniustam, & nullam fuit excommunicatus, non posse publice cum alijs fidelibus communicare, aut, si est Sacerdos, celebrare, donec populus doceatur de iniusticia, & nullitate excommunicationis, aut declaretur Sacerdos non excommunicatus. ita Sotus in 4. sent. dist. 22. quest. 1. art. 3. Navarrus cap. 27. h. m. 1. Suarez. disp. 4. sect. 7. Sayrus lib. 1. cap. 17. ubi plures allegat Doctores.

Quarto dico; cum causa deducta sit ad forum contentiosum, expectandam esse ex eodem foro expeditionem, qua dictus Sacerdos absolvatur, aut condemnetur, & interim, consilio meo, ad evitandum non solum scandalum, sed etiam omnes scrupulos debet tanquam publica, quam apti-

Coe. Trid.

Clemētia
S. Antonius
Syluester.
Navarrus.
Tabiena.
Suarez.
Molina.
Sayrus.
Toletus.

Sotus.
Navarrus.
Suarez.
Sayrus.

uata sacrorum ordinum administratione abstinere, ut etiam consulat Henriquez lib. 14. cap. 10. §. 2. & Reginald. lib. 30. tract. 2. cap. 9. in fine: cum praesertim nonnulli Doctores, quos refert Sayrus loco supra notato, dicant eum, qui in vindictam alium occidit, licet id faciat ob necessariam sui defensionem, & cum debito moderamine, fieri irregularem; contrariam tamen sequuntur alij grauiiores, quos refert, & sequitur Bonac. de cens. disp. 7. quest. 4. puncto 6.

Postremo dico: si praedictus Sacerdos in foro exteriori, ubi tractatur causa, non pronuncietur innocens, non posse cum eo nisi per Summum Pontificem super irregularitate dispensari. Probatur ex Concilio Trid. loco supra notato in fine ita definiente: *Committatur loci ordinario, aut ex causa Metropolitana, seu viciniori Episcopo, qui non nisi causa cognita, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter dispensare possit*; certum est autem commissionem hanc a solo Summo Pontifice fieri posse; igitur ad ipsum solum, vel ad eum, cui ipse commiserit, pertinet dispensatio.

Ita sentio, salvo &c.

NONVS CASVS.

Seius Sacerdos regularis, & Confessarius conuenit Titium mercatorem, illumque secreto interrogauit: an aliquid ei furto fuisset ablatum. Cui respondit Titius, sibi quaedam furto subtrahita fuisse, nescire tamen, an essent pecuniae, aut res aliae. Subiunxit Seius, an vellent dicti furci scire veritatem, offensam tamen reo dimittendo; & annuente, ac promittente Titio, Seius, habito consensu, sempronij cuius (ut ipse nunc asserit) confessionem sacramentalem audierat, Titium ad Conuentum suae religionis vocauit, ad quem cum Titius venisset, inuenit Seium cum Sempronio, qui praesente Seio confessus est, se quandam pecuniam summam per clauas adulterinas Titio succipuisse. Cui cum idem Titius offensam dimisisset, post aliquot dies grauiores ab eo passus est iniurias, propter quas petijt, & obtinuit dictum Sempronium, in carcere detinendum, & multum illum

Dico

3

illum

Henric.
Reginald.

Sayrus.

Bonaccina

Coe. Trid.

Seius

Titius

Seius

Titius

Seius

Titius

Seius

Titius

Seius

Titius

Seius

Titius

Seius

Titius

Seius

Titius

illum de dicto furto puniri, sed contra quendam aliū complicem in furto procedere. Ad quem finem vellet Seius vt testem dictæ confessionis extrajudicialis a Iudice criminali, qui vulgò dicitur *del Terrone*, examinari: sed recusat Seius, adducens pro causa periculum reuelandi saltem indirectè confessionem; Quod fieri absq; magno piaculo non posse, docent omnes Theologi.

Quæritur; An Seius pro veritate, & iustitia possit in dicta causa, vt testis examinari, aut etiam ad examen subeundum sp̄s renitente compelli.

Resolutio.

Causa propositi difficultas ex duobus pendet capitibus, Altero communi, & altero speciali; Caput commune est status Seij clericalis, & regularis; Speciale verò est sacramenti & inuiolabile sigillum confessionis sacramentalis, sine quo in Ecclesia Dei sacramentum diu conservari non posset. Et quo ad primum quidem caput.

Dico primò, testimonium clerici aduersus laicum de iure communi neq; cogi, neque recipi posse; vt habetur 11. quæst. 1. cap. *Nullus Episcopus*; & cap. *Testimonium*; quod etiam multorum vtiusq; iuris Doctorum auctoritate probat Farinac. in 2. p. *Praxis Crim.* quæst. 61. Quod dictum maxime verum est in causa sanguinis; vbi ibi probat idem auctor, & Rodriquez in suis quæstionib. regularib. tom. 3. q. 10. art. 4. vbi refert Summorum Pontificum decreta, & regularium priuilegia, & Doctorum expositiones.

Dico secundò, Clericum etiam regularem per suos Superiores Ecclesiasticos cogi posse ad testificandam eam in ciuilibus, quam in criminalibus, vbi non agitur de causa sanguinis, & quando aliter veritas haberi non potest, vt probat Farinac. in allegata quæst. nu. 71. 72. 73. 93. & 97. quod etiam affirmat Rodriquez loco supra notato, dicens *Non posse Clericum examinari coram Iudice seculari, nisi de licentia Superioris Ecclesiastici*; quod expressè decernitur Iure canonico 14. quæst. 2. cap. *Quamquam*. §. *Si autem*; & colligitur ex omnibus ferè decretalibus de testibus cogendis.

Dico

Dico tertio. Consequenter, quantum spectat ad hoc primum caput Seium cogi posse per Prælatum Ecclesiasticum habentem super eum auctoritatem ordinariam, aut delegatam ad testificandum in dicta causa; si tamen non sit, aut non fiat causa sanguinis, nec respectu Sempronij, nec respectu complicitis ab eo nominati.

Probat hoc dictum; Quia sumus in casu, in quo per alios testes veritas haberi non potest.

Tota igitur propositi quæstioni difficultas reducitur ad secundum caput. scilicet ad sigillum Sacramentalis confessionis, cuius fractionem, saltè indirectè dubitat Seius ex suo examine coniecuram.

Sed huic difficultati facilè satisficit ex doctrina S. Thom. in 4. sent. dist. 21. qu. 2. art. 3. vbi quærit; An Confessarius sciens aliquid per confessionem, & alio modo, possit illud reuelare; & respondet, posse, siue illud sciat prius per confessionem, siue postquam illud scierit alia via: Primo; Quia posset aliquis ad peccata esse procliuior, si non timeret ab illo accusari, cui confessus est, si coram illo peccatum iteraret.

Secundò, quia posset multum iustitiæ deperire, si testimonium ferre non posset aliquis de eo, quod vidit, propter confessionem de hoc factam; secundum hoc enim in Ecclesiastico iudicio posset impediti iustitia, si quispiam, vt euaderet sententiam excommunicationis, quæ in ipsum erat ferenda propter delictum, de quo conuictus est, illi sacramentaliter confiteretur, qui sententiam est in eum pronuntiaturus; Cui Doctrinæ subscribunt omnes Doctores Scholastici, qui de hac materia post D. Thom. differunt; Principui verò sunt Magister Soto in 4. dist. 18. qu. 4. art. 6. versus finem, & lib. de ratione tegendi, & detegendi secretum memb. 2. quæst. 4. dub. 5. Vbi hanc etiam addit probationem; Quia nimirum Sacerdos per id, quod audiuit in confessione nullum amittit ius, quod habet; Ac si non audisset in confessione, haberet ius dicendi id, quod aliis nouit: ergo siue illud nouerit ante confessionem, siue post, iure potest reuelare. Eandem sententiam sequitur Nauarrus in Manuali cap. 8. num. 15. Ioannes Medina codice de

o +

Con-

Prima conclusio. cap. nullus Episcop. cap. Testimonium. Farinac. Rodriq.

Secunda conclusio.

Farinacius Rodriq.

cap. Quæquam.

Secundum caput de sigillo confessionis.

S. Thom.

Sotus.

Nauarrus. Io. Medina.

Confessione tract. 2. quæst. 50. declarat, & egregie tuetur sententiam D. Thom. Eandem sequitur Petrus Ledesma in prima parte summæ cap. 22. de Sacramento pœnitentiæ; Valentia tomo 4. disput. 7. qu. 13. de sigillo confessionis puncto 4. afferens rationes D. Thom. & Soti; Vasquez tomo 4. in 3. p. D. Thom. qu. 93. art. 4. dub. 7. sententiam hanc latius explicat, & tuetur; Suarez tom. 4. disp. 33. sect. 3. §. *Dubitari tamen solet*. Estius in 4. sent. dist. 17. §. 14. Quam etiam prius docuerant Alensis 4. p. summæ qu. 19. membr. 2. art. 2. §. 2. S. Bonavent. in 4. sent. dist. 21. 2. parte art. 2. quæst. 3. Paludanus eadem dist. qu. 3. art. 3. coticl. 3. num. 59. Maior qu. 3. §. *Quinto arguitur*; Adrianus qu. ult. de Confess. §. *ex dicto emergit*, & seq. Quæ tamen sententia limitanda est secundum Doctrinam S. Thom. Soti, Navarri, Medinæ, Valentiz, Vasquezij, & aliorum: Primò, vt confessarius celet id, quod scit vt Deus in confessione; Non enim (inquit S. Thom.) dicere potest; ego hoc audiui in confessione, & eadem ratione dicere, seu narrare non potest res certius, vel cum alijs circumstantijs, quam extra confessionem cognouerit; sic enim vteretur scientia confessionis, vt bene aduertunt Soto, Maior, Nauarrus, Vasquez, & alij recentiores. Secundò vt confessarius ad euitand. scandalum, de hoc non loquatur, nisi necessitas immineat, vt ait S. Thom. & alij: Tertiò vt non teneatur ad celandum id, quod audiuit ex secreto naturali, vt Vasquez aduertit: Quartò vt ad euitandum scâdalu[m] dicat, & causam, & modum scientiæ; puta quia vidit delictum committi, vel quia audiuit extra confessionem tali tempore, & loco, vt aduertit Medina loco citato.

Ex prædictis ad quæ situm respondeo, & dico primò Seium secundum rigorem Iuris posse de licentia sui superioris Ecclesiastici, siue ille sit ordinarius, siue delegatus ad iudicium vocari, & vt testis examinari. Quia cum duplicem habeat delicti cognitionem, alteram in Sacramento confessionis, alteram extra, potest iuxta prædicta, omisso prioris vsu, iuxta posteriorem respondere, adhibitis cautelis super notatis.

Secundò dico, Seium renitentem posse ab eodem suo superio-

Ledesma.

Valentia.

Vasquez.

Suarez.

Estius.

Alensis.

S. Bonaventura.

Paludanus.

Maior.

Adrianus.

Limitatio.

Soto.

Maior.

Nauarrus.

Vasquez.

Medina.

1. Concl.

2. Concl.

periori secundum rigorem iustitiæ compelli ad testificandum, si causa non sit de vita, aut sanguine Sempronij, aut complicitis eius.

Dico tertiò, Seium non satis prudenter egisse in vsu licentiæ sibi datæ à pœnitente, & potuisse apud Titium procurare delicti remissionem absq; reuelatione personæ; atq; ideo videri ipsum teneri iure secreti naturalis ad celandum id, quod extra confessionem audiuit ex ore Sempronij: Ac proinde etiam Superiorem Ecclesiasticum pie, ac prudenter acturum, si non permittat Seium in hac causa vt testem examinari; cum præsertim videatur, si non quo ad Sempronium, saltem quo ad complicem esse causa sanguinis.

Ex quibus patet ea non obstare, quæ in quadam scriptura mihi porrecta pro contraria parte producuntur. Quorū primum est, confessarium non posse extra confessionem vti scientia confessionis, quoties periculum imminet reuelationis directæ, vel indirectæ alicuius peccati in confessione auditi.

Secundum est, nulla ratione, neque vlllo fine, etiam propter bonum commune licitum esse confessionem reuelare.

Tertium. Neq; id fieri posse de licentia pœnitentis nisi ex iusta causa, quæ honori, & vtilitati conducat ipsius pœnitentis.

Quartum. Quod etiam ille, cui reuelatur, tenetur eodem sigillo.

Quintum. Quando confessarius est in dubio, num aliquid cognouerit per confessionem, nec ne teneri ad sigillum.

Ultimum. Si crimen, vel inditia in confessione tantum cognita manifestarentur à confessario, non posse tunc iudicem ad puniendum procedere.

Quæ omnia verissima sunt, sed prædictam nostram decisionem non infringunt, aut illi, vel ex minima parte sunt aduersa; procedunt. n. in casu, in quo agitur de sola reuelatione facta, aut fienda per confessarium de licentia pœnitentis; non autem, quando agitur de reuelatione facta ab ipso

3. Concl.

Obiecta diluuntur.

218 RESPONSIONES AD QVAESITA
ipso poenitente extra confessionem praesente confessario, ut
in casu nostro.

Hac requisitus respondi saluo, &c.
Fr. Ioannes Paulus Nazarius à Cremona Sa-
cræ Theologiae Doctor Collegiatus.

DECIMVS CASVS.

Quidam Sacellanus Ecclesiae Collegiatae N. contume-
liam passus ab alio confacellano existente in dicta
Ecclesia cum indumento, quod superpelliceum ap-
pellant, in vindictam statim eum percussit duobus praesen-
tibus; propter quam percussione incurrat excommuni-
cationem canonis *si quis suadente*. Queritur an hæc percus-
sio sit enormis, ac proinde Summo Pontifici reservata.

Dico primò iudicium percussione, an sit enormis, aut
leuis, aut mediocris, ac per consequens, an percussor ab-
soluti possit ab Episcopo à censura, pertinere ad Episco-
pum; ut patet ex extrauaganti *Perlectis*. Addit Nauarrus
cap. 27. nu. 92. de hoc etiam arbitrari posse confessarium.

Cap. Per-
lectis.
Nauarrus.

Lapus.
Nauarrus.

Suarez.

Secundò dico satis probabile esse, percussione prædi-
ctam non esse enormem: quod deduci potest ex casu magis
culpabili de Capellano Ecclesiae Aretinae; qui Canonico
eiusdem Ecclesiae intra Ecclesiam colaphum impexit: quam
percussione Lapus in alleg. 76. censuit non esse enormem,
sed leuem: quam sententiam approbat Nauarrus loco no-
tato, & Sayrus de censuris libro 3. cap. 28. affirmat esse
probabilem: in eandem sententiam inclinat Suarez tomo
5. disp. 22. nu. 88. dicens, si monachus percutiat abbatem,
non tamen suum superiorem, non statim esse percussione
enormem iudicandam ex dignitate personæ; quia dignitas
Abbatis nudè considerata non est tanta, ut sufficiat ad
enormitatem delicti ex dignitate personæ: His adde per-
cussione supradicti Sacellani non videri factam cum ma-
gno scandalo, nec facta est ad praesentiam multorum, nec
sine causa; cum facta fuerit coram duobus tantum, & ob
illa-

CASVVM CONSCIENTIAE. 219

illam iniuriam, & inter pares. Nec obstat, quod facta
fuerit in Ecclesia: quoniam, ut bene aduertit Nauarrus
loco allegato, maximè considerandum est, an percussio
fit in se notabilis, & an genuerit aliquod magnum scanda-
lum: Nec etiam obstat, quod percussus habuerit superpel-
liceum; quoniam hæc non est proprie sacra vestis.

Postremò dico iuxta regulam communem secundum
hanc opinionem posse cura conscientia iudicari prædictam
percussione non esse enormem, sed leuem, aut mediocrem,
atque ideo posse ab Episcopo percussorem absolui.

Ita censeo, saluo &c.
Fr. Ioannes Paulus Nazarius à Cremona Sa-
cræ Theologiae Doctor Collegiatus.



OPUSCULUM

SEPTIMUM.

Controversia Metaphysicales Adm. Reuer. Patris Magistri Fratris Ioannis Pauli Nazarij Ordinis Pradicatorum.

PRIMA CONTROVERSA,

De subiecto Methaphysica,

An scilicet ens, quatenus ens communissimè sumptum, sit adequatum subiectum Methaphysice.

SENTENTIAE DOCTORVM.

Albertus.

Suarez. Auerroes.



PRIMA Sententia est, Deum esse subiectum in Methaphysica. Hanc refert Albertus Magnus in sua Methaphysica ex Alpharabio in libro de diuisione scientiarum, & ait Suarez eam Auerrois tribui posse, qui contra Auicenam dicentem ad primum philosophum pertinere demonstrare primum principium esse, dicit nullam scientiam demonstrare suum subiectum esse; Deus autem (inquit Auerroes) seu primum principium est obiectum totius philosophiae.

Secunda sententia est, substantiam separaram communiter, siue absolute sumptam pro vt extenditur ad primam increatam, quae Deus est, & ad ceteras omnes creatas, de quibus agit Aristoteles in 12. Methaphysices, esse subiectum proprium, & adequatum primae philosophiae. Sententiam hanc quidam attribuunt Auerrois praedicto, eo quod in 1. physicorum textu ultimo dicat intelligentias per se pertinere ad obiectum Methaph. & aduersus Auicenam

ita distrahatur. Qui dicit, quod prima philosophia dicitur probandi se non demonstrari, nisi in scientia naturali: Haec enim certia sunt subiectum primae philosophiae, & impossibile est aliquam scientiam demonstrare suum subiectum esse, sed concedit ipsum esse, quia est manifestum per se, aut quia probatum est in alta scientia. Haec ille. Verum, vt bene aduertit lauellus in sua prima quzitione Methaphysica, falso tribuitur haec opinio Commentatori: Nam in 3. Methaph. tex. 64. & in 4. tex. 1. & in 12. tex. 1. cum Alexandro dicit Methaphysicam esse de ente, in quantum ens, & de ijs, quae consequuntur ens: Quomodo autem intelligenda sint verba eiusdem Commentatoris supra notata, dicemus inferius: Ex dictis sequitur Auerroem multo minus existimasse Deum esse subiectum in prima Philosophia, vt ex dicendis apparebit.

Tercia sententia est, substantiam in communi, id est vt abstrahit a materiali, & immateriali a creata, & increata, esse subiectum in Methaphysica; huius opinionis primus author asseritur fuisse Buridanus.

Quarta sententia est, subiectum huius scientiae esse ens, quod diuiditur in decem predicamenta. Hanc tueretur Fladrensis in primum Methaph. quzitione prima, articulo 8.

Quinta sententia est Francisci Arauxij in prohemium Methaph. quzitione 1. art. 1. vbi tria dicit; primum est: ens, quod est obiectum specificatum Methaph. non ambit entia realia, & rationis. Secundum est: Probabile est obiectum Methaph. esse ens, quod complectitur creatum, & increatum. Tertium est: stando in doctrina D. Thomae, probabilius est ens creatum solum, in tota sua latitudine esse obiectum huius scientiae, increatum verò ad obiectum illius communissimum pertinere.

Sexta opinio est, ens in tota sua latitudine pro vt .s. tam ad entia realia, quam ad entia rationis extenditur, esse obiectum primae Philosophiae specificatum. Hanc secuti sunt Aquarius dilucidatione prima suae Methaphysicae, articulo primo, & Zumellus disputatione tertia de auxilijs.

Septima opinio est, ens abstractissimè sumptum, pro vt scili-

Auerroes.

lauellus.

Buridanus.

Fladrensis.

Arauxius.

Aquarius.

Zumellus.

Buridanus.

Fladrensis.

Arauxius.

Aquarius.

Zumellus.

Aquarius.

Zumellus.

Fonseca.
Hurtadus.

scilicet exēditur ad vniuersa etia realia tam per se, quam per accidens, & ad entia rationis, esse obiectum Methaphysicæ; hanc sequuntur, & docent quidam recentiores, & Fonseca tuctur eam vt probabilem libro 4. quæstione prima. Eandem sequitur Hurtadus disp. 1. Metaphys. sect. 1. Vltima sententia est, ens reale per se commune Deo, & creaturis, siue enti finito, & infinito esse subiectum in prima Philosophia. Hæc videtur esse magis communis, & ascribitur Auerroi, Algazeli, Auicenzæ, Alberto Magoo, S. Thomæ, Alexandro Aphrodisæo, Aegidio, Scoto, Soncinati, quos sequuntur alij recēiores scilicet Iauellus, Fonseca, Suarez, & alij.

Auert.
Alagazel.
Auicenna.
Albertus.
S. Thom.
Alexand.
Ægidius.
Scotus.
Soncinaz.
Suarez.

Resolutio.

Distinguitur multiplex huius vocis subiectum scientiæ significatio.

S. Thom.
Albertus.
Flandrens.
Scotus.
1. Significatio.

Distingueda est primò huius vocis subiectum scientiæ apud Philosophos, & Theologos significatio. Nam S. Doctor, & Albertus, ac post eos Flandrensis in sua Methaphysica quæstione prima, articulo 6, Et Soto quæstione quinta prohemiali suæ Logicæ, & alij recentiores, triplex cuilibet scientiæ subiectum assignant. Primum est communissimum; quod ad ea omnia ambitu suæ vniuersalitatis extenditur, de quibus agitur in sciētia; siue sine partes, quas subiectiuas appellant, de quibus in recto prædicatur obiectum, siue sint causæ, vel effectus, aut alia quomodolibet ad obiectum scientiæ attributionem habentia, atq; ideo ad eiusdem scientiæ considerationem pertinentia. Secundū est subiectū commune; quod quidā dicūt subiectum attributionis, seu adæquationis, aut specificationis; quia nimirum cætera omnia, que tractantur in scientia, attributionem habent ad ipsum, & adæquatur scientiæ, quæ etiam per illud definitur, & specificatur, & à qualibet alia distinguitur. Tertium est subiectum speciale, seu principalitatis, quod recentiores appellant subiectum dignitatis; quia scilicet pars est inter omnes, communis subiecti par-

2. Significatio.

3. Significatio.

partes dignissima, cuius cognitio præ cæteris omnibus est intenta, & à quibusdam appellatur subiectū attributionis. Quibus acceptionum, siue significationum modis alij plures ad varia Philosophi dicta, & diuersas expositionum eius sententias aliqua ratione conciliandas adiungi possunt, distinguendo subiectum commune cum quibusdam recentioribus in quatuor membra; quorum primum sit id, quod dictum est, scilicet subiectum attributionis, seu adæquationis, aut specificationis. Secundum sit subiectum commune, cuius nulla pars ab alia scientia consideretur. Tertium sit subiectum cōmune, ratione cuius alia in scientia considerata sub adæquato subiecto continentur. Quartum sit cōmune subiectum illud, de quo per veras causas, & principia subiecti, reales, ac veræ passionis in scientia demonstrantur; quæ singula perspicua fient ex ijs, quæ dicentur inferius.

Alij acceptiones.

Assignantur, & explicantur tres conditiones necessariae ad cognoscendum subiectum commune scientiæ.

Secundò, assignandæ sunt conditiones, quibus commune subiectum, quod dicitur adæquatum, & à quo scientia specificatur, & à qualibet alia distinguitur, innotescat. Tres verò sunt secundum D. Thomam in primo sentent. dist. 1. quæst. 1. art. 4. Subiectum enim (inquit) habet ad scientiam ad minus tres comparationes. Nam primò quæcumq; sunt in scientia, debent contineri sub subiecto; Secundò, cognitio subiecti principaliter attenditur in scientia; Tertio, per subiectum distinguitur scientia ab omnibus alijs, eo quod scientiæ diuidantur, quemadmodum & res, vt dicitur in 3. de Anima. Potest autem prima conditio tripliciter explicari secundum Cajetanum in prima par. quæst. 1. art. 7. Primò, vt omnia, de quibus agitur in scientia, dicantur sub eius subiecto contineri; quia ratio formalis obiecti scientiæ est etiam ratio, quod alia omnia considerentur in scientia, quæ est expressa declaratio S. Doctoris ibidem, vbi assumit illam propositionem: Sic se habet subiectum ad scientiam, sicut obiectum ad poten-

S. Thom.

Prima conditio.

potentiam, vel habitum &c. vide ibi. Secundò potest intelligi de continentia subiecti ratione prædicationis eius formalis de omnibus in scientia consideratis; quo sensu Caietanus existimat dictam conditionem in primo sent. à D. Thoma fuisse propositam, & ait eam esse verã secundum communiter accidentia, & non necessariò; quia videmus in subiectis, quæ communiter scientijs Doctores assignant, conditionem illam sic intellectam inueniri; non tamen (inquit) oportet, ut patet quarto metaph. in scientia de sano. Tertio, potest exponi dicta conditio de continentia subiecti secundum prædicationem non in recto, sed in recto, vel in obliquo; sicut Deus, quod est subiectum Theologiz, de omnibus Theologicalibus prædicatur, quia sunt Deus, aut Dei, aut ad Deum, aut à Deo; prima tamen expositio duabus his posterioribus antefertur à Caietano, eo quod magis consonet litteræ S. Doctoris in artic. illo 7. supra notato.

Secunda conclusio.

Secunda verò conditio, scilicet, quòd subiecti cognitio principaliter attendatur, seu intendatur in scientia, sic accipienda est, ut intelligamus noticiam vniuersorum, de quibus agitur in scientia, ad perfectam subiecti, & partium eius cognitionem ordinari, ita ut cognitio tam principiorum, vel causarum, quam passionum ad perfectam dirigatur subiecti cognitionem.

Tertia conclusio.

Tertia demum conditio intelligenda est de subiecto secundum rationem suam formalem, illi convenientem, non ut res est, sed ut scibile est, ut late declarauimus in nostra Commentarijs ad primam partem D. Thomæ q. 1. art. 3.

Planstrenf. ponit 14. 7. conditiones

Nec obstat, quòd Flandrensis in allegata questione 1. art. 7. quatuordecim enumerat condiciones ad quodlibet obiectum scientiz requisitas; nam hic agimus de solis illis conditionibus, quæ necessarie sunt, & sufficientes ad cognoscendum cuiuslibet scientiz subiectum; Flandrensis autem eas omnes recenset, quæ necessariò concurrunt ad constituendum alicuius scientiz subiectum; quæ tamen omnes, aut includuntur formaliter, vel virtualiter in tribus prædictis, aut illis præsupponuntur, vel ad eas necessariò consequuntur, vel in ipso nomine, & ratione scientiz intelliguntur; sunt autem istæ: Prima, quòd subiectum sit ens, quia

quia de non ente non est scientia. Secunda, quòd sit ens reale, vel habeat fundamentum in ente reali, ut ens rationis, quod est obiectum Logicæ; quæ duæ condiciones sunt ex ijs, quæ præsupponuntur, vel implicite saltem intelliguntur in re proposita, vbi sermo est de obiecto scientiz, quæ semper est de ente; & si quidem est scientia realis, necessariò est de ente reali; si verò sit rationis, erit de ente rationis, cuius fundamentum necessariò est ens reale. Tertia est, quòd sit intelligibile. Quarta, quòd sit vniuersale, quæ duæ dantur intelligi ex ipsa ratione scientiz, quæ est habitus intellectualis, ac proinde de solis entibus est, quatenus intelligibilia, & vniuersalia sunt. Quinta est, ut sit vnum vniuersale, aut analogicè; quoniam de æquiuocis, ut talia sunt, non potest esse scientia; hæc etiam clauditur in ipsa ratione scientiz, quæ formaliter vna est, & ideo formalem subiecti præexigit vnitatem. Sexta conditio est, ut subiectum sit diffinibile eo modo, quo vnum est, quia diffinitio subiecti medium est in demonstratione, qua passio demonstratur de subiecto. Hæc manifestè sequitur ex precedente, & intelligitur in ipso nomine, & ratione scientiz, quæ est habitus per demonstrationem acquisitus, cuius demonstrationis (intellige de illa, quæ est à priori, & potissima) medium est diffinitio subiecti. Septima est, quòd subiectum sit inuariabile, & per se, quia de casualibus, & fortuitis, ut talia sunt, non est scientia; hæc etiam, ut patet, includitur in ratione scientiz, quæ est de necessarijs, & sempiternis, & de ijs, quæ sunt per se, alioquin scientia non est. Octava est, quòd habeat passiones distinctas ab eo saltem secundum rationem. Hæc etiam intelligitur in ipsa ratione scientiz, quæ est de conclusione, in qua prædicatur passio de subiecto. Nona est, quòd subiectum sit causa inuariabilis, quia de contingentibus non est scientia; hæc eadè ferè est cum septima, cum hæc inuariabilitas pendeat ex ea, quæ conuenit subiecto secundum se. Decima est, quòd subiectum sit primò notum in scientia saltem confuse; hæc etiam intelligitur in nomine, & ratione scientiz, quæ sit ex præexistente cognitione, &c. Et eadem ratione intelligitur quarta, quòd scilicet de subiecto præsupponatur quia est,

p

& quid

& quid est. Tres autem alie, scilicet, vndecima, duodecima, & decimatertia coincidunt cū assignatis à D. Thoma.

Regula optima ad cognoscendum proprium, & adequatum subiectum in qualibet scientia.

Regula
Caietani.

Tertio, notanda est optima regula ad cognoscendum proprium, & adequatum cuiuslibet scientie subiectum, quam statuit Caietanus in questione de subiecto Philosophie naturalis, dicens: *Quando aliqua proprietas vniuersalis secundum predicationem, habet subiectum adequatum secundum predicationem, in quo reperitur causa, secundum quam inest quibuscumque proprietates, illud tale est eius subiectum secundum quod ipsum; nec est requirendum pro primo subiecto illius, illud, ad quod per viam resolutionis proprietates illa, & eius principia reducuntur; alioquin perires doctrina tradita in libris post. cap. de vniuersali. vbi docemur ibi sistere, quando adequatum subiectum secundum predicationem inuenimus, & causam in eo, per quam sibi, ceterisque ista passio inest; nulla etiam posset poni proprietas alicui analogo ad substantias, & accidentia, cum accidentia eorum proprietates, & principia in substantijs virtualiter includantur. Hec ibi Caietanus.*

Regula
Suarezij.

Quarto, proponenda, & examinanda est alia regula precedentis quodammodo limitatiua, quam statuit Suarez in sua Metaphysica disput. 1. sect. 1. num. 5. dicens: *Necesse non esse omnia, quae aliquo modo considerantur in scientia, directe contineri sub adequato eius obiecto. Nam multa (inquit) considerantur obiter per quandam Analogiam, seu reductionem, vel ut eorum cognitione obiectum ipsum magis illustratur, vel quia cognito obiecto, per Analogiam ad illud cetera cognoscuntur, & fortasse aliter cognosci non possunt. Item proprietates subiecti, quae de ipso demonstrantur, non est necesse contineri sub ipso obiecto saltem secundum omnia, quae includunt. Hec ille. Ex quibus deducit entia rationis merito excludi ab obiecto Metaphysicae per se, & directe intento, quamuis in ea scientia multa de entibus rationis considerentur; quoniam (inquit) non per se, sed propter quandam proportionalitatem,*

rem, quam habent cum entibus realibus, ut ab eis distinguantur, & ut melius, & clarius concipiatur, quid habeat in entibus entitatem, & realitatem; quid verò non habeat nisi solam speciem eius, magisque considerantur entia rationis, ut cognoscantur non esse entia, quam, ut eorum scientia, vel cognitio queratur. Deinde considerantur ad declarandas proprietates entis realis, & obiecti huius scientiae, quae à nobis non satis concipiuntur, & explicantur, nisi per huiusmodi entia rationis. Praeterea sepe tractatur de his entibus ratione alicuius realis fundamenti, quod habent in rebus, vel certe, quia fundamentum ipsum non potest satis cognosci, neque eius realitas à nobis declarari, nisi prius explicemus; quae nam denominationes rationis ibi misceantur. Hec ibi Suarez. Quae facile possent ab ijs in eum retorqueri, qui oppositam tuerentur opinionem, ut ostendemus inferius.

Impugnatur regula Suarezij, & ut falsa reijcitur, & ostenditur entia rationis sub obiecto Metaphysica contineri.

Obstat autem primò praedictae regulae prima subiecti conditio ex D. Thomae doctrina superius assignata, & ex Caietano declarata. Nam sub ente, quatenus ens est formaliter, continentur non solum ens creatum, & increatum, sed etiam entia rationis, cum ens ad haec omnia sit analogum vtraque analogia, scilicet proportionalitatis, & attributionis, atque ideo sub nomine entis tam realis, quam rationis entia comprehendantur, ac proinde ens non solum in obliquo, sed etiam in recto de entibus rationis praedicetur; quod autem sub ente, prout est analogum analogia attributionis, contineantur etiam entia rationis, patet ex Aristotele in 4. Metaph. tex. 2. vbi entis praedicationem secundum dictum modum analogiae usque ad negationes substantiae, & accidentis extendit, rationem adiungens: *quia non ens esse non ens dicimus, quod (inquit ibi S. Doctor) non discretur, nisi negationi aliquo modo esse competet:*

Aristot.

reret. quod autem esse cōgruat negationi, declarat subdena-
negationem, & priuationem esse in ratione tantū, quia
ratio de eis negotiatur, vt de quibusdam entibus, dum in
eis affirmat, vel negat aliquid; entitas igitur formaliter,
quamuis imperfectissimè conuenit negationibus, & priua-
tionibus, quatenus à nobis intelliguntur ad modum entium,
ac proinde, vt entia rationis sunt. Si verò negationes, &
priuationes ob dictum essendi modum, formaliter entia
dici possunt, eadem, & potiori etiam ratione formaliter en-
tia dicentur intentiones secundæ, quæ relationes formali-
ter sunt, vt genus, species, &c. quæ solūm habent esse obie-
ctiuum in intellectu, ex cuius operatione consequuntur; in
re tamen habentes fundamentum. Cum autem formalis
hæc prædicatio non sit vniuoca, neque purè æquiuoca, neque
secundū analogiam attributionis, sequitur eam esse se-
cundū analogiam proportionalitatis; vt etiam consistetur
Suarez loco supra notato, dicens, entia rationis à Metaphy-
sico considerari propter quandam proportionalitatem,
quam habent cum entibus realibus. Igitur iuxta prædicta
de prima subiecti conditione, quæ etiam Suarez admittit
authoritate Philosophi superius explicata conuictus, asse-
rendum est entia rationis sub adæquato Metaphysicæ sub-
iecto contineri. Hos ipso namque, quod entia rationis per
analogicam habitudinem reducuntur ad ens reale, & non
nisi per illud cognosci possunt sub ente, quatenus ens est
reduplicatiuè, continentur.

Deinde cum entium rationis, quatenus entia sunt, consi-
deratio ad aliquam scientiam pertineat, non nisi ad Meta-
physicam, cuius latissimum est subiectum, spectare poterit
eorum cognitio. Logicus enim neque rationem conside-
rat entitatis formaliter, aut eius passionem, quæ rationis
etiam entibus sunt communes; neque eorundem entium
naturam, seu quidditatem, prout ab ente reali distinguun-
tur, explicat, aut inquit, nisi habitu indurus metaphysico.
Vnde recentiores, præsertim Hispani, plurimas in Logica
non solūm circa entia rationis, sed etiam circa entia realia
versant difficultates, & controuersias: adeo, vt vna ex dua-
bus scientijs, veluti partibus ad inuicem commistis vi-

deatur ab eis fuisse conflata.

Postremò non est necesse vniuersa, de quibus agit aliqua
scientia, sub eius subiecto æquè principaliter contineri, vt
patet ex analogica latitudine, seu communitate subiecti in
qualibet scientia, specialiter autem in Metaphysica, vt ex
Aristotele, D. Thoma, & Caietano ostensum est; igitur ra-
tiones illæ, quas affert Suarez ex analogica entium rationis
attributione, seu reductione ad ens reale, & ex proportio-
nali similitudine, & ex necessitate cognitionis, aduersus eū
manifestè pugnant, & sententiam eius efficaciter infrin-
gunt. Constat enim sub quolibet adæquato scientiæ sub-
iecto plurima magnam graduum inter se latitudinem ha-
bentia contineri, vt patet in Physicis, in quibus communis
subiecti ratio, nempe mobilitas multiplices habet gradus
corporum corruptibilium, & incorruptibilium, quibus va-
rij conueniunt modi mobilitatis, vt patet ex ipsa motuum,
& mutationum diversitate, in ipsis etiam rerum naturalium
principijs analogici quidam gradus apparent, vt Philoso-
phus aduertit in 12. Metaphys. & ipsa etiam generaliter
sumpta, prout significantur nomine materiz, formiz, & pri-
uationis, inter se gradus habent analogiæ attributionis,
quatenus rerum principia sunt; primò namque; & nobilissi-
mo modo ratio principij conuenit formæ; secundò mate-
riz; tertio priuationi.

*Quomodo ens distinguatur in ens per se, & in ens per
accidens, & quot modis dicatur vtrumque.*

Quintò hic breuiter explicanda est illa celebris en-
tis diuisio, in ens per se, & in ens per accidens: Ad
cuius euidenciam scito, tam entis per se, quam en-
tis per accidens duas esse differentias; siue modos. Nam
primò dicitur ens per se in ratione effectus id, quod ex agē-
tis virtute, & intentione producitur; qualia sunt ea omnia,
quæ per causas naturales, non deficientes, aut impediens
generantur, vel per artifices secundum artem operantes
efficiuntur. Per accidens autem illud omne fieri dicitur;

quod præter intentionem agentis naturalis, aut rationalis, effici, vel euenire contingit; quod esse dici consuevit à casu, vel à fortuna.

Secundo modo dicitur aliquod ens per se in ratione entis. Hoc autem illud est, cuius natura vnus tantum est prædicamenti: quod autem ex diuersis constat prædicamentorum naturis, ens per accidens est in ratione entis. Idem autem est ens per se, & ens vnum per se, quod duplex est: Alterum simplex; vt Angelus, Alterum compositum, vt corpus constans ex materia prima, quæ potentia substantialis est, & ex actu, siue forma substantiali huic potentia essentialiter commensurata. Ens verò per accidens dicitur, quod deficit à prædictis duobus modis entis per se; quia nimirum neq; simplex est, neq; ex pura potentia, & actu substantiali compositum est, sed ex pluribus entibus in actu, ad diuersa genera pertinentibus coalescit. Vel dicas cum recentioribus illud verè, ac propriè dici ens per se, quod in sui ratione, siue conceptu ea tantum habet, quæ ad incisionem eius essentiam pertinent: hoc enim solum verè, ac propriè dici potest vnum per se: Hoc autem modo non solum simplicia, vt Deus, & Angelus, sunt entia per se, sed etiam composita ex materia, & forma substantiali, ex natura, & substantia, ex genere, & differentia; quibus etiam annumeranda sunt composita ex partibus integrantes, vt superficies continua, & qualibet substantia corporea homogenea, vel heterogenea, quæ naturaliter, & per se vna est; quod etiam afferendum est de albedine, calore, & similibus qualitatibus continuè per superficiem corporis extensis. Quod igitur nullo dictorum modorum est vnum per se, non erit ens per se, sed per accidens. In quo tamen est magna latitudo. Primus verò gradus est eorum, quæ sola rerum diuersarum in suo genere perfectarum aggregatione confusa sunt vnica, vt acetum, vitrici, vel lapidum. Secundus gradus est eorum, quæ sunt ex rebus integris, & in suo genere perfectis, nulla quidem inter se naturali vnione copulatis, sed ordine aliquo rationis, siue artis humane dispositis, vt multa instrumenta musicalia, putalira, cythara, &c. quibus adde domum, exercitum, Rempublicam.

Modi entis per se non erit ens per se, sed per accidens.

lump

Ciui-

Ciuitatem, familiam, quæ, quoniam secundum ordinis vnitatem assimilatur entibus per se, quandoq; licet abusiue, dicuntur entia per se. Tertius gradus est eorum, quorum partes naturalem habent ordinis vnitatem inter se, vt vniuersum; cuius intrinseca perfectio est rerum ordo naturalis, & examen apum, aut congregatio formicarum, & aliorum quorundam animalium, quæ solo, ac mero instinctu naturali simul adunantur, & mirabili ordine ducente natura gubernantur. Quartus, & vltimus gradus entium per accidens est compositorum ex substantia, & accidente: in quo multiplices possunt gradus distingui. Primus est substantiæ cum accidente sibi connaturali, siue illud sit proprium, siue commune, separabile, aut inseparabile; secundus est compositus ex substantia, & accidentibus ab extrinseco superinductis; vt aqua calida; Tertius est compositio accidentium diuersorum in eodem subiecto; vt albedinis cum calore. Et ex dictis omnibus gradibus entium compositorum ex substantia, & accidente quædam magis, quàm alia accedunt ad ordinem, & rationem entium per se; adeo vt etiam à quibusdam dicantur entia per se, vt composita ex substantia, & propria passione, aut etiam ex substantia, & accidente inseparabili: Qui tamen dicendi modus, quia proprius non est, haud facile admittendus est.

Sensus quesiti.

EX dictis colligitur sensus quesiti in proposita contro- uersia; Queritur enim: An ens, quatenus ens communissime sumptum, sit adæquatum subiectum Metaphysicæ. Dictio enim illa quatenus dupliciter summi potest: Vno modo reduplicatiue; pro vt scilicet reduplicat rationem formalem termini, cui adiungitur, relinquens eum in amplitudine suæ rationis formalis; vt si dicam: homo, in quantum homo, est intelligens, rationalis, aut visibilis; sic enim sensus hominem ex sua ratione formali, habere, vt sit intelligens, rationalis, & visibilis, vt explicat optime Caietanus in 1. poster. cap. 3. Alio modo dictio illa quatenus sumitur specificatiue, pro vt scilicet specificat, seu

P 4

restrin-

restringit, ac determinat dictionem, cui præponitur, ad aliquam specialem eius rationem formalem: ut si dicam: homo, quatenus est bipes, ambulat, & quatenus capilatus, est crispus; hic sumitur dictio illa, *in quantum ens*, priori modo, scilicet reduplicatiuè, particula verò sequens, scilicet *communissimè sumptum* latissimam significat entis amplitudinem ad omnem entis modum, & rationem extensam, nimirum, ad ens creatum, & increatum, ad ens reale, & ens rationis, ad ens per se, & ad ens per accidens: ut infra declarabitur.

Principia scientiæ multiplicia.

Sextò sciendum est in qualibet scientia duo esse genera principiorum: Quædam enim sunt complexa, & quædam incomplexa. Incomplexa sunt ea omnia, quæ in demonstratione à priori, vel à posteriori sumi possunt ut media ad probandas passionés de subiectis: habet enim hæc rationem principij formalis: aut ex natura rei formaliter, aut virtualiter, ut in demonstratione à priori, vel secundum modum nostrum intelligendi, ut in demonstratione à posteriori, in qua demonstratur causa per effectum; ut colligitur ex D. Thoma 6. Methaph. tex. 1. Rursus principia ex natura rei formaliter in scientia sunt duplicia. Quædam enim sunt extrinseca, quæ scilicet sub adæquato subiecto non continentur, nisi ut per illud ræquam cause per effectus cognoscibilia. Sed illud causant effectiue, aut finaliter; sicut primus motor effectiue motum causat, & ut sic causans consideratur à Physico non autem absolute. Quædam verò sunt intrinseca; & hæc non solum subiecti principia sunt, sed etiam sub eo continentur, ut materia, & forma; quæ entis mobilis principia sunt, & sub eo comprehenduntur modo superius explicato: Quo fit, ut non oporteat ea, quæ principia sunt subiecti in aliqua scientia, eorum omnium esse principia, quæ sub obiecto continentur quocunque modo; alioquin essent principia sui.

D. Thom.

232

*Quomodo ens in quantum ens habeat principia,
& causas.*

Septimò. Aduertendum est: quòd, cum dico *ens in quantum ens* particula illa *in quantum ens* dupliciter summi potest; scilicet reduplicatiuè, & specificatiuè; cum autem queritur, an ens in quantum ens, habeat principia, siue causas, dictio illa *in quantum ens* non sumitur reduplicatiuè; quia sensus quæ fieri esset; an omne ens habeat causam, ac proinde, an sit processus in infinitum in causis; sed sumitur specificatiuè; ita ut specificet rationem entis, & sic sensus, an sit aliqua causa, per quam res habeant rationem entis, siue ut sint entia; sicut assignantur cause, per quas habent, ut sunt alia entia, siue res reales, puta lapis, aut planta, &c. Ens igitur, quod est subiectum in Methaphysica, quatenus ens, causas non habet extrinsecas efficientes, & finales, quæ sub ente minimè sint comprehensæ, quia sic etiam Deus, qui sub ente continetur, ab eisdem causis dependeret. Habet tamen ens, quatenus ens, causas intrinsecas, quæ scilicet sub ente, quod est obiectum adæquatum primæ Philosophiæ, continentur. Hæc verò cause nihil aliud sunt, quàm ipse Deus, quatenus rerum omnium creatorum, in quantum entia sunt specificatiuè, causa est finalis, efficiens, & exemplaris; sic enim causat rerum omnium entitates, quatenus secundum realem, & actualem existentiam, sunt in rerum natura; quamuis nulla sit causa, per quam hoc prædicatum ens subiecto, puta lapidis, conueniat; sicut nulla est causa, per quam substantia de lapide prædicetur; quamuis detur causa productiua substantiæ lapidis secundum actualem eius existentiam.

Octauò notandum est, ens dupliciter summi posse; vno modo, ut à differentiis, & modis ipsum contrahentibus abstractum, eo modo, quo potest Analogum à suis inferioribus abstrahi; & sic abstrahit à vera, & reali causa, & causato, ac proinde nullam habet causam veram, & realem, quæ scilicet realiter sit ab effectu distincta, & realiter

cau-

causet; habet tamen ens sic abstractum causam, id est rationem formalem; quæ locum tenet quidditatis, per quam probari possunt passionis entis vniuersalissimæ, & ab ipso ente sola ratione distinctam; eo ferè modo, quo de Deo per immutabilitatem probamus æternitatem: quem causandi modum explicat optimè Caietanus in 1. poster. cap. 2.

Alio modo sumi potest, pro vt est in suppositis, siue singularibus, & ita semper habet Causam formalem, & in omnibus rebus creatis habet etiam effectiuam, & finalem; Quælibet enim res tam creata, quàm increata suam habet quidditatem; à qua, tamquam principio formali habet, vt sit ens; homo namq; per humanitatem suam habet, vt sit non solum homo, sed etiam animal, substantia, & ens; dicitur autem res quælibet esse ens ex sua quidditate, nõ quomodocunq; sed absolute considerata; non autem pro vt talis, aut talis quidditas est, vt scite Soncinas aduertit lib. 4. Methaph. quæst. 8. Causa verò efficiens, & finalis rerum, quatenus entia sunt, propriè, & formaliter loquendo, solus Deus est: Nam, vt ait S. Thomas prima parte quæst. 45. art. 5. Esse est proprius effectus primæ, & vniuersalissimæ causæ, quæ Deus est, quod dictum ibi latissimè declarauimus, & contra aduersarios Angelicæ doctrinæ defendimus; & ostendimus, in bono, ac vero sensu dici posse ens, in quantum ens reduplicatiuè esse proprium effectum Dei, quod hic repetere non est necesse.

Quomodo Deus consideretur à Metaphysico.

Nono explicandum est, quomodo Deus consideretur à Metaphysico: Cui quæsitio, seu difficultati respondens S. Doctor super Boetium de Trinitate, qu. 5. art. 4. sic loquitur: *Theologia, siue scientia diuina est duplex: Vna, in qua considerantur res Diuinae, non tanquam subiectum scientiæ, sed tanquam principium subiecti; & talis est Theologia, quam Philosophi prosequuntur; quæ alio nomine Metaphysica dicitur. Alia vero, quæ ipsas res Diuinas considerat propter se ipsas vt subiectum scientiæ; & hæc est Theologia, quæ sacra scriptura dicitur. Quibus verbis S. Doctor non negat Deum con-*

tineri

tineri sub obiecto Metaphysices, nec affirmat ab ea considerari tanquam principium extrinsecum entis, de quo tractat prima Philosophia; sed negat Deum à Metaphysico tanquam subiectum considerari, & asserit eiusdem scientifici cognitionem circa Deum versari, quatenus obiecti principium est; iam autem dictum est principium incomplexum obiecti scientiæ duplex esse, quoddam extrinsecum, & quoddam intrinsecum; Illud totius obiecti causa est; hoc verò, quia sub obiecto continetur, non nisi partis eiusdem obiecti principium esse potest; Rursus hæc posteriora principia, quæ secundum se naturæ quædam sunt perfectæ; dupliciter cognosci possunt: Vno modo vt principia sunt: Alio modo quidditatiuè penetrando eorum naturas: Cum igitur Deus, & substantiæ separatae sint naturæ perfectæ, vtroq; dictorum modorum cognosci possunt. In prima verò Philosophia naturaliter acquisita non potest à nobis Deus, neq; substantiæ separatae quidditatiuè cognosci, sed tantum, quatenus principia sunt, & causæ multorum effectuum sensibilium in vniuerso; quia per effectus tantum sensibiles cognoscuntur. Vt enim Soncinas aduertit in 4. Methaph. quæst. 10. ad 1. Omnis ea notitia, quæ habetur de causa per effectum, est notitia causæ, vt est principium, licet non solam rationem principij formaliter cognoscamus, sed alia etiam multa absoluta prædicata ex ratione principij, siue causa deducta cognoscamus: Vt enim significat S. Doctor prima parte quæst. 12. art. 12. & ibidem Caietanus exponit; tria de Deo prædicatorum genera cognoscimus ex creaturis, scilicet causalia, negativa, & supereminentialia. Ad causalitatem pertinent, non solum ea, quæ de Deo dicuntur secundum triplex genus causæ, scilicet exemplaris, efficientis, & finalis, sed etiam absoluta prædicata, quæ ex causalitate inferuntur à posteriori; vt esse, viuere, nosse, &c. & ad hæc reducuntur omnia relativa ad creaturas. Negatiua verò sunt, quæ ex prædictis conditionibus, seu prædicatis inferuntur; vt Deum esse incorporeum, infinitum, & immutabilem; ex eisdem etiam consequuntur supereminentialia; vt Deum esse super omne bonum, super omne verum, super omne intelligibile, & in-

tel-

tellectum, &c. Hæc tamen noticia valde imperfecta est; cum enim non attingat prædicata Dei propria, vt Deus est, non perducit ad cognoscendam in Deo personarum Trinitatem in vna simplicissima essentia subsistentem, nec alia Diuina mysteria nobis à Deo supernaturaliter in Sacra Diuinarum scripturarum Theologia reuelata, vt enim inquit Caietan. prima parte qu. 1. art. 6. ea, quæ naturaliter nobis occulta sunt de Deo, sicut Deo magis propria sunt in cognoscendo, ita & in essendo, atq; ideo scientia de Deo tractans secundum ea, quæ soli Deo sunt nota, est scientia de Deo ex proprijs Dei; ac proinde merito dicitur determinare de Deo; & quia secundum hæc Deo propria habentur prima, & suprema causalitatis Diuinæ fundamenta, ideo S. Doctor ibidem ait Sacram Theologiam determinare proprijsimè de Deo, secundum quod est altissima causa: Et hoc est considerare res Diuinas propter seipsas, & vt subiectum scientiæ, vt ait S. Doctor super Boetio de Trinitate, loco supra notato.

Caietan.

S. Thom.

Cõciliatio sententiarum.

Postremò considerandum est, sententias ferè omnes in principio huius controuersie relatas non nihil habere veritatis; vnam tamen ex eis solam vt veram simpliciter esse probandam; vt ex subiiciendis statim conclusionibus, & earum probationibus apparebit.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

1. Concl.

Aristot. S. Thom.

Prima Conclusio: Deus non est subiectum adæquatum in prima Philosophia. Probatum primò authoritate Aristotelis 4. Metaphys. tex. 1. & 5. & S. Thomæ ibidem, & in proemio metaphys. & super Boetio de Trinitate quæst. 5. artic. 4. & alibi; in quibus locis S. Thomas negat Deum, aut substantias separatas esse subiectum primæ philosophiæ; & cum Aristotele statuit eius subiectum esse ens, in quantum ens.

Caietan.

Flandrens.

Secundò probatur ex conditionibus subiecti à D. Thoma assignatis in primo sent. addita explicatione Caietani supra posita in secundo fundamento. Vide etiam Flandrens. sem in primo Metaphys. quæst. 1. art. 5.

Tercio

Tertiò probatur ex regula eiusdem expositoris. f. Caiet. supra notata in tertio fundamento.

Quartò probatur: quia, si Metaphysicæ Deus esset obiectum, de eo tractaret hæc scientia sub ratione Deitatis, quæ est propria; & adæquata ratio formalis Dei, prout à qualibet re creata distinguitur, & cõsequenter ageret de Deo ex proprijs Dei, ea docendo, quæ soli Deo sunt nota; nobis autem naturaliter sunt occulta, & res Diuinas propter seipsas consideraret: Quæ omnia sacre Theologiæ in scripturis diuinis reuelata propria sunt; adeo vt secundum ea distinguatur à qualibet alia scientia humanitus acquisita.

Secunda Conclusio: Subiectum Metaphysicæ præcipuè ac dignitate præstantissimum inter ea, quæ in hac scientia nobilissima considerantur, est Deus, vt cognoscibilis ex creaturis. Probatum: Quoniam hæc scientia Theologia nuncupatur ob multiplicem cognitionem, quam per hanc scientiam homines de Deo sunt assecuti. Vnde etiam Philosophus in prohemio metaphys. dixit: Scientiam hanc soli Deo ob summam eius dignitatem conuenire, & maximè Diuinam esse, & eam solidè, aut maximè Deum habere, & iuste non humanam eius possessionem existimari. Conclusionem hanc tenet, & multis argumentis probat Hurtadus disput. 1. Metaph. sect. 4. quæ post hæc scripta vidi.

Tertia Conclusio: Subiectum adæquatum Metaphysicæ non est substantia separata absolutè sumpta, prout abstrahit à creata, & increata, & vtrique communis est. Hæc Conclusio est D. Thomæ locis supra notatis in probatione primæ Conclusionis, & sequitur necessariò ex doctrina Aristotelis in 4. metaph. tex. 1. & in 6. tex. 1. 2. 3. & 4. & eandem probant duæ primæ rationes adductæ pro prima Conclusionem. Deinde Aristoteles in 6. metaph. tex. 3. distinguit Metaphysicam ab alijs scientijs realibus, quòd istæ sint circa genus vnum, siue naturam vnam, illa verò sit vniuersalis ad omne genus entis, & ad omnes rerum naturas extensa; igitur ad solas substantias immaterialiter subsistentes non arctatur. Hanc Conclusionem pluribus argumentis probant Flandrens. lib. 1. quæst. 1. art. 6. Fonseca, & Suarez locis supra notatis; sed argumenta, quæ breuiter inui-

2. Cõclus.

Arist.

Hurtadus.

3. Cõclus.

S. Thom.

Aristot.

Flandrens. Fonseca. Suarez.

innuimus sunt omnium optima.

4. Cōclus. **Quarta Conclusio:** Substantia separata sic absolutè sumpta, ut dictum est, dici potest subiectam commune purè metaphysicum, quia scilicet nulla eius subiectiva pars ab alia scientia reali consideratur, quod etiam dici potest subiectum commune principale, à quo sumitur maxima Metaphysicæ dignitas inter omnes scientias, ut patet ex Aristotele in proemio Metaphys. & in sexto tex. 2. lectione D. Thomæ prima.
- Aristot.
D. Thom.
5. Cōclus. **Quinta Conclusio:** Subiectum Metaphysicæ non est substantia, ut substantia est, abstrahens à substantia materiali, & immateriali, à creata, & increata. Hæc probatur eisdem authoritatibus, & rationibus, quibus probata est tertia Conclusio.
6. Cōclus. **Sexta Conclusio:** Substantia, ut substantia sic abstracta dici potest primæ Philosophiæ subiectum commune principale distinctum contra commune secundarium, quod est accidens; quod à Metaphysico non consideratur, nisi ratione substantiæ, seu per ordinem ad substantiam. Hanc Conclusionem satis apertè significat Aristoteles in 7. Metaph. tex. 5. dicens: *Nobis maxime, & primùm, & solùm (ut ita dicam) de ente hoc patet, qui inam sit, speculandum est.* Accidentia namque non alia ratione sunt entia, nisi quia entis, ut ait Philosophus 4. Metaph. cap. 2.
- Aristot.
7. Cōclus. **Septima Conclusio:** Subiectum adæquatum Metaphysicæ non est ens, quod diuiditur in decem prædicamenta. Probatum primò; ex dictis in primo fundamento, & sequentibus, ex quibus patet Deum à Metaphysico considerari, ut causam entis, in quantum ens, nõ extrinsecam, sed intrinsecam, id est sub ente, quatenus ens est, quod est obiectum Metaphysicæ comprehensam; atque ideo considerari à Metaphysico non secundum solam rationem principij, seu causæ, sed secundum alias etiam rationes attributales superius explicatas ex doctrina D. Thomæ, & Caietani. Secundò probatur eisdem authoritatibus, & rationibus, quibus probatæ sunt prima, tertia, & quinta Conclusiones. Potissima ratio est: quoniam, ut ex Aristotele supra dictum est, scientia hæc est vniuersalissima, & cæterarum omnium nobis
- S. Thom.
Caietan.

nobilissima, & maxime diuina; & probat de Deo ea omnia prædicata, quæ naturali rationis lumine ab homine cognosci possunt: hæc autem non sunt ea tantum, quæ causaliter formaliter nuncupantur, sed etiam relatiua ad creaturas, & absolutam tam negatiua, quam affirmatiua, & supereminentialia, quibus Deus à creatura distinguitur, quæ tamen omnia ex causalibus, velut ex principijs primò cognitis deducuntur, ut ante dictum est cum Caietano: igitur Deus secundum prædicta de eo demonstratiue cognoscibilia sub huius scientiæ subiecto, quod est ens, quatenus ens vniuersalissimè sumptum, continetur: & confirmatur; quia scientifica dictorum attributorum cognitio ad nullam aliam scientiam naturaliter acquisibilem potest pertinere.

Confirmatur secundò, quia ratio formalis abstractionis Metaphysicæ, quæ est à materia secundum rationem, & secundum esse, perfectissimo modo positiuo conuenit enti diuino essentialiter, quod Deus est; igitur cognitio Dei secundum dicta prædicata soli conuenit scientiæ Metaphysicæ.

Octaua Conclusio: Ens diuisum in decem prædicamenta dici potest primæ Philosophiæ subiectum, de quo per veras causas, seu principia probantur passionem, siue proprietates. Hæc Conclusio, ut verum fatear, longè satis à loquendi proprietate recedit, distinguendo partem illam subiecti, in qua processus fiunt demonstratiui non per veras causas, seu principia tantum in cognoscendo, & appellando partem illam priorem subiectum scientiæ, quod ex antiquioribus Metaphysicis nullus vnquam asserere ausus est. Eius primus author fuit Petrus Fonseca; quem intentas sententiarum conciliatio satis excusat.

8. Cōclus.
Fonseca.

Nona Conclusio: Ens, in quantum ens commune Deo, & creaturis, enti reali, & rationis, enti per se, & enti per accidens est subiectum adæquatum in Metaphysica.

Tres habet partes hæc Conclusio: & prima quidem satis probata relinquitur ex dictis in sexto fundamento, & alijs sequentibus, & ex ratione, qua probata est Conclusio septima. Secunda verò, & tertia pars, scilicet ens commune enti reali, & enti rationis, enti per se, & enti per accidens, esse subiectum in prima Philosophia. Probatum primò auctori-

9. Cōclus.

D. Thom. thoritare D. Thomæ in 6. Metaphys. lectione 4. particula prima, & quarta, ubi ait Aristot. excludere ens verum, & ens per accidens à principali consideratione: qua loquendi forma significat hæc entia ad secundariam saltem Metaphysicæ considerationem pertinere, nõ autem ab ea simpliciter excludi. Vnde etiam Aristoteles in 5. Metaphys. in cap. de genere, & in fine lib. 6. tractat de ente vero, & falso, & in sexto multa tradit de ente per accidens.

Aristot.

Secundò probatur Cõclusio, quia passiones entis, scilicet vnum, verum, bonum &c. conueniunt etiam entibus rationis, & entibus per accidens.

Tertiò probatur Conclusio, quoniam entia rationis, & entia per accidens cognoscuntur à nobis lumine naturali, & multa de illis demonstratiuè probantur: horum autem cognitio ad solam attinet primam Philosophiam, quæ de communioribus agit.

**Fonseca
responsio.**

Respondet Fonseca, dicens non omnia, quibus quoquomodo conueniunt affectiones entis, & de quibus pleraque demonstrari possunt in Metaphysica, esse collocanda sub Metaphysicæ subiecto, nisi sint realia, & per se; quemadmodum non ideo qualitates ponendæ sunt sub Physicæ subiecto, quia multa de eis in Physica demonstrantur. Sed debuisset hic author ostendere, ad quam aliam scientiam pertineat horum scibilium consideratio. Deinde falsum assumit dicens; qualitates sensibiles non esse ponendas sub physicæ subiecto, quod est ens mobile; sunt. n. partes entis mobilis terminatiuè: vt enim ait Philosophus in 7. Metaphys. non fit æs, non fit sphaera, sed fit ænea sphaera, & similiter quando aqua calefit, non fit aqua, nec fit calor, sed fit aqua calida; hæc enim est terminus quod calefactionis: calor autè est terminus quo, siue formalis: nec obstat, quòd qualitates sensibiles sint passiones demonstrabiles de entibus naturalibus, atq; ideo secundùm hanc rationem non sint cum ente mobili subiectiue computandæ, quia secundùm aliam rationem, quæ dicta est, ad ens mobile pertinent, vt eius partes.

Confutatio.

Aristot.

Quartò probatur Conclusio, quia Dialectica, & Sophistica differunt modo sibi conuenienti de dictis entibus & igitur

igitur etiam Methaphysica de eisdem agit modo suo, hoc est demonstratiuè; cum teste Arist. lib. 4. Methaph. cap. 2. æquè latè pateat obiectum Methaphysici, atq; Dialectici, & Sophistæ.

Arist.

Respondet Fonseca, Methaphysicum quidem agere demonstratiuè de dictis entibus, nõ tamè vt de partibus subiectiuis sui adæquati subiecti: Sed hæc responsio nõ exiguâ implicat absurditatem; destruit enim scientiæ nobilissimæ specificam vnitatem, quæ ab vniçate formali; & specifica sui dependet obiecti; sub ea ratione, qua scibile est, considerati; quod autem sub obiecto materialiter sumpto non continetur, multò minus sub eo comprehenditur formaliter considerato: ad aliud igitur obiectum entia prædicta pertinebunt, ac proinde ad aliam scientiam: & cum à sola Methaphysica possint secundùm vniuersaliores rationes cæteris entibus analogicè communes considerari, consequens fiet Methaphysicam non esse scientiam vnã speciem, sed duplicem, aut etiam triplicem. Igitur asserendum est entia prædicta à Methaphysico sub eadem ratione, & abstractione formali considerari, sub qua cætera entia, de quibus agitur, in prima Philosophia, considerantur; ac proinde ea considerari vt partes entis, in quantum ens, cui per se primò, & adæquatè conuenit abstractio à materia secundùm rationem, & secundùm esse, & per illud singulis eius partibus quouis modo participantibus entitatem.

**Fonseca re-
sponso cõ-
suetæ.**

Quintò probatur conclusio: Quoniam, vt supra dictum est, Arist. in 4. Methaph. tex. 3. analogiam entis extendit ad negationes, priuationes, & non entia. Ergo multò magis sub entis Analogia comprehenduntur entia per accidens, & entia rationis; cum præsertim non entia eatenus numerentur in entibus, quatenus ratione, seu mente apprehenduntur.

Arist.

Respondet Fonseca, Ens in eo textu lacinæ accipi, quàm cum fuit constitutum primæ Philosophiæ subiectum; nec id mirum (inquit) videri debet: quia, cum sanum constituitur subiectum Medicinæ, non sumitur, nisi pro eo, quod propriè sanum est; & tamen, si quis querat, ad quæ se extendat eius nominis analogia, dicendum est, completi etiam

**Fonseca re-
sponso.**

Cōfutio.

etiam id vocabulum ea, quæ per translationem dicuntur, sana; vt sanum iudicium, doctrina sana, & alia pleraque. Sed hæc responsio multipliciter deficit: Primò, quoniam Aristoteles illud idē ens in sua Analogata distinguit, quod in principio declarauerat esse primæ Philosophiæ subiectum, vt scilicet totam subiecti, & scientiæ latitudinē aperiret, nequæ liceret cuiquam nobilissimæ, ac vniuersalissimæ scientiæ cancellos pro sua voluntate præfigere; quod etiam multos contra dictam Philosophi declarationem facere voluisse varietas indicat opinionum supra notata. Secundò, quia, cum Aristoteles locis supra notatis agat de entibus rationis, & de entibus per accidens, sequitur illud absurdū, quod ante diximus, de pluralitate subiecti, & scientiæ. Tertiò, quoniam exemplum de subiecto medicinæ, vt proponitur, non est simile; quia nomen sani secundum propriam, id est, non methaphoricam sui significationem, ad integritatem, seu bonitatem mentis, seu iudicij, & doctrinæ non extenditur; quæ non nisi methaphoricè dicuntur sana; ens autem non methaphoricè dicitur, de negationibus, priuationibus, & non entibus, sed proprie, pro vt scilicet modum quendam induunt entitatis, aut quatenus ad entia positua referuntur. Hanc conclusionem statuit Petrus Hurtadus loco supra notato, & pluribus eam probat argumentis; quæ vide, si lubet.

Hurtadus.

Vlt. Conclusio.

Vltima Conclusio, qua declaratur præcedens: Ens per accidens in ratione effectus; quod scilicet est à casu, vel à fortuna, consideratur à Methaphysico, & à physico; secundum suam rationem communem omnibus similibus entibus, per quam distinguitur, ab ente in ratione effectus per se; quod scilicet ex agentis virtute, & intentione produciuntur; non autem secundum rationes speciales dictorum entium per accidens; multa verò entia per accidens in ratione entis non secundum communes tantum eorum rationes, quibus distinguuntur, ab entibus per se in ratione entis, sed etiam secundum modos eorum minus vniuersales à Methaphysico; & ab alijs etiam scientificis possunt considerari. Hæc Conclusio, quo ad priorem partem patet ex Aristotele in 6. Methaph. & in 2. Physicorum; vbi rationem

Arist.

& naturam explicat dictorum contingentium, quæ ab entibus per se in ratione effectus distinguuntur; de quibus etiam egit S. Thomas prima parte quæst. 115. art. 6. & quæstione 57. art. 3. vbi multa diximus ad dictorum entium rationem pertinentia. Posterior verò pars probatur; quoniam multa entia per accidens in ratione entis ad naturam accedunt entium per se, & quædam ex illis à grauioribus Philosophis inter entia per se collocantur. Secundò probatur hæc pars: Quoniam obiectū cuiuslibet scientiæ subalternatæ naturaliter acquisite est vnū per accidens, & quodlibet practicæ artis obiectū, non nisi per accidens vnum est. Vide quæ diximus de modis necessarijs, & cōringētis in 1. p. qu. 19. art. 8. Contr. 2. & qu. 57. art. 3. in expositione textus.

S. Thom.

Argumenta, & Solutiones.

Contra primam Conclusionem sunt argumenta, quæ afferunt, & solunt Flandr. lib. 1. q. 1. a. 6. Fonseca lib. 4. qu. 1. Suarez disp. 1. sect. 1. Arauxius qu. 1. art. 1. in fine. quæ tamen omnia ex supra notatis facile diluentur.

Flandrens.
Fonseca.
Suarez.
Arauxius.

Contra tertiam Conclusionem sunt argumenta, quæ producant, & solunt, Flandrens in dicto art. 5. Fonseca in allegata quæst. 1. Suarez in prædicta sectione 1. in refutatione quartæ opinionis.

Flandrens.
Fonseca.
Suarez.

Contra quintam Conclusionem sunt argumenta, quæ referunt, & solunt Flandrens in allegata qu. 1. art. 6. Suarez in dicta sect. 1. §. Sexta opinio, & Fonseca in dicta qu. 1.

Contra septimam Conclusionem sunt argumenta, quæ afferunt, & solunt Paulus Soncinas lib. 4. quæst. 10. Iauellus lib. 1. quæst. 1. quæ sunt argumenta Flandrens. Fonseca in suprædicta quæst. 1. & Suarez loco supra notato §. Quinta opinio.

Soncinas.
Iauellus.
Flandrens.
Fonseca.
Suarez.

Contra eandem Conclusionem argumentatur Arauxius, primò Authoritate D. Thomæ super Boetio de Trinitate q. 5. art. 4. quam supra declarauimus in nono fundamento.

Arauxius.

Secundò sic arguit: Quando aliquod obiectum secundum se potest scientiam sub diuersa, & peculiari abstractione, & immaterialitate adæquatè terminare, nequit vt pars al-

Q 2

terius

terius formalis obiecti ab alia scientia secundario considerari; sed Deus potest, & de facto adequatè terminat ultimam omnium scientiarum, Sacram scilicet Theologiam; ergo nequit, neq; decet Deitatem, sub eadem ratione formali; ut obiectum parziale secundario à Methaphysica considerari. Minor probatur; quoniam ideo de genere, & specie non dantur diuersæ scientiæ, quia sub eadem ratione speculabilis generis cadit species, & non sub alia.

Respondetur falsam esse maiorem propositionem; quoniam idem obiectum potest considerari sub diuersa ratione formali, quarum altera sit magis ampla, & altera minus ampla; alioquin Methaphysica non esset scientia vniuersalis; nec posset sub abstractione sua formali ad ea, quæ per alias scientias sub proprijs earum abstractionibus considerantur, extendi; quod aduersatur Philosopho in 6. Methaph. tex. 3. Dico secundò Deum in Methaphysica non secundario, sed principaliter considerari; quatenus scilicet est omnium entium species nobilissima; Nec obstat, quòd sit pars quædam entis; quia supereminenter continet in se totam rationem entis; & ideo verè Deus non est inferior, neq; posterior ente, sed eo superior, & prior ut fons, & causa totius entitatis ab eo distinctæ. Ad probationem maioris dico, non esse eandem rationem de genere, & speciebus sub eo contentis ex vna parte, & de ente, & modis eius ex alia parte; quia species sub communi genere vniuersalem habent unitatem; ideo eundem habent cum eo abstractionis, & immaterialitatis modum; & quia genus (verbi gratia) substantiæ materialis, potest sub duplici abstractione considerari scilicet physica, & Methaphysica, & consequenter ad diuersa scientiarum obiecta formalia pertinere; idcirco species sub eo contentæ simul cum genere, sub eisdem abstractionibus concipiuntur, & ad eadem obiecta formalia simul cum eo pertinebunt: ens autem non est vniuersum ad ea, quæ sub eo per diuersos modos distincta continentur, & ideo potest ens, in quantum ens, sub vna abstractione considerari, & tale ens, puta mobile sub alia, & quantum ut sic sub alia.

Tertiò dico Conclusionem argumenti ex præmissis male deduc-

deductam non esse Conclusioni nostræ contrariam; non enim dicimus Deum in Methaphysica considerari sub eadem ratione formali; sub qua consideratur in Sacra Theologia, scilicet sub ratione Deitatis, & sub lumine diuinæ reuelationis, sed quatenus est naturaliter cognoscibilis ex creaturis; ut supra ostensum est ex D. Thoma, & Caietano.

S. Thom.
Caietano.

Tertiò arguit: Quia transcendens intellectus maior est, quàm transcendens Methaphysicæ; sed intellectui propter suam transcendentiam debetur ens reale in tota sua latitudine; ergo non est in tota sua latitudine obiectum formale Methaphysicæ. Prima propositio probatur; quia Methaphysica est habitus particularis intellectus vniuersalitatem in cognoscendo determinans ad particularem rationem speculabilis; habet enim se respectu intellectus, ut agens particulare respectu agentis vniuersalis; Consequentia probatur; Si Methaphysica extenderet suam considerationem circa omne ens, esset transcendens eadem transcendentia, qua gaudet intellectus; et consequens derogat dignitati intellectus, & nimis amplificat Methaphysicæ perfectionem; ergo.

Respondetur, nullam esse consequentiam (non enim argumentum est in forma) Ad probationem negatur sequela maioris, siue conditionalis assumpta: Quia data Methaphysicæ, & intellectus æquali ad omne genus entis amplitudine, remaneret adhuc intellectus latitudo maior, primò quo ad abstractiones, & modos, seu rationes formales, sub quibus potest eadè entia considerare; Methaphysica namque subiectum suum scilicet ens, in quantum ens sub vno tantum potest abstractionis modo considerare; intellectus autem ad omnes modos extenditur. Secundò maior adhuc esset intellectus amplitudo, quàm Methaphysicæ; quoniam illius cognitio ad singulas rerum species, & earum proprietates extenditur, Methaphysica verò secundum multorum opinionem singularum rerum non attingit quiditates. Tertiò. Intellectus per Dei potentiam, addito lumine supernaturali, potest eleuari ad videndam diuinam essentiam, pro ut in se est, Methaphysica verò talem non admittit eleuationem; alioquin iam non esset Methaphysica, sed Theologia beatorum.

Fonseca.

Contra Nonam Conclusionem arguit Fonseca primò, quia communis omnium opinio est Methaphysicam esse de solo ente per se, & reali.

Respondetur, Sententiam illam non esse adeo communem, vt Conclusioni nostræ locus non relinquatur amplissimus in doctrina Aristotelis, & D. Tho. superius explicata, & apud multos recentiores rem hanc subtiliter speculantes.

Secundò, quia subiectum scientiæ non ita fusè assignandum est, vt contineat sub se omnia, quæ in ea quòquo modo considerantur; oportet enim extra relinquere proprias affectiones, quæ de eo demonstrantur.

Respondetur entia rationis, & entia per accidens à Methaphysico considerari vt partes entis subiectiuas, quibus vniuersales conueniunt passionibus entis, non autem vt passionibus entis precisè, licet talia entia sint, vt respectu ceterorum entium rationem quandam præferant passionum.

Tertiò: Quoniam Aristoteles longè alia ratione rejicit initio libri septimi accidentia realia, quàm ad finem sexti entia rationis, & per accidens: Non enim ideo rejicit accidentia, quia de eis non possit haberi scientia, nec quia non habeant existentiam, sed quia sunt entia habitudine ad substantiam, ideo concludit, non quidem rejicienda omnino esse, sed maximè, ac primò, & ferè de sola substantia agendum; at in fine libri sexti, in quo libro ex instituto egerat de ratione formali subiecti Methaph. ea ratione exclusit eas per accidens, quia de eo non potest haberi scientia, ens autem rationis, quia non sit in rebus, sed in mente velut cõiunctio eius, quod prædicatur, cum eo, quod subijcitur, eorumque disiunctio; quas verò, & falsum appellauit.

S. Thom.

Respondetur: Hæc entia rejici quidem ob alias causas à consideratione Methaphysici, quàm ab eadè rejiciantur accidentia, nec tamè illa omnino rejici, sed à principali tantum consideratione, vt ait Sanctus Doctor in 6. Methaph. tex. vltimo; quare falsa est argumenti consequentia; non enim sequitur ex præmissis entia rationis, & entia per accidens secundum modos explicatos in vltima conclusione omnino rejici à Methaphysica consideratione, sed magis secun-

secundariò ad eam pertinere, quàm accidentia. Nec obstat, quòd Methaphysica dicatur, & sit scientia realis; quoniam, vt dicatur, & sit verè scientia realis, satis est, vt præcipuè partes entis, scilicet Deus, & creaturæ, sint reales; sumitur enim ferè sèper à nobiliori parte rei denominatio.

Contra eandem Conclusionem argumentatur Suarez primò: Quoniam ens per accidens in ratione entis est quoddam aggregatum ex multis, nec est vnum, sed multa, nec diffinitionem propriam habere potest, nec passionibus reales, quæ de ipso demonstrantur; ergo sub scientiam non cadit: Si respondeas tale ens considerari, quatenus aliquo modo vnum est, arguit: quia iam non consideratur tale ens, vt omnino per accidens, sed vt aliquo modo comprehensum sub latitudine entis per se.

Suarez.

Respondetur ens per accidens à Methaphysico considerari vt vnum, ad impugnationem huius responsionis, quia scilicet iam non considerabitur vt ens per accidens, respondeo, reduplicationem illam, vt ens per accidens dupliciter summi posse: Vno modo, vt per eam exprimat ratio entis per accidens, quæ multorum entium rationes includit, & secundum hunc modum precisè sumptum, conceditur consequentia, sed licet, in ratione entis per accidens plura sint entia, adhuc tamen poterunt à scientifico considerari sub quadam conditione, vel modo vnitatis ad ens per accidens constituendum minus principaliter requisito, quod est sumere particulam illam *vt ens per accidens* quatenus exprimit non rationem principalem eius constitutiua, sed conditionem, siue modum ad illud constituendum necessariò requisitum: vel dicas per illam reduplicationem exprimi ens per accidens quo ad conditionem, siue modum ad eius constitutionem necessariò concurrentem. Qui est alius modus sumendi ens per accidens.

Alia argumenta, quæ tangit Suarez contra eandem Conclusionem, soluta sunt in quarto fundamento.

Contra eandem Conclusionem argumentatur Arauzius primò: Quia obiectum Methaphysicæ nequit ambitum intellectus excedere: sed obiectum intellectus est ens reale tantum; ergo minor probatur: obiectum intellectus est il-

Arauzius.

Q 4

lud

S. Thom.

Ind ens, cum quo conuertuntur passiones veri, & boni, quia est ens, quod subest rationi veri transcendentalis, sicut obiectum voluntatis est ens, prout subest rationi boni. At verum, & bonum cum solo ente reali conuertuntur; nam enti rationis neque bonitas per se conuenit, sed sub emendicata veritate ab ente reali cognoscitur, & sub emendicata bonitate appetitur, vt docet D. Thomas prima par. quæst. 16. art. 3. ad secundum, & art. 5. ad tertium, & quæst. 5. art. 1. ad tertium.

Respondetur falsam esse minorem. Ad eius probationem negatur minor. Ad eius probationem dico dupliciter intelligi posse veritatem conuenire enti rationis sub emendicata veritate ab ente reali. Vno modo, vt veritas emendicata conueniat enti rationis per solam extrinsecam denominationem, vt videtur author iste significare; & in hoc sensu negatur assumptum. Alio modo potest intelligi dictum assumptum, vt veritas entis rationis sit quidem emendicata, id est deriuata ab ente reali; sed tamen illi intrinsece conueniens, & in hoc sensu verum est assumptum, tam in entibus rationis positius, quam in negatiuis, & priuatiuis, & eadem distinctione vtendum est circa bonitatem, cuiusuis entis rationis emendicatam ab ente reali. Quod autem entia rationis positia, quæ sunt relationes obiectiue tantum existentes in intellectu, sint modo suo intrinsece vera, & bona probatur. Et primo, quod sint vera probatur, quia propositiones Logicales de entibus rationis formate veritati habent ex conceptibus obiectiuis, quorum vnus alteri tribuitur, puta cum dico: genus est secunda intentio, aut genus prædicatur de speciebus, & species de indiuiduis, &c. & rursus veritatem transcendentalem habent entia rationis relatiua, hoc ipso, quod ab intellectu sunt ex natura sua cognoscibilia, prout sunt, & ad eo dependent quasi, vt artificiatæ, & sicut hæc vera dicuntur, & sunt ex ordine ad intellectum artificis, a quo dependent, ita proportionaliter entia rationis dicuntur vera per intellectum, ex cuius operatione dependent, & a quo secundum suum esse obiectiuum intelliguntur, & per cognitionem in eodem esse obiectiuo conseruantur. Secundo probatur, quod eadem

dem entia modo suo sint intrinsece bona. Primo, quia verum existens in intellectu est eius perfectio, & bonum: nam intellectus naturaliter inclinatur in omne verum lumie naturali intelligibile tanquam in propriam perfectionem, & bonum, siue illud intelligibile sit ens reale, siue sit ens rationis; alioquin Logici nullam in suis speculationibus circa entia rationis perfectionem acquirerent, & non solum frustra, sed etiam culpabiliter laborarent. Secundo, quia bonum, secundum D. Thomam prima parte quæst. 5. artic. 6. diuiditur in bonum honestum, vtile, & delectabile, certum est autem noticiam entium rationis, de quibus agit Logica, esse vtile, ac necessariam ad aliarum scientiarum cognitionem, & cognoscenti delectabilem; igitur entia rationis suo modo bona sunt: si dicatur cognitionem quidem entium rationis bonam esse, ipsa verò entia rationis nullam in se ipsis habere bonitatem, facile refellitur: quia tota bonitas cognitionis ex obiecti bonitate dependet, & cognitio vnus rei non deseruit ad acquirendam alterius rei cognitionem, nisi ratione obiecti, quod in ordine ad alterum habet rationem cause, vel effectus, aut similis, aut contrarij, &c. ex his enim in libris posteriorum, & in Topicis docet Aristoteles, modum argumentandi, & cognitionem intellectus, & habitum eius amplificandi.

Quomodo verò entia rationis, quæ sunt negationes, & priuationes, intrinsecam habeant veritatem, & bonitatem, haud facile est explicare. Dico tamen cum Aristotele 4. Metaphys. & D. Thomam ibidem, & locis allegatis in Argumento, & de veritate quæst. 1. art. 1. ad 7. alibi negationes, & priuationes habere rationem entis, quatenus eis per intellectum attribuitur esse, vt cum dico: non ens est non ens, vel cæcitas est priuatio, vel denique cum aliquid eis attribuitur: vt enim ait S. Doctor loco allegato de veritate ex

Antenna: Non potest formari enunciatio nisi de ente, quia omne illud de quo propositio formatur, habet esse apprehensum sub intellectu; ex quo patet, quod omne verum est aliquo modo ens. Hæc ibi D. Thomas. Ad cuius euidentiam scito primo negationes, & priuationes rebus ante omne opus intellectus conuenire: nullo enim intellectu considerante homo non est

S. Thom.

Aristot.

Aristot.

Entium rationis veritas, & bonitas intrinseca.

S. Thom.

Aristot.

est lapis, & Sortes est cecus, & nauis caret gubernatore sibi debito; hæc tamen negationes, & priuationes non habent rationem entis rationis, nisi quatenus per intellectum ad modum entis concipiuntur modo iam dicto. In qua conceptione distinguenda sunt ea, quæ se tenent ex parte intellectus ab ijs, quæ se tenent ex parte intelligibilis. Nam ex parte intellectus concurrunt species impressa, & expressa, & intellectio, quæ sunt entia realia; ex parte autem intelligibilis, scilicet negationis, & priuationis concurrunt earum ordo actualis ad esse, siue ipsum esse actuale de eis conceptum, vel illis attributum modo dicto; quod esse non est reale, sed est rationis; ad secundas pertinet intentiones; constituitur autem in eis hoc esse, siue magis ordo ad esse hoc ipso, quod ab intellectu concipiuntur ad modum entis, eo ferè modo, quo respectus Idæales in diuinis idæis constituuntur per actum intellectus Diuini intelligentis essentiam suam comparatiuè, quatenus scilicet est imitabilis à creatura; vt explicat Caietanus ad mentem D. Thomæ 1. par. quæst. 15. art. 2. Hæc igitur entia rationis ex duobus in intellectu secundum esse cognitum constituuntur, quorum alterum se habet, vt materiale, alterum vt formale (exempli gratia) negatio hominis, vel lapidis ab intellectu concepta cum actuali ordine ad esse, qui ordo est ratio rationis ab intellectu concepta de negatione, constituit ens rationis, in quo negatio se habet, vt materiale, ratio autem, vt formale. Concipitur autem negatio cum actuali ordine ad esse hoc ipso, quod consideratur ad modum entis modo supra declarato ex D. Thoma. Ex quibus patet entibus rationis prædictis conuenire veritatem, & bonitatem; eo namq; modo, quo sunt entia, & intelligibilia; sunt etiam vera, vt ait S. Doctor 1. par. quæst. 16. artic. 3. ad secundum; & eadem ratione sunt etiam bona: quia nimirum sunt entia in esse obiectiuo, & in eorum cognitionem secundum talem essendi modum, naturaliter intellectus humanus inclinatur. Hic adde rationes adductas ad probandam cæterorum entium rationis bonitatem.

Secundò arguit Arauzius: Ens rationis nequit subesse eidem rationi formali immaterialitatis, cui subest ens reale, ergo

Caietanus

S. Thom.

Arauzius.

ergo non pertinet ad obiectum Metaphysicum. Antecedens probatur: quia nihil enti reali, & rationis intrinsecè, & vniuoçè potest conuenire; Consequentia verò probatur: quia Metaphysica, cum sit vna scientia specie, solùm ad ea obiecta partialia potest extendi, quæ cadunt sub vna ratione formali immaterialitatis.

Responderetur falsum esse antecedens: ad eius probationem negatur consequentia, quia sufficit communitas analogica, qualis est inter ens reale, & ens rationis. Considerat igitur Metaphysicus ens rationis sub abstractione sua propria, quæ est secundum rationem, & secundum esse, quæ conuenit etiam entibus rationis, quatenus entia sunt, non quidem positivè, sed non repugnanter; sicut etiam conuenit substantijs materialibus, & accidentalibus, vt entia sunt. Bonon. die 10. Febr. anno salutis 1630. ætatis verò meæ 74.

SECUNDA CONTROVERSIA

De distinctione relationis à fundamento.

An scilicet ab eo sit distincta realiter.

SENTENTIAE DOCTORVM.

Prima sententia est afferentium relationem sola ratione distingui à fundamento: hæc est Heruzi primo sent. dist. 30. q. 1. & quodl. 7. q. 15. & quodl. 10. q. 1. & Syluestri in consato q. 28. Pauli Soncinatis lib. 5. Metaph. q. 28. vbi tria dicit. Primum est, circa hanc quæstionem nullibi expressè haberi, quid senserit Philosophus, vel Commentator, aut S. Thomas, & alij Peripatetici. Secundum est sibi magis placere sententiam eorum, qui dicunt relationem non esse realiter distinctam à fundamento, sed ratione tantum, & conceptibiliter, quia in conceptu relationis cadit terminus, qui non cadit in conceptu fundamenti. Tertium est, oppositam opinionem posse sustineri, quam in principali dicto, quod est secundum; sequitur Iauellus in eodem libro 5. quæst. 22. quæ

Heruzus.

Syluester.

Soncinas.

Iauellus.

fuit

Ochamut. fuit sententia Ochami in 1. sen. dist. 30. q. 1. & dist. 31.
Ariminen. q. 2. & Ariminenfis dist. 28. q. 2. Eandem sequitur, & tue-
tur Suarez in sua Metaphys. disp. 47. sect. 2. num. 7. & Hur-
tadus disp. 15. Metaphys.

Secunda sententia huic extremè opposita est relationem
distingui realiter à fundamento, tanquam vnam rem ab
altera re, eo ferè modo, quo qualitas distinguitur à quan-
titate. Hanc tuetur Alexander Aphrodisæus, Capreolus in
Alex. der. primo sent. dist. 30. q. 1. ad argumenta Aureoli, Ochami,
Capreolus & Gregorij contra primam conclusionem. Caietanus pri-
ma parte q. 28. art. 2. Flaadrensis in 5. Meth. q. 18. & 19.
Caietan. Ferrariensis lib. 4. con. gen. cap. 14. parum à medio §. Ad
Flandrenf. secundam dubium, vbi tria dicit; primum est, clarum esse
Ferrariens. nullam relationem immediatè fundatam in substantia crea-
ta esse idem realiter cum substantia. Secundum est dubium
esse in doctrina D. Thomæ, an aliæ relationes, quæ imme-
diatè fundantur in generibus alijs accidentium, sint à suis
fundamentis realiter distinctæ; puta an similitudo distin-
guatur à qualitate realiter, & æqualitas à quantitate, & ita
de alijs. Tertium est sibi videri de mente D. Thomæ, rela-
tionem omnem, etiam in accedente fundatam à suo funda-
mento distingui realiter. Eandem sequitur Alemanus in
Aleman. prima parte suæ summæ quest. 13. art. 5.

Tertia sententia est Zumelli 1. par. q. 28. art. 2. disput. 6.
Zumellus. vbi dicit quinque. Primum est: Valde probabile est, quòd
relationes, quæ fundantur immediatè in substantia, distin-
guantur realiter à substantia, siue à fundamento. Secun-
dum est: Relatio non est aliud ens à fundamento realiter
distinctum, & illi superadditum; quin potius in ratione
entis identificantur, & sunt vnum, & ita non distinguuntur
realiter sicut res à re. Tertium est: Dicentes distinctionem
relationis à fundamento non esse distinctionem rerum om-
nino distinctarum materialiter, & entitatiuè, sed esse di-
stinctionem realem formalem, quia relatio realis non est
eiusdem prædicamenti eum suo fundamento, si intelligant,
quòd distinguuntur realiter, absolute loquendo, eorum
sententia non mihi probatur; si autem intelligunt, quòd di-
stinguuntur secundum quidditates eorum, id est formaliter
secun-

secundum essentiam; id quidem verissimum est, & negari
non potest, verum non est de hoc concertatio, sed solum, an
relatio sit nouum ens à fundamento distinctum, & noua res,
sicut Caietanus credidit. Quartum est: Facile concedi-
mus formalitatem, siue realitatem formalem esse ens reale.
Quintum est relationes illæ, quæ immediatè fundantur in
substantia, sunt in prædicamento relationis; nec obstat,
quòd realiter sint substantiales relationes. Nam prædica-
mentum relationis formaliter non dicit inherentiã acci-
dentalem:

Quarta sententia est Scoti in secundo sent. dist. 1. q. 3. &
in tertio dist. 8. q. 1. vbi duo dicit; Primum est, relationes
omniò inseparabiles à suis fundamentis non esse realiter
distinctas ab eis: Secundum est, relationes omnes à suis
fundamentis separabiles ab eis etiã realiter esse distinctas.

Ultima sententia est Dominici Soti in suis Logicis Com-
mentarijs in prædicamento Ad aliquid quest. 2. vbi tria
dicit. Primum est, nullam prorsus relationem esse à funda-
mento realiter distinctam tanquam rem à re nouam; vt
videlicet sicut dux res, sicut ignis, & calor. Secundum est,
relationem formaliter distingui à suo fundamento, atque
adeo à cæteris omnibus prædicamentis tanquam rationem
specialem entis. Tertium est, decem prædicamenta esse
decem entia realia, vt docet Aristot. nec tamen inde sequi
quòd sint decem res realiter distinctæ, sed quòd sint decem
distinctæ rationes entis, seclusa operatione intellectus pri-
mò diuersæ: quia habent distinctas quidditatiuas diffini-
tiones; ratione cuius nullum eorum de alio affirmatur in
sensu formali. Eandem sententiam sequuntur Bannes pri-
ma par. q. 28. art. 2. dubio 2. Fonseca in 5. Metaph. cap. 15. Fonseca.
quest. 2. Sanchez in suis Commentarijs Logicalibus ad
prædicamenta quest. 52. & nouissime Arauxius libro 5. Arauxius.
Meth. quest. 4.

Resolutio.

Supponenda sunt hic multiplices illæ distinctiones mo-
dorum differendi realiter, formaliter, & secundum ra-
tionem,

Distinctionum modi.

Distinctio
rationis
multiplex.

tionem; de quibus egimus 1. par. quæst. 3. art. 3. in expli-
catione textus. §. *Secundo loco*, ubi diximus duplicem esse
posse rerum ab inuicem differentiam, seu distinctionem; al-
teram realem, & alteram rationis, & utramque distinximus
in multa capita; specialiter autem diximus distinctionem
rationis ratiocinatæ duplicem esse: Vnam, quæ habet fun-
damentum in re composita Metaphysicè ex esse, & essen-
tia, & ex genere, & differentia, quod genus distinctionis in-
uenitur in qualibet re creata. Sic enim distinguitur animal,
& rationale, siue animal, & homo, & hæc est ea distinctio,
quam recentiores quidam appellant formalem formaliter,
& formalem realem, siue æqualem, eo quod nullo intellectu
considerante sit in rebus, & videtur eadem esse cum distin-
ctione, quam Scotistæ formalem appellant ex natura rei;
qua dicunt in anima rationali distingui vegetatiuum, sen-
sitiuum, & intellectiuum, & gradus cuiuslibet formæ lati-
tudinem habentis, & unionem formæ substantialis cū ma-
teria ab ipsa forma, & similiter unionem materiæ cum for-
ma ab ipsa materia. Alteram ibi diximus esse distinc-
tionem rationis ratiocinatæ, quæ nullo intellectu consideran-
te virtualiter, seu fundamentaliter tantum est in re. Hæc
verò præcipuè rei conuenit simplicissimæ, scilicet Deo, cu-
ius natura propter infinitam suæ perfectionis eminentiam
habet, ut distinctos possit fundare conceptus vnam, & ean-
dem rem repræsentantes, quatenus eminenter continet di-
uersas creaturarum perfectiones in eis realiter multipli-
catas, & singulis earum conceptibus correspondet.

Nota.

Ex quibus ibi deduximus quasdam partes distinctionis
realis coincidere cum quibusdam partibus distinctionis
secundum rationem ratiocinatam; eo quod distinctio, quæ
est inter includentem aliquid reale intrinsecè, & non in-
cludentem illud reale, coincidit cum distinctione rationis
habente fundamentum in re composita Metaphysicè, in
qua extrema talis distinctionis non sunt in individuo separa-
bilia; ut patet de animali, & rationali in Petro, & de gra-
dibus vegetatiui, & sensitiui in eodem individuo. Eadem
ergo distinctio realis est, attenda realitate rei superadditæ,
puta rationalitatis ad animal; cum tamen non fiat duæ,
sed

sed vna res: & rursus eadem erit distinctio rationis, consi-
derata identitate rei, quæ est rationalitas, cum illa, quæ est
animalitas.

Ex hac doctrina non erit difficile diuersa D. Thomæ di-
cta, quæ videtur opposita, & relatas ferè omnes doctorum
opiniones conciliare, & eos vnus fuisse sententiæ demon-
strare; ut ex dicendis inferius apparebit.

Secundò aduertendum est, quæstionem hic esse de rel-
tione reali prædicamentali secundum integrum, & comple-
tum eius conceptum, pro vt. s. includit ad, & in, & de fun-
damento pariter secundum totalem, & perfectam eius ra-
tionem, pro vt. s. constituitur ex re, cui quasi materialiter,
& radicaliter conuenit esse causam relationis; & ex ratio-
ne, seu conditione, vel magis complemento necessario re-
quisito, ut relatio consurgat; ut patet in hac relatione, quæ
est paternitas; requiritur enim in persona patris potentia
generandi quasi materia, & radix, ex qua causatur relatio;
quæ tamen non est, nec esse potest per se causa sufficiens
relationis, sed necesse est, ut addatur ei, actio generandi
tanquam ratio, & complementum, quo constituitur inte-
gra, & perfecta ratio fundamenti relationis; quamuis in
aliorum relationum fundamentis non sit necesse prædicta
duo reuiter esse distincta; ut patet ex doctrina D. Thomæ
in 5. Methaph. cap. de Ad aliquid; quod etiam aduertunt
recentiores, præsertim Suarez disp. 47. num. 10. & sequen.
Nec obstat, quod actio, puta generatio, sit in passo, atque
ideo non videatur pertinere ad fundamentum relationis,
quæ est paternitas, nisi ut mera conditio, ut arbitratur Sua-
rez; nam, cum in qualibet operatione agentis physici sit
duplex actio; altera physica; quæ est in passo, & altera Me-
thaphysica; quæ est in agente, ut ostendimus prima parte
quæst. 25. art. 1. hæc posterior necessaria est, ut proprium,
ac formale complementum fundamenti relationis; quare
longè melius mihi videntur philosophari, qui ratione fun-
dandi ab ipso fundamento non distinguunt, sed eam acci-
piunt ut eius essenziale complementum.

Tertiò sciendum est, Arist. in 5. Methaph. cap. de Ad a-
liquid tria distinxisse relationum genera. Primum est ea-

Concilia-
tio.

S. Thom.

Suarez.

Relationa
tria gene-
ra.

rum;

rum; quæ fundantur in quantitate, puta numero, vel vaitate. Secundum est earum, quæ fundantur in actione, & passione, vel etiam in potentia actiua, & passiua. Tertium est earum, quæ fundantur in mensurabili, & mensura. Et quoniam in generibus qualitatis, & substantiæ modi quidam reperiuntur quantitatis, puta numeri, vel vnitatis; ideo tam in qualitate, quàm in substantia secundum tales modos multæ primi generis relationes inveniuntur; quas D. Thomas, & eius discipuli dicunt immediatè in dictis generibus esse fundatas: vt patet de relationibus æqualitatis, similitudinis, & identitatis specificæ, vel genericæ; quæ fundantur in vnitatis, & de relationibus dissimilitudinis, diuersitatis, & inæqualitatis; quæ fundantur in pluralitate; dicimus enim vnum album esse simile, aut æquale, vel inæquale alteri, albo secundum albedinem, & similiter vnam substantiam esse alteri similem, aut eandem genere, vel specie, aut æqualem in perfectione substantiali, aut etiam dissimilem seu diuersam, vel inæqualem alteri substantiæ secundum dictam perfectionem, quæ est expressa doctrina

S. Thom.

1.2.2.2

1.2.2.2

Relatione
immediatè
fundari
posse in
substantia.

S. Thom.

Caietan.
Sonicin.
Ferrariens.

S. Thomæ prima parte qu. 28. art. 1. ad 5. & quæst. 42. art. 1. vbi tractat de æqualitate Diuinatum personarum; & in alijs locis, vbi eandem versat difficultatem, & Arist. 5. Methaph. in cap. de Ad aliquid lectione D. Thomæ 17. particula 3. Ex quo sequitur prædictas substantiarum relationes in substantia immediatè fundari, vt etiam affirmat S. D. de potentia qu. 7. art. 9. ad 4. vbi proponit hoc argumentum. *Secundum hoc creatura refertur ad Deum, secundum quod ab ipso procedit; sed creatura procedit à Deo secundum ipsam substantiam; ergo secundum suam substantiam refertur ad Deum, & non secundum aliquam relationem superuenientem.* Cui sic respondet. *Dicendum, quod creatura refertur ad Deum secundum suam substantiam sicut secundum causam relationis; secundum verò relationem ipsam formaliter, sicut aliquid dicitur simile secundum qualitatem causaliter, secundum similitudinem formaliter; ex hoc enim creatura similis denominatur.* Quod etiam significat qu. 3. de potentia art. 3. & est communis sententia Thomistarum; Caietani prima parte quæst. 28. art. 2. Sonicinatis in 5. Methaph. quæst. 31. Ferrariensis 4. con. gen. cap. 14. la

uelli

uelli 5. Methaph. quæst. 22. Zumelli prima parte, quæst. 28. art. 2. disp. 6. Concl. 3. & ante eos Fladrensis in 5. Methaph. quæst. 16. art. 16. vbi eandem veritatem optimè declarati & probat ex dictis D. Thomæ. Quam sententiam sequitur, & tuetur Suarez disp. 47. sect. 7. num. 4. & seqq. & alij fere omnes tam nostrates, quàm extranei, qui doctrinam profitentur Angelici nostri Doctoris.

Quartò obseruandum est, dupliciter intelligi, ac dici posse rem vnā ab altera distingui realiter. Vno modo, quo ad id, quod dicit in re, & intrinsecè: Alio modo, quo ad id, quod connotat in obliquo, vt quid extrinsecum; ad quod tamen essentialiter ordinatur; de quo modo distinctionis nō est quæstio. Rursus priori modo dupliciter, quod ad præsentem atinet difficultatem, res vna potest ab altera distingui. Primò, vt vna res sit ab alia omnino separata; vt Petrus à Paulo, & albedo Petri ab albedine Pauli. Secundò, vt vna res sit in alia tanquam actus in sua potentia, & perfectio in suo perfectibili; & hoc dupliciter; primò, ita vt distinctas habeant materialiter, & formaliter quidditates, & existentias; quo modo distinguuntur realiter, & intrinsecè substantia, & eius accidentia, vt Petrus, & eius quantitas, & similiter quantitas Petri, & albedo in ea recepta. Secundò, vt vna res sit in alia formaliter tantum per modum actus, & perfectionis in sua potentia, seu re potenciali, & perfectibili; sed tamen vna tantum sit materialiter vtriusq; rei quidditas, & existentia; qui distinctionis modus euidentius conuenit ijs, quæ, cum sint materialiter vnum, sic tamen possunt ab inuicem separari; vt posteriori destructo, maneat id, quod prius est; vt patet in gradibus caloris, & albedinis, in quibus, si posteriores esse desinant, ij, qui priores sunt, in suo esse perseverant. Et hoc modo multi recentiores Thomistæ dicunt relationem distingui realiter à fundamento. Est autem hæc distinctio realis formalis, seu realis Methaphysica, vel, vt alij dicunt, ex natura rei; quia nullo intellectu considerante distinguit actū relationem à suo fundamento. Quæ distinctio satis esse videtur ad sustinenda, & concilianda varia D. Thomæ pronuntiata, quæ videntur opposita, & ad tollenda, seu componen-

R

ponen-

Iacobus
Zumellus
Flandrens.

Suarez
Sonicin.

Realis
distinctio
modi.

1.2.2.2

ponenda ferè omnia discipulorum eius dissidia: Ad cuius ampliorem euidentiã, vt appareat mens Angelici nostri Doctoris:

Primò di-
ctum D.
Thom. ex-
plicatum.

Quintò Proponenda, & explicanda sunt quædam dicta eius. Primum est in 5. phys. lect. 3. textu 10. in fine; ubi sic loquitur: *Si aliquis per sui mutationem efficiatur mihi equalis, me non mutato, equalitas prius erat in me quodammodo. scilicet in sua radice, ex qua habet esse reale; ex hoc enim, quod habeo talem quantitatem, competit mihi, quòd sum equalis omnibus alijs, qui talem quantitatem habent; Ergo, cum aliquis de nouo accipit talem quantitatem, radix equalitatis terminatur ad istam, & ideo nihil aduenit mihi de nouo, secundùm hoc, quòd incipio alteri esse equalis, per eius mutationem: pro quorum intelligentia.*

Modi esse
di relatio-
nis plures.

Sextò notandum est relationem posse habere esse tripliciter. Primò fundamentale tantum, siue virtuale, aut radicale; quatenus scilicet in re est fundamentum, ex quo nata est sequi relatio, posito termino; sicut existente vno solo albo in rerum natura dicitur in eo esse similitudo tanquam in radice, & fundamētō, ex quo, si ponatur alterum album, statim emerget illius ad hoc relatio similitudinis. Secundò relatio potest habere esse proprium, formale, & actuale distinctum ab esse fundamētī realiter, saltem Methaphysicè, quando scilicet posito iam termino, resultat relatio in priori extremo ad hoc posterius de nouo generatum. Tertio potest relatio habere esse formale, & actuale modo iam dicto in ordine ad vnum terminum cum esse virtuali, & radicali in ordine ad alium, aut alios posibles terminos, vt patet de relatione filiationis in Sorte, quæ in ordine ad filium ab eo genitum, est in actu formaliter, & actualiter, tam in ordine ad terminum suum formalem, qui est filius, vt filius est, quàm in ordine ad terminum suum materialem, qui est hic filius; eadem autem relatio in ordine ad alium filium, aut filios, quos nondum genuit, non habet esse formale, & actuale, sed virtuale, & radicale tantum; quibus postea genitis, in ordine etiam ad eos erit in actu; plures enim solo numero distinctæ relationes in eodem subiecto simul esse non possunt, vt ostendimus in 3. volumine ad 3. partem D. Thomæ quest. 35. art. 5. Controu. 3.

Septi-

Septimò sciendum est, tunc aliquid propriè mutari, quando aliter se habet, quàm prius per actionem agentis in ipso receptam; si autem aliter se habeat in hoc, quòd naturali sequela quidpiam ex aliquo in eo præexistente resultet, non dicitur, hæc alteritas mutatio propriè; quia mutatio idem est, quod actio, & passio materialiter; Vnde si Deus impediret caloris effluxum ab igne, & splendoris à Sole, & potentiarum ab anima, & post tempus impedimentum auferret, ita vt fluere, calor ab igne, splendor à Sole, & virtutes ab anima, non propriè dicerentur ex hoc effluxu prædicta mutari, sed impropiè tantum, quia scilicet complementum acciperent earum proprietatum, quas incompletè, & radicaliter tantum habebant; cum igitur ex fundamento relatio non per actionem, & passionem, sed naturali tantum emanatione resultet; nulla per eius emanationem fiet in fundamento propriè dicta mutatio; quamuis quædam impropiè, & latè dicta fiat ibi mutatio; quia relatio, quæ prius erat in fundamento radicaliter, & incompletè, per nouam emanationem fit in actu completo. Ad cuius veritatis euidentiã.

Octauò scito relationem dupliciter induci posse, & dupliciter etiam posse corrumpi. Nam primò potest induci per productionem fundamenti; quòd est induci totaliter de nouo; & ita eius inductio est cum mutatione in subiecto facta. Secundò potest induci relatio sola termini productione absq; sui subiecti mutatione; & hoc modo non fit noua totaliter relationis inductio; præerat enim radicaliter, & incompletè in fundamento; præsupponit tamen hæc inductio mutationem illam in subiecto factam, qua productum est præterito tempore fundamentum, vt ait expressè S. Thomas in 4. sent. dist. 41. quest. 1. art. 1. Dupliciter etiam, vt dictum est, potest relatio corrumpi; primò per corruptionem sui fundamenti; & hæc corruptio necessariò est cum mutatione subiecti; quòd refertur. Secundò per corruptionem termini; aut respectus ad terminum; & hoc modo non dicitur absolutè corrumpi; sed tantum quo ad esse completum, & in actu; vt docet, ac probat S. D. in 1. sent. dist. 26. quest. 2. art. 1. ad 3. vt etiam aduertit Flandrensis in

R

5. Me-

Mutari p-
prie quid
dicatur.

Relatio du-
pliciter po-
test induci.

S. Thom.
Relatio du-
pliciter po-
test corru-
pi.

S. Thom.
Flandrensis.

5. Methaph. quest. 16. art. 9. ubi ad verbum refert plures
 D. Thomæ dist. 28. Ex quibus verba eiusdem S. Docto-
 ris supra ex 5. Phys. relatâ exponi facile possunt hoc modo:
 Si aliquis per sui mutationem efficiatur mihi equalis, me non
 mutato, supple in presenti; sed tamen me mutato in prete-
 rito, equalitas prius erat in me sicut in radice, id est fundamen-
 taliter, effectivè, materialiter, & dispositivè, ex qua radice
 habet esse reale. s. effectivè, & materialiter, ex hoc enim, quod
 habeo talem quantitatem, competit mihi s. effectivè, & origi-
 naliter, quod sim equalis omnibus alijs, qui talem habent quan-
 titatem. Cum ergo aliquis de novo accipit talem quantitatem,
 nihil advenit mihi de novo, intellige simpliciter, & totaliter,
 sed bene quantum ad complementum relationis, per hoc
 videlicet, quod incipit alteri esse equalis per eius mutationem.
 Eandem doctrinam explicat optimè Caietanus prima par-
 te quest. 28. art. 2. in dubio ab eo moto circa responsionem
 D. Thomæ ad secundum in solutione rationum primæ opo-
 nionis ibi relatæ.

Secundus
 locus D.
 Thomæ ex-
 positus, 119
 Caietan

Noon notandum est ex D. Thom. in 1. sent. dist. 33. qu. 1.
 art. 1. in fine corporis, quod in relationibus realibus exi-
 stentibus in creaturis aliud est esse relationis, & substantiæ,
 quæ refertur, & ideo (inquit S. Doctor) dicuntur inesse, &
 secundum quod insunt, compositionem faciunt accidentis
 ad subiectum. Ex quo deducit Caietanus relationem fun-
 datam in substantia habere proprium esse in, & proprium
 esse ad, & cum eodem (inquit) quod esse in est eius actua-
 lis existentia, consequens fit, ut genus supremum ratio-
 nis sit forma propriam habens existentiam, & cum non per
 accidens, sed per se sit res, eam debet inesse eo quod acci-
 dens essentialiter de relatione predicetur, consequens est,
 ut inesse conveniat cuilibet parti subiectivæ relationis; alio-
 quin accidens non predicaretur in primo modo dicendi
 per se de qualibet relatione cõtentâ sub genere Ad aliquid
 probatur illatio, quia ratio non seipsa formaliter esset res,
 ex qua fluere inesse, sed ex forma fundamenti tantum. Sed
 considerandum est, quod a supra dicta in 1. & 4. notabili ex
 his principijs non nisi nisi distinctione realis formæ
 lem, seu realem methaphysicam, aut ex natura rei, dice-
 rent

rent enim recentiores supra notati relationi convenire pro-
 prium in, quod est inesse subiecto, sed hoc inesse nõ distin-
 gui ab esse fundamenti, nisi distinctione reali formali; seu
 ex natura rei, non autem sicut aliud esse realiter, & mate-
 rialiter ab esse fundamenti omnino distinctum; quo modo
 secundum eos distinguitur etiam ipsa ratio a fundamen-
 to; ac proinde etiam ratio cum suo esse compositionem
 facit realem, cum fundamento, & eius esse; ad realem enim
 compositionem sufficit in partibus componentibus prædi-
 cta distinctio. Quando autem asserit S. Doctor in quest. 7.
 de potentia Dei art. 8. relationem non componere, cum eo,
 cuius est, de relatione loquitur, ut ratio formaliter est. s.
 ratione ad; ut etiam Caietanus advertit loco supra notato,
 dicens necesse esse compositius esse album simile, quàm al-
 bum; quia similitudo est essentialiter accidens; atq; ideo
 dicere non solum ad, sed etiam in; ratione cuius compositi-
 onem cum eo facit, in quo est. Unde S. Doctor in 1. sent.
 dist. 33. quest. 1. art. 1. docet expressè relationes creatas,
 secundum quod insunt, compositionem facere accidentis
 ad subiectum; cuius verba sunt: In relationibus autem reali-
 bus in creaturis existentibus est aliud esse relationis, & substan-
 tiæ, quæ refertur; & ideo dicuntur inesse, & secundum quod in-
 sunt, compositionem faciunt accidentis ad subiectum; quod non
 convenit divinis relationibus. Verum, ut inquit Caietanus,
 quandoq; fallitur imaginatio; quia relationum nomina non
 explicitè offerunt inesse relationis, sed solum ad. Et con-
 firma: i potest ex discursu S. Doctoris ibidem; ubi idem af-
 firmat etiam de actione; sic enim loquitur: Dicendum, quod
 ratio in hoc differt a quantitate, & qualitate; quia qualitas, &
 quantitas sunt quadam accidentia in subiecto remanentia; ratio
 autem non significatur, ut Boetius dicit in libro de Trinitate, ut in
 subiecto manens, sed ut in transitu quodam ad aliud; unde &
 Porrethani dixerunt relationes non esse inhaerentes, sed assistentes;
 quod aliquantulum verum est; quod autem attribuitur alicui ut ab
 eo in aliud procedens, non facit compositionem cum eo, sicut nec
 actio cum agente. Et propter hoc etiam probat Philosophus 5.
 Physicorum, quod in Ad aliquid non potest esse motus; quia sine
 aliqua mutatione eius, quod ad aliud refertur, potest ratio disi-
 nere

3. locus D. Thomæ expositus.

4. locus expositus.

5. locus D. Thomæ expositus.



neri esse sola mutatione alterius; sicut etiam de actione patet, quod non est motus secundum actionem, nisi Metaphysice, & in proprio, sicut exiens de otio in actum mutari dicitur; quod non fiet, si relatio, vel actio significarent aliquid in subiecto mouens. Hæc ibi S. Doctor: ex quibus apparet, quo sensu negauerit relationem componere cum eo, cuius est, & quomodo relatio sine mutatione alicui adueniat, aut in eo esse desinat; hoc enim fit, non per physicam, & proprie dictam mutationem, sed per simplicem emanationem, aut delectionem; quæ est mutatio Metaphysica, cui minus proprie nomen conuenit mutationis.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

1. Conclus. Prima Conclusio: Probabilis est opinio secundo loco proposita; quæ dicit relationem, & fundamentum esse duas res omnino distinctas formaliter, & materialiter; quarum vna sit actus alterius. Hanc Conclusionem probant eius defensores supra notati multis argumentis; præcipua tamen sunt: Primum: Quia relatio realis addit supra suum fundamentum aliquid reale in ipso existens, scilicet respectum realem, & confirmatur: Quoniam, ut patet ex dictis D. Thomæ ad verbum supra notatis, relatio similitudinis in albo ante productionem alterius albi non erat nisi radicaliter, & inchoative; producto verò altero albo, recipit illa similitudo complementum; quia hæc relatio realis in actu; igitur addit supra fundamentum aliquid reale, quo realiter a fundamento distinguitur.

2. Probat. Secundum est: Si relatio, & suum fundamentum essent idem realiter, sequeretur, quod seclusa omni operatione intellectus, ubi esset fundamentum, ibi esset realiter, & actualiter, sicque posita vna tantum albedine, posita etiam esset similitudo; quod falsum est.

3. Probat. Tertium est: Quia sequeretur, quod vna res essentialiter esset plures res specie distinctæ, in creaturis; quod non videtur admitterendum. Consequentia probatur, quia supra vnam numero albedinem sortis fundantur duæ relationes specie distinctæ; puta similitudo ad Platonem album, & dissi-

similitudo ad Ciceroem nigrum; si ergo relatio est idem realiter cum fundamento, eadem albedo erit similitudo, & dissimilitudo, & quod absurdius est, consequens fieret vna speciem essentialiter esse alteram sibi oppositam. Nam per Syllogismum expository in rebus creatis bene sequitur. Hæc albedo est similitudo; ergo aliqua similitudo est dissimilitudo; sicut secundum philosophum in 1. posteri: bene sequitur: hic homo est animal, hic homo est risibilis; ergo quoddam risibile est animal.

Quartum est: Vbicunq; est ordo realis, ibi est distinctio realis; includit enim ordo in rebus creatis prioritatem, & distinctionem; sed inter fundamentum, & relationem est ordo realis; comparatur enim fundamentum ad relationem, ut causa ad effectum, ut ait S. Doctor in 1. sent. dist. 26. qu. 2. art. 1. ad 3. & de potentia quæst. 7. art. 9. ad 7. & præterea quæst. 10. art. 3. in corpore sic dicitur: *Ordo absq; distinctione non est; Vnde ubi non est distinctio secundum rem, sed secundum modum intelligendi, ibi non potest esse ordo secundum rem, sed secundum modum intelligendi.* Cum igitur, ut antedictum est, inter fundamentum, & relationem, sit ordo realis, sequitur hæc inter se realiter, esse distincta. Et confirmatur, hæc veritas; Quia S. Q. in 1. sent. dist. 29. quæst. unica art. 1. in corpore ait. *Omnis causa vel est extra essentiam rei, sicut efficiens, & finis, vel pars essentia, sicut materia, & forma;* & in prima parte quæst. 33. art. 1. in corpore ait: *In omnibus generibus semper inuenitur distantia inter causam, & id, cuius est causa, secundum aliquam perfectionem, & virtutem.* Cum igitur fundamentum sit causa relationis, necesse est hæc inter se realiter esse distincta. Et confirmatur: Quia nihil est causa sui ipsius. Vnde Augustinus in 1. de Trinitate dicit: *Nulla res est, que seipsam producat,* & Anselmus de processione Spiritus Sancti ait. *Nec natura permittit, nec intellectus capit existere de aliquo esse, de quo existit.* Sic enim eadem res secundum idem genus causæ, puta efficientis, simul esset causa, & causatum; quod tam rerum naturis, quam Peripateticæ repugnat philosophiæ.

Quintum est: Quia D. Thomas in 12. Metaph. tex. 10. ait Aristotelem quærentem, utrum alia, vel eadem sint prin-

4. Probat.

S. Thom.

S. Augu.

Anselmus.

5. Probat.

S. Thom.

incipia, & elementa substantiarum, & eorum, quæ sunt Ad aliquid, ac eorum, quæ sunt in quolibet prædicamento, specialiter meminisse de Ad aliquid; quia ea, quæ sunt Ad aliquid, remotiora videntur esse à substantia, quam alia genera, ex eo quod sunt debilioris esse, unde & substantia (inquit) inveniuntur mediantibus alijs generibus; sicut æquale, & inæquale, duplum, & dimidium mediante quantitate: Monens autem, & motum, pater, & filius mediante actione, & passione. Ex quibus sic argumentor: Si Ad aliquid sunt remotiora à substantia, quam alia genera secundum suum esse, & inter substantiam, & relationem mediant alia genera; igitur relatio distinguitur realiter ab alijs generibus, in quibus fundatur, & similiter esse relationis distinguitur realiter ab esse aliorum generum: Probat. illatio, quia idem non est propinquum, & remotum, mediatum, & immediatum respectu eiusdem.

6. Probat.
S. Thom.

Sextum est, quia S. Doctor in 4. con. gen. cap. 14. ait. Relatio substantia adueniens, & postremum, & imperfectissimum esse habet: postremum quidem; quia non solum præexigit esse substantia, sed etiam aliorum accidentium, ex quibus causatur relatio; sicut unum in quantitate causat æqualitatem, & unum in qualitate similitudinem: Imperfectissimum autem, quia propria relationis ratio consistit in eo, quod est ad alterum; Unde esse eius proprium, quod substantia superaddit, non solum dependet ab esse substantia, sed etiam ab esse alicuius exterioris. Quibus verbis aperte significat relationem, & eius esse distingui realiter tam ab essentia, quam ab esse sui fundamenti; eo quod fundamentum in suo esse sic relatione, & eius esse perfectius, & sit eius causa; quæ, ut ante diximus, semper est realiter ab effectu distincta: non enim loquitur, de fundamento, pro ut dicit quandam rationem fundandi, per modum videlicet quantitatis, eo modo, quo unum in substantia facit idem, & unum in qualitate facit simile; sed loquitur de fundamento secundum esse, & de relatione similiter secundum esse, quo existit, & inhaeret substantia mediantibus alijs generibus secundum eorum esse, quo substantia infunt.

Octauum est, quia S. Doctor in 1. tert. dist. 33. quest. 1. art. 2.

art. 2. ad 3. ait: Illud, quod in creaturis ad aliquid dicitur, substat relationi, sicut subiectum accidenti; & ideo est aliud, & aliud; sed illud, quod in Diuinis ad aliquid dicitur, est ipsa relatio; quia in Deo non est aliud secundum rem, sed secundum rationem essentiali, & habens essentiam, quod est persona, & ipsa proprietas distinguens personam; Constat autem in creatis id, quod refertur ad subiectum relationis, non esse solam substantiam, sed etiam fundamentum: Nam sicut sortes ad Platonem refertur relatione identitatis specificæ, ita quantitas ad quantitatem eiusdem mensuræ refertur relatione æqualitatis, & albedo ad alteram albedinem relatione similitudinis: igitur secundum D. Thomam omnis relatio tam in substantia, quam in accidente fundata differt realiter à suo fundamento, ita ut sint aliud, & aliud; quod proprie dicitur tantum videtur de ijs, quæ non solum formaliter, sed etiam materialiter, distinguuntur, id est, realiter physicè, & non tantum realiter Methaphysicè.

Ultimum est: Quia relatio cum suo fundamento realem efficit compositionem, ut supra diximus ex D. Thoma; in omni verò compositione reali necesse est componentia realiter esse distincta; ut Caiet. aduertit in prima parte qu. 3. art. vltimo in expositione tituli; igitur necesse est etiã hæc duo componentia, nimirum relationem, & fundamentum realiter esse distincta. His addi possent rationes Caietani, quas reijcit, ac soluit Ferrariensis in dicto cap. 14. lib. 4. con. gen. Alia plura sunt argumenta Flandrensis, & aliorum recentiorum, quæ non probant nisi distinctionem realem Methaphysicam, seu ex natura rei; quæ autem adduximus, glossam hanc non ita facile videntur admittere.

Secunda Conclusio: Probabilior videtur quinta sententia, quæ dicit relationem, & fundamentum distingui solum realiter Methaphysicè, seu ex natura rei, & formaliter actualiter ante omnem operationem intellectus, non tamen materialiter.

Probat. hæc Conclusio, quo ad primam partem primò: Quia, quando duo sunt idem realiter formaliter, siue essentialiter, ita ut vnã habeant quidditatem, si vnũ differt ab aliqua re specie, & essentialiter, aliud etiam ab eadem

7. Probat.

Caietan.

Ferrariens.

Flandrensi.

2. Concl.

1. Probat.

eadem re differat eodem modo, igitur si relatio, & fundamentum sunt idem realiter formaliter, siue essentialiter, sequitur, ut à quocunq; relatio differat specie, & essentialiter, ab eadem differat eodem modo fundamentum, at consequens est falsum; ergo & antecedens. Probatur falsitas consequentis: quia fundamentum similitudinis non differat specie à fundamento dissimilitudinis; eadem enim albedo, quæ est in Sorte fundamentum est similitudinis ad Platone album, & dissimilitudinis ad Ciceronem nigrum, & tamen similitudo, & dissimilitudo sunt essentialiter differentes; ergo.

2. Probat. Secundò. Quando duo sunt idem realiter essentialiter, quidquid est essentialiter de ratione unius, est etiam essentialiter de ratione alterius; at de ratione relationis realis est opponi realiter relative, quod tamen non est de ratione fundamenti; Ergo relatio, & fundamentum distinguuntur realiter formaliter, siue essentialiter; & si addamus, quod relatio, puta similitudo, actum exercet relationis nullo intellectu considerante, fundamentum autem, cum sit de genere absolutorum, non exercet talem actum, sequitur evidenter relationem à fundamento ante omnem operationem intellectus actualiter esse distinctam.

3. Probat. Tertiò. Quæcunq; differunt genere, differunt specie, atq; adeo quidditative, & essentialiter; at relatio, & fundamentum genere differunt; igitur necesse est, ut etiam quidditative, & essentialiter differant, quod est differre formaliter realiter, siue realiter Methaphysice, aut ex natura rei.

4. Probat. Quartò. Existente solo Platone albo in rerum natura, nulla est in eo realiter, & actualiter relatio similitudinis ad aliud album; producto autem altero albo, resultat in Platone relatio realis similitudinis ad novum album, & ad ipsum realiter, & actualiter refertur; igitur albedini in Platone exiitenti addita est nova realitas, quæ saltem sit nova ratio quidditativa ab albedinis quidditate plus quam ratione distincta.

5. Probat. Quinto. Eandem Conclusionis partem probant omnia Sanchez, argumenta, quibus probata est prima Conclusio. Sanchez, can-

eandem optinè probat Tomo 2. in Logicam quæst. 22.

Secunda verò pars eiusdem Cōclusionis probatur, Quia satis commodè possunt tam dicta S. Thomæ; quam assumptæ propositiones in argumentis pro prima Conclusionis in sensu secundæ huius nostræ Conclusionis exponi, ut patet ex solutionibus, quas adhibent Soucinus, Iuclius, Fonseca, Suarez, & alij recentiores argumentis, quæ pro nostra prima Conclusionis produciunt Capreolus, Flandrensis, Cateranus, Ferrariensis, & alij.

Tertia Conclusio est: Valde probabilis est: ea sententia, quæ dicit relationem in substantia fundatam esse rem ab ea distinctam formaliter, & materialiter, quamlibet autem aliam relationem realiter formaliter, seu Methaphysicè tantum à suo fundamento distingui. Probatur autoritate D. Thomæ de potentia quæst. 8. art. 2. ad 5. dicentis, quod nulla substantia, quæ est in genere, potest esse relatio; quia est definita ad unum genus, & per consequens excluditur ab alio genere, & quæst. 9. art. 4. ad 11. ait. *Ista propositio: nulla relatio est substantia, est immutata, si accipitur relatio, & substantia, quæ sunt in genere.* Sed respondent primæ sententiæ defensores

propositionem illam: Nulla substantia, quæ est in genere, potest esse relatio, intelligendam esse secundum predicationem formalem, non autem identicam; & in priori quidem sensu veram esse, in posteriori verò falsam; sicut etiam hæc: Nulla actio est passio; vera est formaliter accepta, identice autem falsa; & similiter dicta propositio sumpta formaliter est immediata; sed identicè neq; est immediata, neq; vera. Sed hæc responsio facile confutatur. Nam rationes, siue modi intrinseci substantiæ, & accidentis adeo sunt oppositi, ut in unâ rem nequeant convenire; illi namq; convenit esse per se; huic autem esse in alio, scilicet in substantia, & ab ea dependere tam in fieri, quam in conservari naturaliter loquendo; Vnde bene philosophus dixit, Accidentia esse entia, quia entis; implicat autem idem ens, & esse eiusdem entis esse per se, & esse in alio, esse independens, & esse dependens. Et confirmatur: Quia idem ens esset à seipso dependens; cum ponatur idem ens simul esse id, quod est subsistens, & id, quod est inhaerens. Respon-

Probatio
secundæ par-
tis.

Soucinus,
Iuclius,
Fonseca,
Suarez,
Capreol.
Flandrensis,
Cateranus,
& alij.

Probatio.
D. Thomæ.

Respon-
sio.

Cōclusio.

det

Iauelli re-
sponso.

det Iauellus accidens dupliciter sumi: Vno modo pro eo, quod est inhaerens, & superadditum substantiae, vt quantitas, & qualitas: Alio modo, pro eo, quod est extra rationem rei; quo modo locus dici potest accidens superficiaei, quia de ratione superficiaei non est esse locum, sed e contra: Quamuis igitur (inquit) substantia, & accidens priori modo sumptum non sint eadem res, potest tamen esse, vt substantia, & accidens posteriori modo sumptum sint vna res. Vnde illa propositio: omnis relatio est accidens, vera est (inquit) sub diuisione. s. priori, vel posteriori modo sumpto accidente. Nam relatio in quantitate, vel qualitate fundata est accidens, vtroq; modo; quia non distinguitur a fundamento, quod est accidens, & est extra ratione eius; relatio autem in substantia fundata accidens est secundo modo tantum; quia nihil addit reale supra fundamentum. Nec est (inquit) absurdum substantiam in praedicamento relationis contineri, immo hoc est necessario concedendum. Nam, cum motus, & terminus motus sint idem realiter, generatio passiva, & substantia genita erunt idem; constat autem passiuam generationem esse in praedicamento passionis; Ergo substantia est in praedicamento accidentis, non tamen secundum rationem substantiae; quia praedicamenta formaliter sunt impermixta; quem dicendi modum sequitur Zumellus loco supra notato Conclusionem 4. dicens praedicamentum relationis formaliter non dicere inhaerentiam, sed accidere relationi quod identificetur substantiae, vel accidenti, & aliquando esse identice substantiam, aliquando autem esse identice accidens: Vnde (inquit) nullibi inuenitur apud Aristotelem, quod prius diuiserit ens in substantiam, & accidens, quam in decem praedicamenta; vt patet in 5. Methaph. tex. 14. Vnde ens immediate significat naturas, & formalitates decem praedicamentorum, vt docent omnes Methaphysici; quae est doctrina Pauli Soncinatis libro 5. Methaph. quae st. 31.

Cófutatío.

Sed haec solutio, cum duobus nutantibus sit innixa principijs, nullius videtur esse firmitatis. Primum principium est, praedicamentum relationis non dicere inhaerentiam, sed accidere relationi, quod identificetur substantiae, vel acci-

accidentis, quod est dicere, praedicamentum relationis formaliter, & secundum suam integram rationem constantem ex in, & ad abstrahere a substantia, & accidente; hoc autem esse falsum, videtur satis aperte conuinci ex oppositione modorum; seu rationum substantiae, & accidentis iam explicata. Alterum principium est ens in doctrina Aristotelis, non diuidi immediate in substantiam, & accidens, sed in decem praedicamenta: Quod absolute falsum esse conuincitur ex eodem Philosopho 7. Metaphys. tex. 21. vbi diuidit ens in ens simpliciter, quod est substantia, quae dicitur ens ratione sui ipsius, quia absolute significantia substantiam significat quid est hoc, & in eis secundum quid quod est ens per aliud, quia non est ens, nisi quia est talis entis; hoc autem est accidens, quod ab Aristotele in nouem praedicamenta, vt clare patet ex serie dicti textus, addita expositione D. Thomae. Nec obstat dictum Commentatoris in 10. Metaphys. a Soncinatae allegatum, & ab omnibus Thomistis approbatum, quod scilicet ens immediate significat decem praedicamenta. Nam quia nomina significant conceptus rerum, ens autem nullum habet conceptum obiectiuum praeter illa decem suorum rerum generibus, vt probat optime Caietanus in suo tractato de nominum analogia; ideo verè, ac proprie dicitur ens significare immediate decem illa genera: sed hinc non bene deducitur ens immediate diuidi in ea genera; quia significatio mediata fit vno modo tantum, scilicet medio conceptu praeterito, qui est vnus simpliciter; diuisio autem mediata fit pluribus modis, diuiditur enim non solum vnocum in vniocum, & haec in alia, sed etiam a quocumque in a quocumque, & haec in alia, cuius ratio est: Quia mediata significatio sequitur perfectam conceptus unitatem, quatenus scilicet multa vniuntur in eo, & ideo plures non habet modos; diuisio autem mediata fit mediata a prioris diuisione, quae nec in re, aut ratione diuisibili, nec in membris diuisionis requirit unitatem simpliciter, sed ei sufficit unitas secundum quid, qualis est unitas analogica; immo quanto minor est unitas rei diuisibilis, & membrorum diuisionis, tanto maior, & multiplicior est in ea diuisibilitas secundum

Arist.

In quibus
est ratio
de unitate
et diuisione
et Soncinatae

Caietanus.

Ens no di-
uiditur im-
mediate in
decem pra-
dicamenta.

totam

totam suarationis formalis latitudinem ad inferiora sub
 communissimo, & primo diuisibili comprehensa. Cum
 igitur entis realis comunicas, quæ est omnium maxima,
 sit analogica, alias similes continens in suis partibus sub-
 iectiuis comunicates; diuiditur enim ens primò in ens
 finitum, & in ens infinitum, & rursus finitum diuiditur, vt
 analogum in substantiam, & accidens, & iterum hoc ana-
 logicè diuiditur in nouem summa genera, videlicet in quã-
 quantitatem, & qualitatem ad aliquid, &c. mirum non est,
 si ens non immediatè, sed alijs præuijs diuisionibus in de-
 cem prædicamenta diuidatur, quamuis nomen entis non
 significet mediatè, id est mediante aliquo conceptu præciso
 decem iam dicta rerum summa genera. Ex quibus elucet
 relationis prædicamentum nullo modo posse cum substan-
 tia in identitate reali copulari. Nec est eadem ratio de
 generatione passiuæ substantiali: Huic enim tria conue-
 niunt; Primum est, quòd est via ad substantiam, & est fieri
 ipsius substantiæ, atque ideo ipsa substantia in fieri. Se-
 cundum, quòd sequitur ex primo, est maxima proximitas,
 vt ita dicam, cum substantia genita, ita vt cum ea compu-
 tetur, vt vnum eo modo, quo motus idem esse dicitur cum
 termino motus. Tertium est modus passionis similis illi
 passioni, quæ subiectiua pars est accidentis: Relationi verò
 nihil horum conuenit, sed est plusquam cetera genera, quæ
 sub accidente continentur, à substantia remota, atque ideo
 nullo modo potest eadem realiter esse cum illa.

Relatio
 potest esse
 eadem cum
 substantia.

4. Conclus.

Ultima Conclusio: Sententia primo loco proposita di-
 cens relationem à fundamento sola ratione ratiocinata
 distingui, non potest sustineri, in doctrina D. Thomæ, &
 absolutè falsa est, nisi pia interpretatione reducat ad
 sensum secundæ conclusionis, & tertiæ sententiæ in princi-
 pio propositæ. Hæc sequitur euidenter ex probationibus
 præcedentium conclusionum, & magis elucescet ex solu-
 tionibus argumentorum, quæ pro contraria sententia pro-
 ducentur.

Argu.

Argumenta, & solutiones.

Contra primam Conclusionem sunt argumenta, quæ
 referunt, & solunt Capreolus, Flandrensis, Caieta-
 nus, Ferrariensis, Sanchez, & Alemanus locis su-
 præ notatis.

Contra eandem Conclusionem sunt argumenta Sonci-
 natis, Iauelli, & Fonseca, quibus satisfieri poterit partim ex
 ijs, quæ supra notata sunt, & partim ex Ferrariensi in allega-
 to cap. 14. Contra eandem Conclusionem argumentatur
 Sotus, & post eum Fonseca: quia S. Thomas in Opusculo 48.
 cap. 3. sic planè scribit: *Non est intelligendum, quòd similitu-
 do Socratis sit aliqua res in Socrate distincta ab albedine, sed solè
 est ipsa albedo, vt se habet ad albedinem Platonis, vt ad termi-
 num; si enim similitudo adderet supra albedinem rem aliquam;
 nullo modo posset aliqua res fieri similis alteri sine sui mutatione,
 quòd est falsum.* Nec obest (inquit Fonseca) quòd quidam
 respondent Opusculum citatum non esse D. Thomæ; alijs
 enim eo vtuntur, vt D. Thomæ, & loca in quibus D. Thomas
 contra videtur sentire, ita exponi possunt, vt nihil à citato
 loco dissentiant, eodem argumento vtitur Petrus Hurtadus
 additis alijs verbis D. Thomæ ex eodem Opusculo.

Respondetur primò, D. Thomam in illo Opusculo loqui
 de distinctione relationis à fundamento secundum omnem
 modum essendi relationis, scilicet radicale, & actuale, seu
 incompletum, & completum, ita vt ibi neget relationem
 secundum omnem suum essendi modum, etiam radicalem
 distingui realiter à fundamento, quòd probat eo argumen-
 to, quoniam aduenit fundamento absque illius mutatione:
 si enim ad inducendam relationem esset necessaria Physica
 mutatio, non haberet, relatio ante termini productione in
 fundamento esse radicale, & incompletum non distinctum
 ab eo realiter. Secundò dico relationem non distingui rea-
 liter à fundamento, vt res est totaliter noua, quia in eo præ-
 rat, vt radicè, secundum quem essendi modum non habet
 esse realiter distinctum à fundamento. Tertio dico, Opu-
 sculum illud in impressione Romana in eorum numerum
 fuisse

Capreol.
 Flandrensis
 Caietan.
 Ferrariensis,
 Sanchez.
 Alemanus,
 Soncinus,
 Iauellus.
 Fonseca.
 Sotus.
 D. Thom.

Hurtadus

fuisse reiectum, de quibus dubitatur, an sint legitimi partus Angelici nostri Doctoris; & ideo mirandum non est, si quidam eo utitur, & quidam illud reijciunt; nec verum est cetera D. Thomæ dicta posse cum eius Opusculi dicto conciliari, nisi modo paulò ante significato. Quartò, dico D. Thomam quidquid dixerit de questione proposita in primis suæ iuuentutis operibus, sententiam verbis nostræ primæ conclusionis expressam, in ultimis suis operibus tenuisse; ut patet ex locis supra notatis.

Secundò arguit Sotus: Ad aliquid sunt, quæ hoc ipsum, quod sunt, aliorum sunt; quia scilicet nullum aliud esse habent, nisi esse ad aliud; ut patet per hoc solum formaliter est pater, quia habet filium, & dominus, quia habet seruum; igitur, quamuis denominatio sit formaliter in patre, denominatur tamen à filio.

Respondetur, Diffinitionem illam relatiuorum significare eorum essentiam, quia significat respectum ad terminum extrinsecum, ita ut sensus sit: Relatiua sunt, quorum essentia tota consistit in ordine, seu respectu ad terminum extrinsecum, qui significatur dictione illa aliud. Unde pater, ut pater, totus formaliter, & essentialiter constituitur ordine, seu respectu ad filium, & ab hoc respectu denominatur formaliter, & intrinsecè pater. Unde ad argumentum dico, bene proponi definitionem relatiuorum, sed malè declarari, cum subditur, patrem hoc solo formaliter esse patrem, quia habet filium, & dominum, quia habet seruum. Falsa enim est hæc propositio: Nam pater per hoc formaliter est pater, quia habet paternitatem; effectiuè autem pater est, quia genuit; habere autem filium non est ratio formalis, quod pater sit pater, sed est conditio necessaria, quia relatio in actu terminum requirit in actu; esse namque simul in actu, natua est proprietas relatiuorū.

Tertiò arguit: Si paternitas est noua entitas in patre, posset Deus illam seruare, mortuo filio; ergo tunc pater denominaretur pater ab illa relatione, cum tamen non haberet filium. Antecedens probatur; quia neutrum est de essentia alterius.

Respondetur primò, falsum esse antecedens ob necessarium

riam connexionem, & connaturalem simultatem correlatiuorum; ita ut nec per Dei potentiam absolutam possit esse relatio sine termino; ut bene probat Sanchez disp. 47. sect. 8. in fine. Secundò dico, data separabilitate per diuinam potentiam, nullum esse inconueniens patrem à relatione paternitatis denominari patrem formaliter, etiam non existente filio, quia tota ratio denominandi patrem est paternitas; requiritur verò secundum ordinem naturæ filiationis, ut conditio; quæ tamen in casu posito non esset necessaria, quia non seruaretur tunc ordo naturæ.

Alia eiusdem auctoris argumenta, aut ex supra notatis remanent confutata, aut à recentioribus supra nominatis fuere soluta; fortiora tamen adducit, & soluit Flandrensis in duabus prædictis questionibus scilicet 18. & 19. ad quintum Metaphys.

Contra secundam Conclusionem eadem ferè militant argumenta, quæ contra primam. Aduersus eandem sunt argumenta, quæ afferunt, & solunt Sotus in Logica, de prædicamento ad aliquid quæst. 2. Fonseca lib. 5. Metaphys. cap. 15. quæst. 2. sect. 3. Zumelus, Sanchez, & Araucius locis supra notatis.

Contra tertiam Conclusionem argumentatur Araucius, omnis relatio realis prædicamentalis vniocè conuenit in vna ratione generica habendi fundamentum, & referendi subiectum ad terminum; ergo debet omnis relatio gaudere vniocè genere, seu modo distinctionis. Consequentia probatur: quia distinctio est passio entis; ergo si aliquæ relationes distinguuntur solum formaliter, eodem genere distinctionis distinguere debent omnes à suis proximis fundamentis.

Respondetur nullam esse consequentiam; ad cuius probationem negatur illatio. Nam distinctio, licet cuilibet enti conueniat, modò tamen fortitur differentes iuxta rerum, quibus applicatur, genericas, aut específicas differentias; cum igitur relationes ex fundamentis específicas trahant differentias, mirum non est, si propter maximam differentiam fundamenti earum relationum, quæ immediatè inhaerent substantiæ, & in ea fundantur, à fundamentis cõ-

Sanchez.

Flandrens.

Sotus.
Fonseca.
Zumellus.
Sanchez.
Araucius.

terarum omnium relationum, quæ fundantur in accidentibus, & illis mediantibus substantiæ insunt, modus etiam differentiæ relationis à fundamento consurgat valde diuersus; modus enim essendi per se, quo intimè, & essentialiter substantia constituitur, oppositus est modo essendi in alio, quo cetera omnia accidentium genera constituuntur, & ab vnico substantiæ genere distinguuntur; & ideo cum ea in vnã rem nulla ratione possunt conuenire, vt clarè patet ex ijs, quæ supra diximus. Alia eiusdem authoris argumenta ex prænotatis facilè diluentur.

Contra vicinam Conclusionem militant ea omnia argumenta, quæ contrariæ sententiæ defensores afferunt aduersus tres priores Conclusiones, quibus eadem satisfaciunt solutiones.

Contra eandem conclusionem, & alias præcedentes argumentatur Petrus Hurtadus. Primò Petrus, & Paulus sunt similes per duas albedines in illis existentes, sine villo conceptu ab illis distincto, ergo similitudo inter Petrum, & Paulum non distinguitur à fundamento, & termino, quæ in ea relatione sunt vtraq; albedo. Consequentia probatur: quia, si per illas albedines sunt formaliter similes; ergo in illis duabus includitur formaliter similitudo; ergo non est necessaria alia similitudo, quæ Petrum, & Paulum denominet similes. Antecedens patet tum ex diffinitione similitudinis; similia enim sunt, quarum qualitas est vna; ergo vnitas qualicatum est ratio denominans subiecta similia: nam idem est dicere duos homines esse similes, quia eorum qualitas est vna, ac dicere vnitatem qualitatis esse similitudinem; ergo similia non diffiniuntur per formalem similitudinè, &c. Secundò probatur antecedens: quia æqualitas est quædam relationis species; sed duæ albedines per suas entitates, præciso quocunq; modo, sunt æquales in perfectione; ergo æqualitas non est relatio distincta ab vtraq; albedine: consequentia probatur: quia, si duæ formæ per suas entitates constituuntur æquales, quorsum indigent alia formæ, ex qua denominentur æquales? Antecedens patet; quia vna albedo, in suo conceptu essentiali non includit aliquid perfectius, vel imperfectius altera albedine:

ne. Quod patet clarius in quantitate, in qua fundatur relatio æqualitatis, vel inæqualitatis, &c.

Respondetur hoc argumento probari Petrum, & Paulum esse similes per vnitatem qualicatum, & duas illas qualitates, aut quantitates esse æquales, aut inæquales fundamentaliter; cum tamen sola relatione sint, & dicantur similes, æquales, aut inæquales formaliter relatiuè.

Sed hanc responsionem Hurtadus impugnat: Quia hic *Replicat* non distinguitur inæqualitas fundamentalis à formali; sed per te sunt inæquales fundamentaliter; ergo & formaliter: Probat maior: Quia inæqualitas formalis est forma formaliter includens plures partes, quàm alia, vel est in sua entitate habere pluralitatem partium; quæ pluralitas non habetur fundamentaliter, sed formaliter: at inæqualitas formalis est formalis pluralitas, & paucitas partium; ergo: Maior patet; quia palmus habet partes plures semipalmo: Minor non eget probatione: explicatur: Sumo illam inæqualitatem fundamentalem: Rogo, vtrum per illam palmus sit actu maior semipalmo, vel non? Hoc secundum dici non potest; nam palmus per se continet plures partes semipalmo: ergo actu est maior, & relatio, quam tu fingis, non facit palmum maiorem; quia illi nihil addit, quo sit maior, sed potius supponit excessum, quo superat semipalmum; ergo sine isto modo semipalmus est maior actu; ergo sine isto modo est actu inæqualis, &c.

Respondetur falsam esse maiorem argumenti: Ad eius *Solutio.* probationem negatur consequentia: quia duplex est inæqualitas formalis; altera fundamentalis, siue absoluta, & altera relatiua: prima consistit in hoc, quod est vnum extremum habere formam secundum maiorem, & alterum secundum minorem mensuram quantitatis extensiuæ, aut intensiuæ. Secunda verò relationem, seu respectum importat excedentis ad excessum, & è contrà, resultantem ex tali, & tali mensura quantitatis extensiuæ, aut intensiuæ; cum tamen vtraq; sit formalis inæqualitas prima ratione formæ diuersam in rebus mensuram habentis, secunda ratione respectus formaliter duo extrema diuersæ mensuræ ad inuicem referentis; ita vt prima sit secundæ radix, &

fundamentum. Ad explicationem, seu confirmationem dico, per primam illam inæqualitatem palmum esse actu maiorem semipalmo; & licet ratio inæqualitatis consequens inæqualitatem fundamentalem non faciat palmum maiorem semipalmo absolute, & fundamentaliter facit tamen illum maiorem relative, siue respectiue formaliter, ac proinde inæqualem relative formaliter, cum prius effect tantum inæqualis absolute formaliter. Neq; hoc mirum est; dicitur enim inæqualitas analogice de inæqualitate absoluta, siue fundamentali, & de inæqualitate relativa formaliter; quod idem dicendum est de æqualitate, similitudine, dissimilitudine, & alijs consimilibus.

Secundò arguit: Deus habet in tempore relationes reales prædicamentales, quas antea non habebat; sed Deus nullum habet modum intrinsecum de nouo; ergo ratio non est modus à termino, & fundamento distinctus. Maior probatur: quia Deus in tempore est dominus Petri, dissimilis, & causa; quæ sunt relationes dominij, diuersitatis, & causæ; sed Deus non habebat dominium, diuersitatem, & causalitatem in Petrum, antequam crearetur; ergo Deus habet in tempore relationes prædicamentales, quas non habebat. Secundò probatur eadem maior: Quia multi Theologi opinionem hanc defendunt. Hi verò sunt Okamus in 1. sent. dist. 30. Gabriel ibidem qu. 5. Durandus qu. 3. Greg. dist. 28. qu. 3. art. 1. Marsilius dist. 32. art. 1. Palacios dist. 1. qu. 5. Anselmus in Monologio cap. 24. ubi ait Deum esse incapacem accidentis, & statim sibi objicit de relatione dicens: *Quomodo non est particeps accidentis, cum & hoc ipsum, quod maior est omnibus alijs naturis, & quod illis dissimilis est, illi videntur accidere?* Respondet: *Sed quid repugnat quorundam, quæ accidentia dicuntur, susceptibilitas, & naturalis incommutabilitas, si ex eorum assumptione nulla substantia consequitur variabilitas?* quod ita probat: *Nam ego neq; maior, vel minor, neq; æqualis, vel similis sum homini post annum natus; omnes autem relationes has, illo nato, habere potero sine omni mei mutatione.*

Respondetur falsam esse maiorem Ad primam eius probationem dico cum D. Tho. prima parte quæst. 13. art. 7. rela-

Okamus.
Gabriel.
Greg.
Marsilius.
Palacios.
Anselmus.

3. Thom.

relationes illas in Deo nõ esse reales, sed rationis, & Deum, antequam crearet, non habuisse dominium, id est relationem dominij, sed omnipotentiam, qua poterat creare, & subijcere sibi creaturam; nec tamẽ sequitur Deum in tempore non esse realiter Dominum creaturæ; nam, ut ibidem ait S. D. ad quintum: *Cum ea ratione referatur Deus ad creaturam, quæ creatura refertur ad ipsum, cum ratio subiectionis realiter sit in creatura, sequitur, quod Deus non secundum rationem tantum, sed realiter sit Dominus; eo enim modo dicitur Dominus, quæ creatura ei subiecta est.* Hæc ibi S. Thomas.

Ad secundam eiusdem maioris probationem dico Doctores illos non esse Sanctissimo nostro Doctore, & eius discipulis comparandos: Anselmum autem non loqui de accidente relativo reali, seu prædicamentali, sed de accidente prædicabili, quod potest etiam esse ens rationis. Probatio autem ex similitudine ad hominem nasciturum adueniente post eius natiuitatem absq; mutatione intelligenda est proportionabiliter, ut scilicet, quemadmodum ratio similitudinis potest mihi aduenire absque vlla physica mutatione, ut supra dictum est; licet necessariò sic cum mutatione Metaphysica, quæ naturæ creatæ non repugnat; sic Deo absque vlla prorsus mutatione ratio ex tempore adueniat, quæ maior, aut dissimilis dicitur creaturæ, quæ cum realis esse non possit, ut probat S. Doct. in prima par. quæst. 13. art. 7. & de potentia quæst. 7. art. 11. erit ex parte Dei ratio rationis, ex parte verò creaturæ realis, pertinens ad tertium modum relatiuorum, ut ibidem ait S. Doct. ex doctrina Philosophi in 5. Metaph. t. 20. Omitto alias rationes eiusdem auctoris, quibus probare, aut sustinere nititur relationes ad creaturas Deo ex tempore aduenientes esse reales, tum quia sunt ab huius nostræ controuersie materia valde remotæ, tum quia minus dignæ mihi visæ sunt, ut pro eorum solutione scribendo laborarem.

Tertiò arguit: Forma debet habere ut quò formalem effectum, quem tribuit subiecto; sed ratio v.g. identitatis non habet ut quò identitatem fundamenti, & termini; ergo ratio distincta à fundamento, & termino non potest illa denominare eadem. Minor probatur: Ratio identitatis

270

5 3

est

Anselmus.

S. Thom.

est ratio, qua duo indiuidua conueniunt in specie, vel sunt substantialiter similia; sed si relatio distinguitur à fundamento, & termino, non potest esse ratio, propter quam duo indiuidua conueniunt in specie; ergo non datur ea relatio sic distincta. Minor probatur: In Petro, & Paulo relatio ab illis distincta non conuenit cum illis, ut quod; ergo non est ratio, propter quam illi conueniant, ut quod. Consequentia patet. Antecedens probatur: Quia relatio illa, cum sit accidens, est diuersa, & dissimilis intrinsecè Petro, & Paulo; ergo non potest esse ratio conueniendi: sicut unio non potest esse ratio uniuersi corpus, si ipsa illis se non uniat; ergo similiter relatio identitatis non constituit extrema eadem, nisi ipsa sit identitas eorundem.

Respondetur argumentum esse ex quatuor terminis, & minorem non rectè sub maiore subsumi: minor enim subsumenda est; sed relatio identitatis non habet ut quod formalem effectum, quem tribuit subiecto, quæ propositio falsa est: formalis enim effectus relationis identitatis non est conuenientia specifica, aut generica duarum naturarum, sed est hoc, quod est referre naturas sic conuenientes ad inuicem.

Replica. Sed hanc responsionem sic arguit dictus auctor; quia sequitur essentiam utriusque extremi, seclusa alia relatione distincta, ad inuicem referri. Probatur consequentia; quia illæ essentia sunt eadem; ergo seipsis habent identitatem, sed identitas est species relationis.

Solutio. Respondetur nullam esse consequentiam. Ad eius probationem negatur subsumpta propositio, videlicet illa identitatem esse speciem relationis; est .n. quid absolutum, ex quo ut proximo fundamento confurgit relatio, quæ formaliter extrema referuntur ad inuicem. Identitas .n. analogicè dicitur de identitate, quæ est cõuenientia duarum rerum in una natura specifica, vel generica; & de identitate, quæ est relatio consequens ad dictam conuenientiam, & referens naturas illas ad inuicem, ut ante in consimilibus dictum est.

Alia eiusdem auctoris argumenta parum, aut nihil succi continentia, & facillè etiam à nouitijs Metaphysicis solubilia prætermittimus.

CONTROVERSIAE DE MAGIA

Adm. R. P. M. F. Io. Pauli Nazarij

Ordinis Prædicatorum.

PRIMA CONTROVERSIA

De Magia Naturali.

Magia cõmuniter sumpta notitiam multis scientiarum, & bonarum artium professoribus esse necessariam, quid nomine Magi significetur, quæ sit eius definitio, & diuisio, & qui primi fuerint eius professores.



Ultis scientiarum, ac bonarum artium professoribus communes sunt Magicæ Controuersæ; quibus tam honestæ, & proficue, quam malæ, perniciosæq; Magicæ non solum est utilis, sed etiam necessaria cognitio. Theologis enim, qui de virtutibus, & vitijs, & de honorum, malorumq; differunt spirituum potestate, totius Magicæ natura, proprietatesq; debent esse notissimæ. Quapropter de magicis artibus, & earum efficacia Magister agit in 2. sentent. dist. 7. & ibi S. D. & alij scholastici Doctores post Augustinum lib. 3. de Trinit. cap. 7. & alios Sanctos Patres, & expositores diuinæ Scripturæ Exodi 7. & seq. Singulariter autem questionem hanc latè versat, sapienterq; definit S. Thomas lib. 3. cont. gent. à cap. 103. vsq; ad 107. inclusiuè, & ibi Ferrar. & in 2. 2. quæst. 52. vsque ad 96. inclusiuè, & ibi Caietan. & alij expositores; & Michael Medina de rectoria in Deum fide lib. 2. cap. 7. & Sylu. in suo opere de strigimagarum, Daemonumq; mirandis & Bar-

Utilitas, & necessitas.

Magister. August.

S. Thom.

Ferrari.

Caietan.

Mich. med.

Sylueller.

Spinus.
Victoria.
Martinus.
Gratianus.
Suarez.
Azorius.
Panzius.

tholomæus Spina de strigibus, & in Apologia aduersus ponzinibium, Victoria in Relect. de arte magica, Martinus Delrius in suo opere magicarum disquisitionum, Suarez de Statu Religionis lib. 2. de superstitione, præsertim à cap. 14. vsq; ad finem illius tractatus, Io. Azorius lib. 9. institut. moralium, Benedictus Pererius in Opusc. de magia, & alij.

Ad Iuris etiam peritos quæstionis huius noticia pertinet, vt secundum leges Imperiales. C. de malef. & Mac. & Ecclesiasticas sanctiones in decreto Gratiani causa 26. de fortilegijs, maleficijsq; valeant iudicare.

Nec à Philosophis secreta naturæ scrutantibus, & mirabilium effectuum causas inuestigantibus est hæc Quæstio prorsus aliena, quamquam de Magicis artibus, & effectibus naturæ corporeæ facultatem superantibus nihil certo, fideiq; iudicio valeant definire; quia bonorū, malorūq; spirituum virtutes, & effectus sola distinctè nouit, discernitq; Theologia diuini luminis illustratione præfulgida, & sacrarum litterarum ductu, præsidioq; roborata. Ex Philosophis Plinius lib. 30. historię naturalis, cap. 1. de Magicæ artis origine scribit accuratè, & post eum Ioannes Franciscus Picus Mirandolanus de rerum prænotione lib. 7. c. 2. ubi partes eius distinguit, ac de singulis disputat eleganter.

Denique Marius Ficinus libro 13. Platonice Theologiæ cap. 4. de magicis effectibus multa scribit ex doctrina Platonis, & Academicorum, vt ipse putat, quæ sicut nihil habent soliditatis, sic omni destituta sunt colore probabilitatis, & quod peius est, erroris maximi semina sunt aduersus fidei doctrinam de Christi miraculis, quibus suam diuinitatem, prædicationumq; veritatem confirmauit, ac proinde cæteris etiam Sanctorum miraculis ad fidei veritatem, aut eorum sanctitatem declarandam adimit credulitatem.

Prædictis adde Io. Bapt. Pertam Neapolitanum, qui libellum edidit de magia naturali ad præxim deducta, in quo multa vana, & supersticiosa continentur.

Et post primam huius operis impressionem Iulius Cæsar Bulingerus in primo tomio opusculorum duos edidit libros de licita, & vetita Magia, curiosa eruditionis.

Et quia præter eas, quas implicat hæc controuersia suapte

Plinius.

Io. Franc.
Picus.

Mari. Fic.

Pertam.

Bulingerus.

ptè natura, difficultates, plurimas alias extrinsecus euocatas nimia fortasse recentiorum diligentia collegit, & vastam prius quæstionis latitudinem in immensum extendit, adeo vt iam nullis videatur finibus contineri, necesse nobis est iuxta scholasticæ normam disciplinæ disputationem hanc cancellis vndique præmanire, præfixisq; limitibus terminare. Quod optimè fiet, si magiam, de qua differendum est, in partes, & capita quædam præcipua distinxerimus, vt ordinatè singulorum difficultatibus abiolatis, nihil amplius ad eam, quæ Theologo necessaria est, Magiæ noticiam desiderari posse videatur. Sed prius de nominis origine, rationeq; dicendum est.

Magus dictio Persica est, qua significatur sapiens, vt innuit Cicero de Diuin. dicens: Magos genus esse sapientum, & doctorum apud Persas, cui consonat Hieronymus in secundum cap. Danielis dicens: Magos esse, qui de singulis rebus philosophantur; & Chaldeorum Philosophos Magos fuisse nuncupatos, quorum præcipui Reges erant, & Principes gentis illius, qui syderum etiam contemplationi, ac futurorum ex eis prædictioni studebant. Et, quia Persarum sapientes Deorum cultui potissimum vacare solebant, cui multa vana, supersticiosaq; permiscebant, ideo, crescente paulatim vanitate, quibusdam artibus, & maleficijs omnia se scire, & efficere posse professi sunt, ac proinde nomen Magi pro malefico iam sermo communis usurpat, vt Hieronymus aduertit loco supra notato.

Sic itaque Magiæ nomen prima quidem sui institutione sapientiam, sed vsu communiori maleficiorum noticiam, professionem, & artem videtur significare. Qui plura de nominis huius ratione scire desiderat, legat Apologiam Ioannis Pici Mirandulani in disputatione de Magia naturali, & Cabala, & scripta nepotis eius Ioannis Francisci Pici de Prænot. lib. 7. cap. 1.

Est igitur Magia duplex, altera bona, & honesta, quæ verè scientia est naturalium causarum intendens cognitioni; altera mala, & illicita superstitionum, ac maleficiorū exercitio dedita. Vtrique verò Magiæ nomen est commune secundum analogiam, cuius sic accepti rationem assignat Fran-

Ratio nominis.
Cicero.
Hieron.

Io. Picus.

Io. Franc.
Picus.

Definitio
Magiæ ex
Victoria.

Franciscus Victoria in sua relectione de arte Magica dicens: Magiam artem esse, & facultatem ad efficiendum, & patrandum opera occulta, & mirabilia, non solum extra solitum rerum cursum, sed supra hominum opinionem, & captum. Dicitur *Arts, & facultas ad efficiendum*: quia Magia non in sola contemplatione consistit, sed est verè practica, siue certitudinem habeat demonstratiuam, siue Topicam tantum gaudeat probabilitate; Efficiendi verò, siue patrandi vocabulo non immediata solum ab artis Magice perito effectus productio significatur, sed etiam mediata, quæ per bonos fiat, aut malos spiritus, præcibus, aut imperio, vel alio quocunque modo morali compulsos ad operandum. Et quia nulla potest Deus ad agendum arte compelli, idè necesse non est in Magiæ definitione facultatem ad eam, quæ creata est, explicitè limitare. Dicitur *Opera occulta, & mirabilia*: vt Magia discernatur à qualibet arte, facultateq; communi, quæ manifestos, vel secundum se, vel secundum eorum causas omnibus, aut plurimis producit effectus. Quemadmodum si magnetis virtus communiter esset occulta, & vir aliquis perspicacis ingenij vim eius, ac proprietatem nunc primum experimento, discursuq; cognosceret, ac cæteris vsu factuq; demonstraret, Magus ab omnibus crederetur, eo quod effectum fecisset ex occultissima causa procedentem, & omnibus admirabilem. Videnda sunt, quæ de Magnete veluti miracula refert August. lib. 11. de Ciuit. Dei, cap. 4. Nomine præterea operum non solum intelliguntur effectus sensibiles extra animam in rebus producti, sed etiam futurorum prædictio, & quæcunque de rebus occultis tam futuris, quam præteritis, quam etiam existentibus diuinitio. Dicitur, *extra solitum rerum cursum*, non totius nature, sed extra consuetum rerum cursum; quia scilicet comparatione cæterorum effectuum, qui ex alijs naturalibus causis communiter notis eueniunt, illi, quoti scientiam, siue noticiam, & facultatem Magia proficitur, per quam rari sunt, ac minimè consueti. Postremò dicitur, *supra hominum opinionem, & captum*: quia scilicet vel simpliciter omnium hominum capacitatem excedunt, quales ex ijs operibus plurima sunt, quæ per Dæmonum ministerium

Augustin.

rium producant artis Magicæ professores, vel non simpliciter omnium, sed plurimorum, ac ferè omnium intelligentiam exuperant: atque idè magicæ facultatis effectus neque sunt verè, ac proprie supernaturales, neque miracula. Nam & si mirabilia quædam sint extra communem rerum cursum, & supra hominum opinionem, & captum, totius tamen ordinem nature non excedunt, nec ex virtute derivantur supernaturali, quæ naturalem non solum hominis, sed etiam Angeli superat intelligentiam.

Et ex his patet error Martini Delrij lib. 1. disquisitionum magicarum cap. 2. dicentis, prædictam Victoriæ definitionem adè strictam esse, vt artificiosam, & naturalem Magiam excludat; patet namq; eam definitionem vtramq; Magiam latè complecti, prout etiam vberius, ac euidentius infra dicenda declarabunt. Ex quo statim alius eiusdem authoris defectus elucescit in assignanda Magiæ definitione: plures enim in ea ponit aduersus artem particulas minimè necessarias, vt quod magicæ facultatis effectus vi creata, & non supernaturali producantur. Nostra enim ex Victoria desumpta, præcisè per se, & formaliter intellecta prædictas includit conditiones, siue particulas.

Nunc Magiæ distinguendæ sunt partes, & suo quæque loco, & ordine collocandæ, vt de singulis ordinatè differendo, disputationis huius nostræ series non solum legentis intelligentiæ sit perspicua, sed etiam ab eo facile memoria teneatur. Est igitur Magia duplex, vt antè diximus: Altera physica, siue naturalis; & altera minimè naturalis, sed Dæmoniaca, & superstitiosa: Illa scilicet naturalis dupliciter sumi potest: Vno modo latè, prout idem est, quod scientia virtute luminis naturalis de rebus ad ordinem Vniuersi naturalem pertinentibus acquisita; quo sensu Persæ tali scientia præditos Magos appellarunt: sicque magia scientias omnes complectitur humanitus acquisibiles sub vna ratione generica, vel magis analogâ. Alio modo sumitur Magia naturalis pro noticia practica secretiorum virtutum, & operationum causarum naturalium. Cuius quinque iuxta prædictos Authores, ac præsertim Ioannem Picum, & Michaelem Medinam possunt partes assignari. Quarum prima

Martinus.

Distinctio
Magiæ.

Naturalis
Magiæ di-
stinctio.

ma

ma est Physica naturalis proprie dicta, quæ notitia practica est rerum sublunarium sympathiam, aut antipathiam habentium ad inuicem; ita vt, si tali loco, tempore, & modo fuerint applicatæ, adeo mirabiles edent operationes, & effectus, vt vulgaribus manifesta miracula videantur: qualis videtur fuisse Tobiz senioris prius cæci sanitas vnctioe fellis inducta, cuius virtutem Raphael Angelus optime nenerat, & iuniori Tobiz reuelarat. Ad eandem Magiz naturalis artem spectat delatio lapidis cuiusdam in Tigride geniti, qui contra ferarum nocuenta præsidium est salutare, vt ait Aristotelis in lib. de Mirabilibus, & alia multa, quæ narrat Augustinus loco supra notato, quibus addunt alia plura Victoria in allegata relectione; & Michael Medina de recta in Deum fide lib. 2. cap. 7. & Martinus prædictus lib. 1. cap. 3. Hanc Magiz partem diligenter coluisse dicuntur Indi, Aethiopes, Chaldei, & Persæ, quibus herbarum, & lapidum, ac cæterarum rerum ad miros effectus patrandos virtute pollentium facultas maxima suppetebat. Ex illustribus autem in hac facultate professoribus nominari solent Thespiou apud Gymnosophistas, Hierarchas apud Brachmanos, Budas apud Babylonios, Abbaris apud Hyperboreos, Zoroaster Horomasi filius apud Persas, Zamolxides apud Thraces. Vt autem notat Cicero lib. 1. de Diuinatione, Persarum lege cautum erat, neminem regio potiri fastigio, nisi Magiam, idest totius naturæ, & religionis noticiam prius imbibisset. Plures huius partis studiosos recenset Medina loco superius allegato.

Secunda naturalis Magiz pars est Mathematica, non quæcunque, sed ea, quæ absque naturalibus actionibus, & passionibus ex solis mathematicis disciplinis opera quædam, se producere posse profitetur ijs, valde similia, quæ ex naturalibus rebus mutuam habentibus sympathiam prima naturalis magiz pars efficere consuevit. Huius Mathematicæ Magiz pericia, siue potestate dicitur Architas Tarentinus columbam ligneam, quæ volaret, & statuam Mercurij verba resonantem effecisse; & Albertus Magnus caput æneum fabricasse narratur, quod cum summa omnium admiratione loqueretur. Diuus etiam Seuerinus Boetius summi

Aristot.

Augustin.

Mich. med.
Martinus.Magiz cul.
torci.

Architas.

Alb. Mag.

summi vir ingenij, ac eruditionis plures hac arte mirandos effectus passisse memoratur. Alia plura recenset Michael Medina loco supra notato. Legendus est Beda de propositionibus Arithmeticis tomo 1. vbi ex ratione, siue computatione numerorum tradit regulas ad diuinandum, quem quis numerum animo concepit, & in quo septimanæ die quispiam quid egerit.

De numerorum etiam, & figurarum efficacitate latè differit Ioannes Picus loco supra notato, Pythagoricam secutus opinionem, pro qua multa profert sanctorum dicta numerorum actiuitatem satis apertè sonantia. Sed eorum sensum aperiemus inferius. Vidi ego quædam ludi gratia fingentem nauim periclitantem, & in ea Christianos, & Turcas, qui ad nauim exonerandam conuenissent, vt quibus quasi sorte numerando concingeret, mitterentur in aquam, Christianumq; sic Turcas, cum Christianis ordinantem, vt quasi confusè, & fortuito dispositi viderentur: & nihilominus in singulis actibus numerandi iactura solis obtingeret infidelibus.

Tertia naturalis Magiz pars est Astronomica, quam esse Cabalæ partem Ioannes Picus affirmat, eam scilicet, quæ cœlestium corporum, ac virtutum eorum, & influxuum noticiam continet. Cuius professio est imagines, & annulos fabricari, in quibus cœlestes recipiantur influxus, qui mirabiles producant effectus. Huic arti dicuntur studuisse quidam Rogerius Bachon, & Albertus de Villanoua, & quidam alij.

Quarta naturalis Magiz pars est Musica, de qua latè differit Martinus prædictus in allegato lib. 1. cap. 4. quest. 2. Hæc in proportione numerorum aptè sonis accommodata consistit, quam Platonici valde magnificantes eidem excellentes, ac miros effectus tribuerunt.

Postrema naturalis Magiz pars est Perspectiua quo ad eam partem, quæ luminibus, speculis, imaginibus, & annulis, aut etiam manuum dexteritate oculorum fallit obrutum.

Cum igitur effectus omnes admirabiles naturalis Magiz facultate, siue ministerio producibiles ex diuersis dependant causis naturalibus ad diuersarum scientiarum, & æ-

Mich. Me-
dinae
Beda.

Io. Picus.

Ludicrum.

Picus.

Bachon.
Villanoua.

Martinus.

tium.

Magiam.
plitudo cō-
tra Victo-
riam.

tium noticiam pertinentibus, consequens est, naturalē Magiam, nec vnam esse scientiam, aut artem à cæteris distinctam, nec naturalis Philosophiæ partem, vt affirmat Victoria, sed omnibus ferè scientijs, & artibus, etiam mechanicis humanitus acquisitis esse commistam: ita vt in qualibet scientia, vel arte earum causarum noticia dici valeat Magia naturalis, ex quibus ad vsum applicatis produci possunt effectus præter cōsuetum rerum cursum, & supra communem hominum opinionem, & captum: An autem, & quomodo non ex solis causis ad naturalis philosophiæ noticiam pertinentibus, sed etiam ex quantitatibus, figuris, & uumeris ad scientias mathematicas pertinentibus, & ex cælorum motibus, aspectibus, coniunctionibus, & influxibus astronomicæ considerationi subiectis multos omnibus hominibus admirabiles effectus produci valeant, si loco, tempore, ac modo debito causæ fuerint applicatæ, disposita prius reuè materia, in quam debeant operari, dicemus inferius.

Magiæ naturalis distinctio.

Distinguunt autem nonnulli primam naturalis Magiæ partem, scilicet physicam propriè dictam in proficuum, veneficam, & præstigiosam: quam etiam diuisionem adaptant Mathematicæ, & Astronomicæ Magiæ. Quæ distinctio, cum non sit per differentias scibilis, in quantum scibile, merè est accidentalis, ac proinde, vt arti minimè congruens, omitrenda. Magiæ verò superstitiosæ partes distinguemus in altera controuersia.

QVAESTIO PRIMA.

De vi imaginationis, tam circa corpus ipsius imaginantis, quàm circa corpus alienum, ipsi tamen imaginanti coniunctum.

Propositis igitur, & explicatis superficialitè præcipuis Magiæ partibus, multæ se se offerunt quæstiones diligenter examinandæ, & cum diuini luminis adiutorio definiendæ. Et primò quidem illæ præmittendæ sunt, quæ

quæ de naturali, honestaq; Magia moueri solent. Ex quibus prima ad naturalis philosophiæ noticiam pertinens quærit: An ea sit imaginationis humanæ vis, siue potestas, vt mitos producat effectus, non in corpore tantum ipsius imaginantis, sed etiam in alieno. Et corpus quidem imaginantis animæ proprium ex apprehensione vehementi mirificè transmutari quotidiana ferè docet experientia; & S. Doct. tertia parte q. 13. art. 3. ad tertium, veritatem hanc sapienter, vt solet, explicat dicens: *Imaginationi, si fuerit fortis, obedit corpus quantum ad casum de trabe in alto posita; quia imaginatio nata est esse principium motus localis, vt dicitur in tertio de anima. Similiter etiam quantum ad alterationem, quæ est secundum calorem, & frigus, & alia consequentia; eo quod ex imaginatione consequenter nata sunt consequi anima passiones, secundum quas mouetur cor, & sic per commotionem spirituum totum corpus alteratur. Alia verò dispositiones corporales, quæ non habent naturalem ordinem ad imaginationem, non transmutantur ab imaginatione, quantumcunque sit fortis, puta figura manus, vel pedis, vel aliquid simile.* Hæc ibi S. Thom. Quam etiam doctrinam aduersus Auicennam tradit in 3. cont. gent. c. 103. Quam Michael Medina loco sæpè citato multis illustrat exemplis ex Auicenna, Augustino, Hippocrate, Galeno, Plinio, Quintiliano, & alijs. Ex quibus etiam multa profert Martinus loco supra notato. Nec vlla de vi imaginationis, quo ad hanc partem, siue respectū videtur apud sapientes esse difficultas.

S. Thom.

Mich. Medina.

Martinus.

Tota Controuersia est de facultate imaginationis in corpore alieno; cuius duplex potest ad corpus imaginantis esse comparatio: Vel enim est illi coniunctum, vel est ab eo separatum. Dicitur autem coniunctum corpus, quod vel vterò continetur, vt infans, vel quod actu contingitur, sicut oua incubanti gallinæ dicuntur esse coniuncta. Et siquidem corpus alienum sit corpori imaginantis dictorum modorum altero coniunctum, certum est, imaginationis virtute posse permutari, sicut & corpus animæ proprium. Sicut diuina scriptura Gen. 30. cap. testatur dicens: *Tollens ergo Iacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex Platanis, ex parte decorticauit eas, detrahitq; corticibus, in ijs, quæ*

Genes. 30.

120-

spoliata fuerunt, candor apparuit: illa verò, quae integra fuerant, viridia permanserunt, atque in hunc modum color effectus est varius. Posuitque eas in canalibus ubi effundebatur aqua, ut, cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aspectu earum conciperent. Factumque est, ut in ipso colore coitus oves intuerentur virgas, & parerent maculosa, & varia, & diuerso colore respersa, &c.

S. August.

Eandem veritatem S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 5. breuiter exprimit, cum de Api loquens, qui bos erat insigni colorum varietate mirabilis, quam ut Deum Aegyptij coluerunt, ait: Non enim magnum erat Daemonibus ad eos (scilicet Aegyptios) decipiendos phantasia talis tauri, quem sola cerneret ostentare vacca concipienti, atque pregnantis; unde libido matris attraheret, quod in eius fetu iam corporaliter appareret, sicut Iacob de virgibus variatis, ut oves, & caprae varia nascerentur effecit. Quod enim homines coloribus, & corporibus veris, hoc Daemones figuris factis facillimè possunt animalibus concipientibus exhibere. Cuius rei causam Isidorus assignans ait: Hanc enim seminarum dicunt esse naturam, ut quales perspexerint, siue mente cogitauerint in extremo voluptatis assu, dum concipiunt, talem sobolem procreent. Etenim anima in usu venereo formas extrinsecas intus transmittit, earumque satiata typis, rapit species earum in propriam qualitatem. Aliam rationem assignat Abulensis in Genesim cap. 30. dicens, animam, quatenus vnitur corpori, ut motor, ipsum mouere, & dirigere assimilando ipsum naturae suae, quantum potest, & se habere ad illud, sicut artifex ad opus; ita ut quemadmodum artifex per formam exemplaris in mente retenti eiusdem formae similitudinem imprimit in effectu; sic anima sensitiua sensibilem concipiens imaginem in ultimo actu, & ardore libidinis, eius similitudinem imprimit foetui, transmissa tunc, cum primò conceptio fit, in semen simul cum formatiua virtute, ut quadam inductiua talis coloris, aut formae. Ut enim Plinius aduertit lib. 7. historiae naturalis, in usu venereo cogitatio cuiuslibet animo transuolans effingere similitudinem creditur, multoque plures in homine, quam in ceteris animantibus similitudinis differentias operatur. Cuius causa est, imaginationis, seu magis cogitatio

Isidorus.

Abulens.

Plinius.

catius nobilitas, quae summa perspicacitate, miraque celeritate varias, ac propè innumeras rerum formas à sensibus acceptas, veluti res ipsas actu praesentes concipit, multipliciter ordinat, atque commiscet.

Hinc ratio reddi potest à priori, cur foetuum multi non parentum, sed rerum ab eorum altero, vel etiam ab utroque conceptarum similitudinem referant; qualis fuit illius Matronae partus, quae ex proprio marito filium concepit, ac peperit Aethiopi similem in pariete cubiculi depicto. De qua re differit eruditè Quintilianus. Quamobrem, ut Pisoni scribens, ait Galenus: Diuos quidam volens filium excellentis pulchritudinis generare, formosissimi pueri simillimum uxori proposuit in actu venereo contemplandum, sicque factum est, ut imagini partus quam simillimus edereetur.

Quintil.
Galeu.

Plura generis huius exempla referunt Authores praedicti, praesertim verò Michael, & Martinus. Sed (quod mirabilius est) foetu iam in utero formato, ac partui proximo, si Mater quidpiam cibi, vel potus oculis visum, aut imaginatione conceptum anxie concupiscat, & in actu, ac actu desiderij partem sui corporis aliquam manu contingat, rei concupitae statim in prole secundum eandem specie, siue figura corporis partem similitudo genuina formatur.

Michael
Martinus.

De corpore verò contactu solo coniuncto duo proferri solent exempla, alterum Pauonis foeminae fouentis oua, cui si lineum album fuerit circumpositum, vel appositum, albi nascentur Pauones, ut quidam asserunt.

Alterum est Gallinae ouis incubantis, cui si cancellis inclusa serpens ostendatur usque ad illud temporis punctum, quo fuissent pulli prodituri, non pulli gallinaei, sed serpentes ex ouis erumpent.

QVAESTIO SECVNDA.

De vi imaginationis circa corpus ab imaginante separatum, & distans.

SENTENTIAE DOCTORVM.

Sed iam de corpore penitus separato dicendum est: an Salientis imaginationis actu valeat immutari. Auicenna

T

in

Avicenna. in quarta sexti naturalium cap. 6. dicit quatuor. Primum est, animam humanam per fortem imaginationem, aut intensum affectum corpus non solum proprium, sed etiam alienum realiter transmutare, adeo, ut corpus humanum deducere valeat ex aegritudine ad sanitatem, & e contra, nubes in aere condensare, plurias, niues, grandines, & ventos educere, aut excitatos compescere. Secundum est, non omnia animabus a natura vim talium immutationum fuisse concessam, sed illis tantum, quae naturales quasdam virtutes in sui generatione ab astrorum coelestium influxu receperunt, quibus supra vim caeteris animabus commune sic eleuantur, ut opera cunctis hominibus admiranda valeant operari; Existimat enim Avicenna rationalem animam eiusdem, aut valde similis esse naturae cum intelligentia, atque ideo naturaliter huic Mundo corporeo dominari. Tertium est, varias esse rationalium animarum potestates iuxta varios coelestium planetarum influxus. Illa enim (inquit) anima, quae sub Iouis dominio, concurrente propitio caeterorum planetarum aspectu, fuerit humano corpori copulata, Iouis quandam similitudinem, ac imaginem consequetur, ita ut quae si Iouis imago virtutem habeat in totam huiusce Mundi materiam operandi, quae Iouis intelligentiae subijcitur, possitque pro libito suae voluntatis novis in quamlibet eius partem qualitatibus, & formis inductis eam immutare. Ultimum est, illi tantum animae rationali praeditam competere facultatem, cuius fortissima fuerit imaginatio, & intensus affectus, ac purus, & corporeis passionibus minimè subditus, & quae materiam, siue subiectum habuerit immutationi iam diste preparatum.

Marfilus. Marsilius Ficinus lib. 13. Platonice Theologiae dicit quatuor. Primum est: Phantasia iustar virtutis vivificae sicut proprium corpus format, quoties a ceteris affectibus agitatur, ita fascinationibus, & maleficis; format alienum, adeo, ut imaginatio febris febriles, id est cholericos spiritus vibret, qui in venefici hominis corpore sunt, qui cum primò incitati sunt, una cum spiritu protubent illuc tamquam sagittae, quo malefica phantasia quae frad signum intenderit, maximè verò ex oculis emittentioris, perque

et

T

ocu-

oculos pueri transeunt, veluti radii per vitreas materias, & pueri spiritus, & humores inficiunt. Hoc dictum quibusdam probat argumentis inferius adducendis, & diluendis, & confirmat historiae cuiusdam narratione dicentis, homines quosdam in Illirijs, & Triballis, cum essent irati, si diutius, attentiusque intueretur hominem illum necare, idemque fecisse forinas nonnullas in Scythia.

Secundum est: quia ratio superat phantasiam, ut bonitas malem, quando ad beneficium aliquod tota animi erga Deum intentione desigitur, nonnunquam corpus illud, erga quod est affecta, afficit beneficio, tam proprium, quam alienum.

Tertium est: hoc munere excellunt illi, ut est apud Platonicos, qui diuino quodam beneficio praeter caeteris complexionem temperata, coelestique sunt praediti, nec non puris, & modicis nutriti cibus, honestis praeterea, diuinisque moribus educati. Hi medici saepe sunt generis humani, & corpori, cui cupiunt bona, si directi prorsus in Deum pijs votis ardent exoptant, illico praestant, praesertim si hominis beneficium accepturi animus sit paratus.

Tandem Avicennae consentiens affirmat de mente Platonis in Timeo, & Phaedro, animam, cum supra phantasiam, & corpoream omnem naturam fuerit elevata, tunc iam non esse animam, sed Angelum, tuncque suae virtutis influxu posse non solum humana corpora transmutare, sed etiam solo mentis affectu posse quatuor elementa Mundi mouere, ventos excitare, caelo nubes inducere sereno, & eas in pluias condensare, ventos compescere, & aeternam serenare.

Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis in suo 4. Paradoxo cap. 17. duobus dictis suam sententiam exprimit. Primum est: Falsum est, quod vulgares cauciant, videlicet quosdam homines malorum oculorum fore, qui si oculo furibundo, aut qualitercumque ad malum moto aliquid intueri voluerint, illud laedat, aut occidat: quod si benignis illud oculis intueantur, nihil nocebunt. Secundum est: Si fascinare dicatur, videndo rei visum nocere, siue hoc spontaneè, siue inuoluntariè fiat, fateri oportet fascinationem aliquid esse, & esse aliquorum hominum, aliorumque animalium

T 2

malium

malium oculos res visas fascinantes.

Michael. Michael Medina loco supra notato negat animam quidem posse per imaginationis vehementiam, aut per aliam virtutem in corpus omnino separatum.

Valentia. Valentia x. 2. quæst. 96. puncto. 2. concedit, posse interdum aliquem effectum non magni momenti in alieno corpore sequi ex imaginatione per vapores exhalantes ob adiunctum cordis motum, præsertim si alienum corpus non sit valde distans: at effectus quosdam admirabiles in alieno corpore fieri, ut expulsionem tempestatis, & sanitatem in morbo difficillimo, existimat esse omnino comentitium.

Martinus. Martinus prædictus duas statuit conclusiones. Prima est: In corpus alienum disiunctum, & separatum ab imaginante anima humana, neque per imaginationem, neque per aliam potentiam mediantibus ullis radijs, spiritibus, vel speciebus vlla mirifica huiusmodi potest efficere. Hanc ait Theologorum esse communem, ac præsertim D. Thomæ Ferrariensis, & Medinæ: quod esse falsum ex eisdem auctoribus ostendemus. Secunda eiusdem conclusio est: Satis verisimile est, posse aliquid imaginationem in corpus vicinum arcta quapiam coniunctione, & contactu copularum, si tamen, & imaginatio sit valde intensa, & vicinum corpus ad eam valde dispositum.

Suarez. Suarez disp. 12. Metaph. sect. 8. num. 25. negat imaginationis actum virtutem habere naturalem ad alterandum alienum corpus, sed num. 26. sequens D. Thomam ait, fascinationem fieri ab aliqua qualitate venenifera existente in oculo, aut in interiori corporis dispositione, complexionem, aut humoribus, quæ comunicatur spiritibus vitalibus, qui imaginatione, & attentione animi commouentur, & ad oculos perueniunt, & aerem inficiunt usque ad certam distantiam, & sic alteri nocent.

S. Thom. Est igitur sententia D. Thomæ p. p. quæst. 117. artic. 3. & lib. 3. cont. gent. cap. 103. quæ media est inter prædictas extremas opiniones, affirmans, ex imaginatione, si fuerit vehemens, sequi nonnunquam, non quidem immediate, sed mediate immutationem corporis alieni, id est ab imaginante distinctam. Quam sententiam sequitur Ferrarius in

Ferrarius.

in expositione dicti cap. Bannes in Commentario ad dictum articulum, & Bartholomæus Sibylla in suo speculo peregrinarum quæstionum, decade 3. cap. 8. quæstionc. 3. Ad cuius euidenciam, & huius quæst. siue partis controuersie resolutionem.

Bannes.

Sibylla.

RESOLVTIO.

Virtute imaginationis mutari non posse immediate corpus extrinsecum, sed medijs tantum corporeis spiritibus in illud transmissis, atque ita per veterum aspectum puerulos fascinari.

Præmittenda primò distinctio est iam tacta, videlicet imaginationis actu dupliciter immutari posse corpus extrinsecum, & ab imaginante seiunctum, scilicet immediate, & mediate. Et prius quidem modo dicentes fieri per actum virtutis imaginatiuæ corporis alieni mutationem, mirabile paradoxum asserunt principijs veræ philosophiæ repugnans; sub eorum enim actuum genere comprehenditur imaginatio, qui vel nihil omnino producant, vel, si quid efficiant, non in externa materia, sed in ipsa recipitur operatiua potentia.

Resolutio.

Præterea nulla vis organica cognoscitiua, aut appetitiua vim habet practicam circa externæ materiæ formationem, aut immutationem, nisi media virtute motiua, aut alteratiua partium aliquarum corporis ipsius cognoscentis, & appetentis; cum ergo virtus imaginatiua sit organica, hoc vno tantum modo poterit alienum corpus omnino separatum immutare. Probatur assumpta propositio: Quia longè maior est virtus intellectus, & voluntatis, quæ cuiusvis organica, & sensitiuæ potentiæ: Constat autem, humanum intellectum, & voluntatem nihil extrinsecus operari, nisi per vires earum partium corporis motiuas, quæ natæ sunt obedire voluntatis imperio, & præconceptos, ac volitos effectus, ut instrumenta producere; igitur imaginatio multo

T 3

minus

minus quidquam efficere poterit immediatè circa corpus, siue viuens, siue vita carens omninò distinctum, & ab imaginante separatum.

Distinctio.

Posteriori verò modo, scilicet mediatè per imaginatiuæ virtutis actum corpus extrinsecum immutari, quatuor modis potest intelligi. Primò, vt per actum proprium alicuius sensus exterioris, puta visus, aut tactus fiat immutatio. Secundò: vt per radios aliquos sensibiles fiat ex oculis emissos. Tertiò, vt fiat per virtutem aliquam intentionalem eo modo, quo colores aerem, & oculum immutant, & informant. Postremò, vt per spiritus aliquos subtiles, & corporeos per oculum, tactum, vocem, aut flatum transmissos immutentur extrinseca corpora. Quæ etiam immutatio duplex esse potest, proficua scilicet, & venefica. Hæc verò singula sunt examinanda.

Cum autè visio, & quælibet externi sensus operatio fiat, non extrahendo, sed speciem sensibilis in ipsa virtute sensitua recipiendo, sitq; de genere actionum immanentium, impossibile est, quouis actu sensus, vt sensus est, alienum corpus immutari à sentiente. Et eadem ratione secundus modus excluditur; radij namq; sensibiles ex oculis emicantes, aut nulli omninò sunt, si visionis actum intelligantur intimè constituere; siquidem illuminatio ad actiones attingit transeantes: aut si qualitas organi est, exiguæ valde virtutis est, nec potest, nisi fortè per alteram unitam ei qualitatem, puta spiritus aliquos infectos, alienum corpus immutare; alioquin non vetularum, sed adolescentularum oculi, qui multò lucidiores sunt, potentiùs immutaret, quod esse falsum, non communis opinio tantùm, sed etiam experientia docet. Tertius verò modus ex eodem principio vanus esse deprehenditur; virtus enim illa intentionalis ad actionem pertinet transeuntem, quæ nulli conuenit potentie cognoscitiuæ: nec virtus illa mediatam cõstituit actionem, sed magis ipsius agentis actio est, vt patet ex probabili eorum sententia, qui dicunt, Deum voluntatem nostrã immediatè mouere, & motionem illam, prout in voluntate recipitur, esse vim quandam intentionalem à Deo mouente perductam; sicut motio Artificis in instrumento recepta

se-

secundum esse quoddam intentionale in eo est. Solus igitur quartus, & vltimus modus ex illis omnibus potest esse legitimus.

Ad cuius euidenciam sciendum est primò ex D. Thoma *S. Thom.* p. p. quæst. 117. art. 3. ad secundum, & 3. cont. gent. c. 103. nullam ex apprehensione sequi corporis immutationem, nisi apprehensioni addita fuerit affectio aliqua; vt gaudij, timoris, concupiscentiæ, aut alterius passionis: & quoniam huiusmodi passionis accidunt cū determinato motu cordis, ex quo sequitur totius corporis immutatio, vel secundum motum localem, vel secundum alterationem aliquam, idè nunquam apprehensio corpus proprium alterat cognoscentis, nisi medio locali motu. Et, quia sic alterato corpore imaginantis, spiritus immutantur, præsertim in oculis, ad quos subtiliores spiritus perueniunt, qui ex oculis egredientes determinatam inficiunt aeris latitudinem, idè, si vehemens fuerit animæ motus ad malitiam, noxius, ac veneficus erit oculorum aspectus, & maximè pueris, quorum tenerum est corpus: ac proindè facillè receptiuum impressiõnis; atque ita per vetularum aspectum pueri fascinantur: sicut etiam speculum nouum, & purum inficitur oculo menstruatæ, vt ait Arist. in lib. de somno, & vigilia: *Aristot.* & Lupus, si hominem à propinquo conspexerit, antequam conspiciatur ab eo, reddit eum per aliquod temporis spatium impotentem ad clamandum, eo quòd eius oculi venenosis spiritibus sint infecti, qui propinquum hominem inficientes organa vocis impediunt, ne vocem resonent, duratq; impedimentum, quantum spirituum virtus ipsa durauerit, vt ait Abulensis in quarto paradoxo cap. 16. Quod *Abulensis.* si prius homo Lupum aspexerit, nullum ei Lupus afferre potest vocis impedimentum, quia forsitan virtute spirituum ex oculis emanantium vis oculorum Lupi præuenta reprimatur, & eorum venefica virtus extinguatur.

Sed de vetularum aspectu Martinus ait, eas deformi suo squalore, ac tæritudine posse infantulos perterrefacere, ita vt eorum concitarentur humores, ac citius erumpant morbi, ad quos tenellum infantuli corpus iam erat dispositum. Sed cum ex multis alijs occurrentibus contingat infantes

T 4

timore

timore percelli, ex nullo tamen eorum genus illud infirmitatis incurrunt, quod in eos vetularum malignus inducit aspectus; Vim igitur eorum oculos veneficam habere necesse est, quæ specialem infantibus afferat ægritudinem. Raucedinis autem ex occurſu Lupi, Martinus iam dictus duplicem affert causam, alteram ex parte hominis, qui ex repentino feræ conspectu timore percussus, & toto corpore frigidus raucedinem in organo vocis incurrit: alteram ex parte Lupi, qui prior hominem videns ad vindictam se præparat, & noxium in hominem vaporem exuffat, sicque hominem efficit raucum, ne clamans cæterorum hominum subsidia valeat inuocare: at si videat ab homine se deprehensum, ac visum fuisse, metuere, & fugam meditari, atque ideo de noxio flatu in hominem emittendo non cogitare. Sed ratio, quam affert ex parte hominis, feris omnibus communis est ab homine repente visis, cum tamen effectum illum soli Lupo tribuant Authores grauissimi, ex quibus

S. Ambrosius lib. 7. in Lucam, cap. 10. sic loquitur: Lupi, si quem priores hominem viderint, vocem ei quadam natura videntur eripere: si autem eos homo prius viderit, exagitari memoyantur. Quod etiam affirmat Isidorus lib. 11. Ethymol. & Abulensis in allegato paradoxo cap. 19. & 20. Ratio etiam ex parte Lupi frivola est, quia Lupus etiam prius ab homine visus non semper fugit, sed nonnunquam illum aggredditur, & tunc præcipue, cum fuerit fame confectus, vel vnus, aut plurium Luporum subsidio roboratus. Sed hæc missa faciamus ad rem nostram minime pertinentia.

S. Ambrosius

Isidorus

Abulensis

Fascinationem secundum unam rationem esse voluntariam, & secundum aliam rationem esse naturalem.

Secundò considerandum est, fascinationem proprie dictam, quæ nimirum fit hominis oculo, secundum unam rationem esse voluntariam, secundum aliam verò naturalem; causa namq; prima monens sceleratum hominem ad fascinandum est maligna voluntas, ut perspicue docet

p. p.

p. p. S. Doct. q. 117. art. 3. ad secundum dicens: *Cum aliqua anima fuerit vehementer commota ad malitiam, sicut maxime in vetulabus contingit, efficitur secundum modum prædictum aspectum eius venenosus, & noxius, & maxime pueris, qui habent corpus tenerum, & de facili receptiuum impressionis. Hæc ibi. Non mouetur autem anima ad malitiam, nisi per actum voluntatis, cuius nutu tam phantasia, quam aliæ vires imperio voluntatis naturaliter obsequentes mouentur ad operandum; ex vehementi verò imaginatione, ut ibidem ait S. D. spiritus coniuncti corporis immutantur, ac præsertim in oculis, ad quos spiritus deriuantur subtiliores, qui ex oculis erumpentes, & proximè circumstantem aerem inficientes, tenellisque puerorum corporibus in eadem aeris parte constitutis imbibiti breui temporis spatio venefica sua eos qualitate perimunt.*

Et quia spiritus illi suapte natura noxij sunt corporibus illis, quitalis sunt nocuenti capaces, ideo secundum hanc rationem, & causam materiam, ac efficietam proximam est fascinatio naturalis. Neque necesse est, spiritus illos puerulis noxios ipsis quoq; vetulabus esse veneficos: aliud est enim senectutis, & aliud pueritiæ temperamentum, nec senum omnium eadem complexio est, nec spiritus singulorum eiusdem omnino qualitatis, & efficacitatis existunt, sed plurimæ, ac magnæ sunt eorum differentie iuxta varias corporum dispositiones naturales, & acquisitas, atque ideo non omnibus vetulabus virtus inest fascinatina, sed illis tantum, quarum malignæ cogitationes, & affectus medio cordis motu sæpè, ac diu corpus alterando veneniferam illam qualitatem in corpus proprium induxerunt ad spiritus omnes, etiam vitales late diffusam, quæ tamen in eis verè, ac proprie ægritudo non est, ut extimat Abulensis, sed habitus quidam est acquisitus individuali earum complexionem minimè noxius, aut aduersus. Et quia non in quolibet oculorum aspectu tales spiritus commouentur in corpore, vel in oculis, in ea quantitate præsertim, quæ fascinare possit infantem, sed in eo tantum aspectu, quem foris præcesserit imaginatio cum affectu maligno, ideo falsum est, quod ait Abulensis, videlicet hominem pestiferam illam

Obiectio-
nis solut.Abulensis
opinio cõ-
suetur.

qua-

qualitatem habentem non pro arbitrio quos voluerit, sed naturaliter quoscumque obuios parum distantes, atque ad corruptionem dispositos fascinare, nisi claudat oculos. Cum enim sub hominis libera facultate posita libera sit imaginatio, & appetitio, ex quibus sequitur corporis alteratio, spirituumque commotio, sequitur qualitatem illam habentes fascinatiui posse pro libito, quos voluerint, Deo permittente, fascinare, si fuerint eius ægritudinis præuia dispositione capaces; quos verò pro sua voluntate nullo malignitatis affectu præcedente conspexerint, nihil eis afferre nocuenti.

Nullius aspectu, contactu, aut halitu, vel sibilo posse quemquam naturaliter ab infirmitate curari.

Tertio notandum est, hominem virtutibus moralibus, etiam heroicis exornatum, & perfecta corporis, ac spirituum sanitate, vel temperamento donatum non posse, tametsi maximè voluerit, benigno suorum oculorum aspectu, aut alia virtutis emanatione mirabiles in ægrotantibus effectus sanificatiui fascinationi contrarios efficere, quamuis fortasse nonnunquam possit ex parte leuamen afferre. Malum enim, ut ait Dionysius, contingit omnifariam, bonum autem consurgit ex integra causa, atque ideo facilius est venefica spirituum qualitate morbum inducere, quam eorum æqua dispositione sanare. Plura nouimus animalia solo aspectu, vel flatu valde nocentia, aut etiam illico perimentia, ut de Basilisco Plinius, & alij testantur; cum tamen nulla sint aspectu solo, vel flatu sanantia, ex graui præsertim infirmitate. Quare nedum falsa, & hæretica, sed planè stulta fuit eorum opinio, qui Christi miracula in perfectum corporis eius temperamentum refererent dicentes, talem habenti corporis dispositionem subditam esse vniuersam rerum corruptibilium sphaeram, & quicquid in ea continetur, & eius obsequi voluntatis imperio. Perfectio namque temperamenti ad optimas virtutum naturalium functiones ordinatur, & ex eis cognoscitur, non au-

Plinius.

Quæstio
de
magia

cetera

tem ex effectu in extrinseca corpora virtutis emanatione producto: & cum temperamentum sit corpori naturale, virtus etiam effectiua sanitatis ex eo naturaliter emanaret, atque ita quorumcumque sibi occurrentium discrasias, & intemperies ad eucrasiam, temperiemque reduceret. Prædictum errorem, siue magis insaniam latè confutat Michael Medina loco supra notato, & Vasquez 3. par. q. 13. disp. 57. ubi etiam probat miracula Christi in virtutem imaginationis eius non esse referenda.

Mich. Medina.
Vasquez.

Postremo queri potest, an contactu, aut halitu, vel sibilo possit quisquam naturaliter alium à morbo curare, vulnera sanare, aut ferrum extrahere. Cui quaesito quamquam non defuerint respondentes, hæc omnia dictis modis effici posse virtute naturali, simpliciter tamen negandum est, tales curationes ex humani corporis virtute naturali posse deriuari. Nullum enim hæcenus erroris prædicti sectatores exemplum proferre potuerunt alicuius, qui sola naturali virtute contactus, halitus, aut sibilo fuerit à quavis infirmitate sanatus; constat enim in praxi, prædictis actibus multa superstitiosa misceri, ut Martinus superius allegatus obseruat lib. 1. cap. 3. quæst. 4. quod euidentissimum est pacti cum Dæmone saltem impliciti ad obtinendam eius opera sanitatem.

Martinus.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

Prima conclusio; Magiæ definitio vera, & optima est, quam ex Victoria superius assignauimus, videlicet: Magia est ars, seu facultas ad efficiendum opera occulta, & mirabilia, non solum extra solitum rerum cursum, sed etiam supra hominum opinionem, & captum.

Secunda conclusio: Imaginationis virtute potest corpus alienum corpori imaginantis coniunctum immutari.

Tertia conclusio: Non potest anima humana vi sua naturali per fortem imaginationem, aut solo mentis affectu elementa mouere, ventos excitare, aut excitatos compescere, nubes in aere condensare, pluias, niues, & grandines è caelo trahere, aut præparatas, vel etiam erumpentes auer-

auertere, & aerem serenare. Hæc est contra Auicennam, & Marsilium Ficinum.

Quarta conclusio; Imaginationis actu quantumuis vehementi non imutatur immediatè corpus alienum.

Quinta conclusio; Imaginationis actu vehementi potest immutari ex sanitate in ægitudinem corpus alienum media corporis ipsius imaginantis alteratione spiritus commouente, qui ex oculis erumpentes veneniferæ suæ virtutis efficacia fascinant tenellum pueruli corpus ad talem virtutem, & immutationem suscipiendam, non loci tantum vicinitate, sed etiam temperamento dispositum.

Sexta conclusio; Fascinatio, quæ fit hominis oculo, secundum vnâ rationem est voluntaria, secundum aliam verò est naturalis.

Septima conclusio; Fascinatio virtus neque consequitur humanam speciem, aut animalis naturam, neque est in quolibet homine, aut in quolibet animali. Hæc patet ex dictis, & probat eam latè Abulensis in allegato 4. Paradoxo cap. 20. 21. & 22.

Abulens.

Octaua conclusio; Homo virtutibus etiam heroicis exornatus, & perfectissimo corporis temperamento donatus non potest vi sua naturali, quâuis maximè velit, vlli ægrotanti sanitatem afferre. Hæc est contra Auicennam, Marsilium Ficinum, & alios.

Nona conclusio; Nullus homo potest vi corporis sui naturali per contactum, halicum, aut sibilum alterum a morbo curare, vulnera sanare, aut ferrum eijcere. Hanc probat, & tuetur Martinus loco supra notato.

Martianus.

Argumenta, & Solutiones.

Contra secundam conclusionem hoc vnum produci potest argumentum. Imago est actio immanens: ergo nullum habere potest effectum in alieno corpore, quantumuis contiguo.

Respondetur, hoc argumento probari quartam nostram conclusionem, videlicet actu imaginationis nullum effectum immediatè, ac directè produci, sed mediatè, & indirectè,

&

& quasi per accidens, medio, scilicet motu cordis, & spiritibus ab eo motis, vt antè diximus.

Contra tertiam conclusionem argumentatur Marsilius Ficinus. Primò: Qui diuinæ inspirationi totum se committit, cessat esse anima, fitque Deo regenerante Dei Filius, & Angelus, at cum talis effectus fuerit, imperabit spheris elementorum; ergo.

Mars. Fic.

Prima propositio probatur: Quia Dei summi influxus per mentes Angelicas vsque ad animam hominis defluens instigat quotidie animam corporimersam, vt exuta carneam testam ponat potentias, operationesque animales, & pro anima fiat Angelus. Et confirmatur autoritate D. Ioannis dicentis, huiusmodi animum ex Deo nasci.

Secunda verò propositio probatur: Primò, quia anima natura sua excedit Mundi machinam, & per vires inferiores mira operatur in corporibus etiam alienis; ergo multò maiora operabitur, quando in caput surrexerit suum, & euaserit Angelica. Secundò: Quando anima corpori huic addicta est, parui huius Mudi elementa, idest honores quatuor agit, eisque calorem, frigus, humorem, siccitatem, colores omnes, saporesque inducit; ergo, quando soluta ab hoc emergit in amplum, Deo iam plena animalis huius grandioris humores, idest quatuor elementa maioris Mundi mouet, vt sua: Probatur sequela; quia iam quasi euasit anima Mundi, eius videlicet Mundi partis, erga quam afficitur maximè. Et confirmatur; quia, sicut vna, & eadem hominis anima, quæ cubitale infantis corpusculum reuertat, regit bicubitum, atque tricubitum, ac deinde quatuor cubitorum, & decem rursus, vt dicitur de Gigantibus, ita si vsque ad centum creuerit, & ducentos, æquè reget; ergo si vim ab ipso Deo videlicet habet vniuersa vis rationalis anime in Mundi spheris, vim quoque habet in eas rationis, ac mentis affectus; igitur solo affectu citabit ventos, Deo duce, ac celo nubes inducet sereno, easque coget in pluias; rursus sedabit ventos, & aerem serenabit. Antecedens probatur; quia quod nature ordine, & dignitate omnem molè corporis antecedit, non minus totam ipsam molem, quam molis partem implere potest, atque mouere.

Ter-

Tertiò probatur eadem secunda propositio, quoniam id fieri posse, factumque fuisse dicunt Hippocrates Chous, Theologi Mauris & Arabes cōfiterantur, Manrothum Princeps Auicebron, & Arabum Auicenna, Porphyrius, Proclus, & omnes Platonici.

Respondetur primam, & secundam propositionem dupliciter intelligi posse; Vno modo, vt possit homo supernaturali Dei auxilio, & Spiritus sancti gratia preueniente supra totius naturæ gradū, ac vires eleuari, & diuinæ nature confors fieri; ac Dei filius, & mentis affectusque puritate factus similis Angelo, possitque diuina virtute Mundi huius elementa mouere, ventis imperare, &c. non tamen hac ei facultate per modum habitus inhzēte, sed illi, cum Deo placuerit, influxa veluti instrumento; & ita certum est, plures Sanctorum circa præcipuas Mundi partes fecisse miracula, vt patet Iosue 10. vbi dicitur: *Tunc locutus est Iosue Domino in die, qua tradidit Amorrbæum in conspectu sitiorum Israel, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne moueris, & Luna contra vallem Aialon. Steteruntque Sol, & Luna, donec vinceretur se gens de inimicis suis.* & 3. Reg. 18. ad preces Helix ignis descendit de Cælo consumens oblatum Deo sacrificium; sic enim ait Scriptura: *Cecidit autem ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides, puluerem quoque, & aquam, que erat in aqua ductu lambens.* & 4. Reg. 1. duo quinquagenarij cum suis quinquaginta viris, igne ad inuocationem Helix de Cælo descendente; narrantur occisi, sic enim ibi loquitur sacer Textus: *Respondensque Helias dixit Quinquagenarij: Si homo Dei sum, descendat ignis de Cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos; descenditque ignis de Cælo, & deuorauit eum, & quinquaginta, qui erant cum eo, &c.* Alia præterea sunt innumera per Sanctos patrata miracula circa Mundi huius elementa, nubes pluuias, ventos, mista, plantas, bruta, homines viuos, ac vita functos, quæ partim veteris, partim noui testamenti narrat historia, & alia plurima rerum gestarum recentent Ecclesiastica monumenta. Alio modo possunt intelligi dictæ propositiones, vt secundum ordinem naturalem à Deo in humana natura constitutum possit homo, vel anima per influxum Dei generalem

in intellectum, & voluntatem viribus suæ naturæ in Angelum secundum esse naturale transferri, ac Dei filius effici, sicque Mundi partibus imperare; & hunc sensum videtur habuisse Ficinus, vt patet ex illius discursu supra notato. Ficinus cuius conclusio sententiam exprimit Auicennæ, & aliorum Philosophorum, qui mirabiles illos effectus virtuti secundum ordinem rerum naturalem animæ congruenti tribuebant. Et in hoc sensu necdum falsa, sed planè fatua est vtraque propositio. Prima quidem, quia supponit animam in Angeli naturam posse vi sua naturali transformari, quod multipliciter absurdum est.

Primò, quia rationalis animæ natura incorruptibilis est, atque ideò substantialiter immutabilis. Secundò, quia contradictio manifesta est, animam esse formam corporis, & esse Angelum; nam si forma corporis est, substantia incompleta est, quia compositi pars est: si verò Angelus est, iam completa substantia est, cui compositi partem esse repugnat. Tertiò, quia si anima fieret Angelus, eius etiam acciperet operandi modum, sicque intelligeret absque phantasmate, & sine discursu, & immobilem haberet apprehensionem, & affectum. Et alia plura similia sequuntur absurda, de quibus non est dicendum per singula.

Secunda etiam propositio falsa est, nec eius probationes aliquid valent. Ad primam enim negatur illatio; non enim illud omne, quod aliud excedit gradu, seu dignitate naturæ, vim habet ad illud efficaciter immutandum; alioquin homo quilibet suæ voluntatis imperio, & virtutis efficacitate posset vniuersa alterius nature corpora transmutare, & species brutorum ignobilium, plantarum, mixta, & elementarum, nobilium brutorum, puta Leonis, aut Aquilæ nutu, virtutisque mutarentur, & plantarum vi cætera mixta, & horum actiuitate mutarentur elementa. Quod autem aliquid per imaginationem operetur anima nonnunquam in corpus alienum, non ex anima prouenit efficacitate, sed ex praua corporis dispositione, ac spirituum commotione, & diffusionem, quæ veluti actiua corpora, passim sibi propinquum, & plene dispositum possunt naturaliter immutare: talis verò propinquitas, & dispositio non inuenitur in quolibet

extrinseco corpore respectu animæ, quantumuis nobilis, ac moralium virtutum prædita fuerit excellentia; cum præsertim actiones intellectus, & voluntatis sine immanentes, nec quidquam operetur anima circa externâ corpora nisi medio corpore, tamquam organo naturaliter illi coniuncto, ad cuius actionem suscipiendam non omnia corpora sunt disposita, nec situ propinqua.

Ad secundam negatur sequela. Ad eius probationem negatur antecedens. Ridiculum enim est afferere, animam morali virtute perfectam esse animam Mund, siue ponatur, vt Mundum informans, siue ponatur, vt illi tamquam motor assistens; anima namque virtutibus exornata Mundo superior est, non efficiendi, mouendiue potestate, sed contemplationis, & affectus circa res spheris his visibilibus superiores excellentia. Rebus enim immobilibus virtus anima per cognitionem, & amorem, & in eas quodammodo transformatur, sicque ad eorum ordinem corporeis omnibus altiore eleuatur.

Ad confirmationem dico primò, determinatam esse à natura cuiuslibet speciei viventis magnitudinem, & augmentum, puta decem cubitorum in humana specie, vt sublatori quantitate non possit existere. Secundò dico, nullam esse consequentiam; quoniam animæ naturaliter, ac per se conuenit corpus, cui veluti forma coniungitur, viuificare, ac proinde mouere, rationis autem, & voluntatis actibus non est insita virtus à natura ad partes vniuersæ præcipue verò longè distitas immutandas; Actus enim immanentes suapte natura nihil exterius operantur, tam etsi virtute supernaturali multa possint efficere mirabilia. Ad probationem autem antecedentis negatur assumptum ob supra dictam causam.

Ad tertiam probationem ex auctoritatibus philosophorum dico, si de naturali facultate loquatur, errorem eorum esse palpabilem, & execrandum, vt doctrinæ de Christi diuinitate contrarium, ac fidei veritati per miracula confirmatæ maximè noxium.

Contra quartam, & quintam conclusionem nulla producant oppositæ sententiæ defensores argumenta, sed opinio-

nis suæ declaratione, aut obiectionum solutione suo se satis instituto fecisse crediderunt.

Contra sextam conclusionem argumentatur Abulensis in dicto. Paradoxo. 2. 2. Fascinato in animalibus peccat ex quidam pestifera qualitate naturali existente in aliquo animali per modum cuiusdam zericodinis; ac qualitates naturales operantur naturaliter non subdite arbitrio nostro; ergo nec qualitas fascinatoria subest arbitrio nostro, sed naturaliter operatur, ita vt patulis oculis existens a fascinatorio spiritus egrediantur, qui inuisis eis, quorum spiritus sunt, quoscumque obuios parum distantes, atque ad corruptionem dispositos fascinent. Minor probatur exemplo eius; qui manum habet calidam, aut frigidam, quam si quis ad iunxit alteri etiam eo inuiso, calidum, aut frigidum corpus, cui applicatur, efficit.

Respondetur: Maiorem dupliciter intelligi posse; Vno modo, vt fascinatio ex ea qualitate proueniat vt primo mouente, & agente existens, quæ sunt in animalibus, vel homine, & hoc modo falsa est illa propositio; primam enim mouens ad actum fascinandum est hominis fascinatoris qualitas voluntas, vt antè diximus. Alio modo, vt ex ea qualitate, siue spiritibus infectis procedat, vt ex causa quasi materiali, & efficiente proximo; & in hoc sensu vera est dicta propositio. Ad minorem autem dico quod naturales qualitates, & spiritus illos veneniferos naturaliter operari, sed eorum exhibitionem, & applicationem ad agendum ex voluntate quandoque dependere saltem indirectè, & consequenter, vt in re proposita, declarauimus ex doctrina De Thomæ.

Contra octauam conclusionem argumentatur Marsilius Ficinus. Primò; Magnam habet vim Maleficæ phantasie; ergo ratio benefica eorum hominum, qui diuino quodam beneficio præceteris complexionem temperata, celestique sunt præditi, necnon puris, & modicis nutritis cibis, honestis præterea, diuinisq; moribus educatis vim habet in duplo maiorem circa corpus illud, in quod est affecta. Consequencia probatur; Quia ratio superat phantasiam, & bonitas malum. Confirmatur argumentum primò ex dicto

Abulensis.

Marsil. Ficinus.

2. 2. 2.

Zoroastris ita loquens: *Si mentem ardentem ad opus pietatis intenderit, labile corpus seruabis.* Secundò, quia talia quædam miracula facta ab Apollonio Theaneo Philosopho narrat Philostratus. Tertiò, quia Pythagorici multi affirmant, similia quædam gesta fuisse à Pythagora, Empedocle, & Philolao. Quartò, quia Iamblicus ait, Pythagoricos, quoties narrantur miracula, facile solitos credere, illa à Deo per diuinas animas fieri. Postremò loca nonnulla Platonis adiungit.

Respondetur, nullam esse consequentiam, quia malum ex quolibet singulari defectu resultat, bonum autem non nisi ex integra causa confurgit. Ad eius probationem negatur illatio. Quia ratio superat quidem phantasiam nobilitate obiecti, & operationis ab organo corporeo penitus separatæ, non autem actionis efficacitate, quam in corpus alienum exerceat immediatè. Per phantasiam enim, & appetitum sensitium, & alias potencias organicas ratio operatur ad extra: & quia malum unico defectu constituitur, facile est rationi malignanti nocere, media phantasia spiritus corporis veneniferos commouendo modo superius explicato. At nullius corporis quantumvis perfectò temperamento donati spiritus adeò possunt esse salubres, ac efficaces, vt actibus phantasia, & appetitus medio motu cordis excitati corpus alienum febris, lepra, epidemia, aut aliis quibus infirmitate laborans pristina valeant restituere sanitati. Quod itaque ratio, quæ longè nobilior est phantasia non efficiat in alieno corpore sanitatem, non eius impotentia, sed spirituum corporeorum inefficacitati tribuenda est. Bonitas autem exuperat malum, non solum nobilitate, sed etiam efficacitate, simpliciter, & absolutè loquendo, quoniam vt ait Sanctus Doctor in tertio sententiarum dist. 27. quæst. art. 3. ad tertium, bonum non habet de necessitate admissionem mali, sicut malum habet de necessitate admissionem boni: & præterea bonum agit in virtute propria, sed malum agit in virtute boni, vt etiam ait Dionys. 4. cap. de diuinitatibus. Nequaquam sequitur, esse facilius inducere sanitatem, quam aegritudinem, quoniam vt sæpè notat ex Dionysio Sanctus Doctor, & præsertim in prima secundæ

S. Thom.

Dionys.

quæst. 18. art. 4. ad tertium, quilibet singularis defectus causat malum; sed bonum non causatur, nisi ex integra causa, siue ex integritate bonitatis, & ideò facilius est huic agenti particulari malum causare, quam bonum; præsertim si medio agente, aut instrumento non magne virtutis operetur in passum contrarie dispositum. Quamuis itaque ratio maiorem habeat bonitatem, quam phantasia, ac proindè sit ea potentior ad agendum, quo ad proprias, quas longè nobiliores habet operationes, & effectus quam phantasia: quo ad eos tamen effectus, qui non nisi media phantasia, & alijs corporeis virtutibus ab ea procedunt, non est necesse maioris efficacitatis esse rationem; quia motus ex mouente recipitur in mobili secundum modum ipsius mobilis.

Ad confirmationes autem dico primò, nonnullos ex antiquis illis Philosophis diuinarum reuelationum fuisse participes media populi Hebraei traditione, seu doctrina in Aegypto multis communicata, & fortasse publicè diulgata, quam Plato, & alij sapientia conquirenda gratia peregrinantes apud Aegyptos ab eorum Sapientibus voce, aut etiam scripto traditam receperunt. Secundò dico: Magiam Zoroastris, vt vanam, & superstitionibus plenam ab illustribus Authoribus condemnari, ac præsertim à Plinio lib. 30. historiae naturalis cap. 1. & Ioanne Pico Mirandolano, quem refert Ioan. Franciscus eius nepos lib. 7. de rerum prænotione capit. 11. quamquam non desint asserentes cum Platone in Alcibiade, Magiam Zoroastris nihil aliud fuisse, quam naturæ, & diuinorum peritiam: quod etiam affirmat Michæl Medina in allegato lib. 1. de recta in Deum fide cap. 7. fol. 9. Procli verò Platonici, & Apollonij Theanei Magias, vt sacrilegas, & dæmoniacas impugnat acerrimè dictus Ioannes Franciscus Picus cap. 5. & 10. libri illius septimi de rerum prænotione; quibus non ab similem fuisse Iamblici, Pythagoricorumque Magiam existimandum est, licet hanc, vt in numerorum præcipue rationibus mysteria disquirentem, illicitis dæmonum artibus, pactio nibusque minus implicitam esse, & fortasse penitus ab eis alienam sapientem multi crediderint.

Contra vltimam conclusionem sunt argumenta, quæ refert

Plinius.

Io. Fr. Pic.

Plato.

Mich. Medina.
Magis diuulsiorem.

Martinus. fert. & solus Martinus predictus loco supra notato, scilicet libri. cap. 3. quest. 4.

QVAESTIO III.

An per Chrysopetam, siue Alchimiam effici possit

Verum aurum.

SENTENTIAE DOCTORVM.

Physice Magie pars est Alchimica, tam speculatiua, quam practica, cuius principium studium est, viliora metalla in aurum metallorum omnium perfectissimum aut saltem in aliquid illi valde simile transmutare. Variæ namq; sunt Philosophorum, & Theologorum de huius artis efficacia sententiæ.

Albertus. Albertus enim Magnus lib. 3. de Mineralibus cap. 9. satis aperte docet, alchimica facultate ministrâ posse verum aurum à natura, veluti agente principali produci, ita ut, quemadmodum periti Medici purgatiuis medicinis adhibitis corruptas, & noxias humanis corporibus materias eijciunt, & præ alia remedia corporis humani virtutem corroborant, ac sanitati restituunt, sic artis Alchimie professores argenti viuis & sulphuris materiam metallis omnibus non firam purgantem corroborant, ut virtute naturæ principaliter operantes verum aurum educatur, & fiat.

Quod enim (inquit Albertus) virtutes elementares, & celestes faciunt in vasis naturalibus, hoc etiam faciunt in vasis artificialibus, si artificialia formantur ad modum vasis naturalium, & quod facit natura calore Solis, & ballatum, hoc faciet ars calore ignis, dummodo sic contemperetur, ut non excedat virtutem se mouentem, & informantem, quæ est in metallis huius enim celestis inest virtus, quæ primò commisit eam, & hæc inclinatur ad hoc, vel ad illud per artis iuuantem.

Hæc Albertus. Quam sententiam Cardanus lib. 7. de subtilis multis nititur argumentis stabilire. Quæ magna Chymicorum turba auri cupidissima secuta est. Hæc opinio-

nem esse valde probabilem affirmat Martinus Destrus lib. 1. cap. 5. quest. 1. sect. 3.

Oppositam sententiam tuetur Auerroes in Paraphrasi ad primum librum de generatione animalium c. 1. dicens, arte Chymica verum aurum effici non posse, sed aliquid illi simillimum, quod eiudem videatur esse nature; sicut inquit Auerroes) ex putri materia mures generantur, ijs adeo simile, qui generantur ex semine, ut eiudem esse speciei vulgo credantur.

Eandem sententiam sequitur S. Doct. in secundo sententiarum dist. 7. quest. 3. art. 1. ad quintum, ubi sic loquitur: Ars virtute sua non potest formam substantialem conferre, quod tamen potest virtute naturalis agentis; sicut patet per hoc, quod per artem inducitur forma ignis in lignis; sed quedam forma substantiales sunt, quas nullo modo ars inducere potest; quia propria materia, & passiva inuenire non potest; sed in his potest aliquid simile facere, sicut Alchimista facit, aliquid simile auro, quantum ad accidentia exteriora; sed tamen non faciunt verum aurum, quia forma substantialis auri non est per calorem ignis, quo vtuntur Alchimista, sed per calorem Solis in loco determinato, ubi viget virtus mineralis, & ideo tale aurum non habet operationem consequentem speciem, & similiter in alijs, quæ eorum operatione fiunt. Hæc ibi S. Doct. Qui tamen in secunda secundæ quest. 77. artic. 9. ad primum, sub conditione loquens in neutram partem videtur declinare, adeo ut Caietanus inde colligat Sanctum Thomam non reputare impossibile fieri per hanc artem verum aurum, sed quoniam (inquit ibi Caietanus) nunquam, aut raro fit aurum, sed sæpius contrarium accidit; quia vimirum ex auro vero faciunt fatum, ideo huiusmodi ars, supponit humana, aut est principium est post consilium à sapientibus habitum. Sententiam D. Thomæ ex secundo sententiarum, relati sequitur, & declarat Aegydius quolibet 3. quest. 8. quam etiam approbat Abulensis in Exodum cap. 7. quest. 10. & quidam alij minoris notæ.

Benedictus Pererius lib. 1. de Magia cap. 14. tria dicit. Primum est: Nullam esse rationem philosophicam, vel doctrinariam, vel etiam admodum probabilem, quæ demon-

stetur rationem chemicam efficiendi verum aurum esse impossibilem.

Secundum est: Probabilissimè dici posse, chemicam rationem efficiendi verum aurum non quidem physicè, sed moraliter, ut a iuris loquendo, vel impossibilem, vel pro modo in possibilem videri, non propter villam rationem philosophicam, non adhuc ab illo sit allata, sed propter ipsam experientiam, quæ in rebus naturalibus, moralibus, atque artificialibus summi argumenti, si missis æq; rationis vim debet obtinere: docet autem experientia, neminem adhuc præter unum, aut alterum probatis proditum historijs, quem liquidè constat verum aurum, & omni ex parte probatum esse visisse.

Tertium est: Non tantum probabiliter dici, sed etiam pro verò certò posse confirmari, artem chemicam ea parte, quæ proficitur effectiorem auri verum, vanam esse, ac perniciolam Republicas, eandem ferè sententiam sequitur Valensia in suo comm. ad secundam secundæ quæst. 73. de vanis obseru. puncto 2. dicens neque eos, qui affirmare asseuerant transmutationem aliorum metallorum in aurum per artem chemicam esse possibilem, neque eos, qui absolute negant eam esse possibilem, facis prudenter, ac erudite loqui, sed eorum tantum sententiam esse veram, qui sibi perfradone transmutationem illam, etiam si fore possibilem per se sit, esse ratione ita difficilem, ut videri debeat esse supra humanam facultatem, atque ideò studio in illud chemicum esse communitè indifferendum, & periculosissimè, & illicitum ratione factem circumstantiam personarum, &c.

RESOLVTIO.

Per artem Chemicam non posse fieri verum aurum, secundum mentem D. Thomæ, cuius dicta, quæ videntur opposita, conciliantur.

Q Viam telas ferè omnes opiniones ex illis verbis, & dicens modo magis, quam re ipsa dissentire, & facile

Valensia.

est posse conciliari, ideo primò mentem Sancti nostri Doctoris Theologorum, ac Philosophorū facile principis diligenter inuestigabimus, ut ad eius sensum cæterorum omnium dicta reducamus, & ex fundamentis illi, cæterisque communibus argumenta diluamus. Colliguntur autem ex doctrina D. Thomæ in presenti materia septem propositiones ex quibus tres sunt vniuersales, & absolute, siue categoricæ, duæ sunt particulares hypotheticæ, siue conditionales, & alix duæ particulares absolute. Prima vniuersalis est: Nihil prohibet autem, nisi aliquibus naturalibus causis ad producendum naturales, & veros effectus. Hæc habetur in 2. 2. quæst. 77. art. 2. ad primum. Secunda vniuersalis propositio est: *Artis virtute sua non potest formam substantialem conferre, quod tamen potest virtute naturalis agentis.* Hæc habetur in 2. sentent. loco supra notato. Tertia, vbi in vniuersalis, id est nullam in speciali formam exprimens est: *Quadam forma substantiales sunt, quas nullo modo arti inducere potest, quia propria actiui, & passiuus igne non potest, sed in his potest aliquid facere simile.* Prima conditionalis est: *Si aurum, vel argentum ab Alchymicis factum veram speciem non habeat auri, & argenti, est fraudulenta, & iniusta venditio.* Secunda conditionalis est: *Si per alchymiam fieret aurum verum, non esset illicitum ipsum pro vero vendere.* Hæc duæ habentur in 2. 2. loco allegato. Prima particularis est: *Natura potest ex terra facere aurum alijs elementis commixtis, quod ars facere non potest.* Hæc habetur in q. 6. de Potentia artic. 1. ad 18. cuius sensum explicat illa, quæ habetur in 2. sentent. loco notato, videlicet: *Alchymista faciunt aliquid simile auro, quantum ad accidentia exteriora, sed tamen non faciunt verum aurum.* Secunda particularis est: *Aliquæ sunt utilitates, & proprietates auri veri, quæ non conueniunt auro per alchymiam sophisticato.* Hæc verò sunt quatuor. Prima est, proprietates lætificandi. Secunda est, medicinaliter iuuare contra quasdam infirmitates. Tertia est, posse populi frequentius in operatione. Quarta est, diutius in sua puritate permanere, quam aurum sophisticatum.

Ex his autem propositionibus certum est primò, duas hypotheticas nulli ex Categoricis vniuersalibus, aut particu-

9. Thom.

Auri veri proprietates.

DE MAGIA NATURALI.

ricularibus esse contrarias. Secundò constat nullam ex dictis categoricis alteri repugnare, sed magis vnius veritatem alterius firmandæ veritati suffragari.

Dubitatio tantum esse potest de prima vniuersali respecto primæ particularis. Prima namq; vniuersalis ad probationem secundæ conditionalis assumpta videtur significare, per alchimiam fieri posse verum aurum, alioquin frustra videretur assumpta. Sed bene consideranti perspicue patet, id in ea propositione, seu probatione nullo modo significari; erat enim conditionalis: *Si per Alchimiam fieret verum aurum, non esset illicitum ipsum pro vero vendere*, cuius probatio est: Nihil prohibet, idest possibile est, artem uti aliquibus naturalibus causis ad producendum naturales, & veros effectus; ergo si per alchimiam fieret verum aurum posset licite pro vero vendi.

Antecedens probatur auctoritate Augustini in 3. de Trinit. cap. 8. consequentia patet; quia veri, & naturales effectus habent perfectam, & naturalem sui generis nobilitatem, & proprietates, ac operationes, etiam naturales. In quo discursu patet, ad plenam eius efficaciam sufficere veritatem illius propositionis in sua vniuersalitate sumpta, videlicet: Possibile est, artem uti aliquibus naturalibus causis ad producendos veros, & naturales effectus, qui scilicet habent suas naturales perfectiones, proprietates, & operationes. Ex hac enim sequitur per necessariam, & euidentem consequentiam illa conditionalis; ergo si per alchimiam fieret verum aurum, cui scilicet conuenient naturales auri proprietates, liceret ipsum pro vero vendere, quicquid sit de veritate, aut falsitate huius particularis affirmatiuæ. Per alchimiam non potest fieri verum aurum. Et idem est, ac si probatio planior esset hoc modo: Quotiescumque possibile est artem uti veris, & naturalibus causis ad producendos veros, & naturales effectus, qui naturales habeant perfectiones, proprietates, & operationes, licitum est talis effectus pro veris vendere, ergo. Si per alchimiam fieret verum aurum, &c. Quam illationem planè constat esse necessariam, & euidentem.

Ex his sequitur primò consonantia dictorum Sancti Tho-

DE QUÆSTIONE III. 213

mas, quæ veluti contrarietatem præferentia tribus modis nititur conciliare Bergomas in sua tabula aurea dub. 94. Primus est: Aurum dici posse verum dupliciter, vno modo veritate essentia, alio modo veritate omnium proprietatū eius. Verum aurum priori modo fieri posse per alchimiam asserit S. Thom. in 2. 2. sed aurum posteriori modo verum fieri posse negat in sententijs, & alibi. Sed hæc solutio, siue conciliatio repugnat textui S. Thomæ in secunda secundæ, qui substantia, siue speciei veritatem coniungit cum naturalibus proprietatibus, & de vera specie, non autem de solis veris proprietatibus loquitur; immò ex vera specie auro conuenienti veras deducit in eo proprietates, sicut etiam in 2. sentent. Secundus conciliandi modus est, Sanctum Thomam in secunda secundæ, loqui de arte alchimie agente in virtute nature per applicationem agentium naturalium; in alijs autem locis loqui de arte in virtute propria. Sed falsitas huius responsionis perspicue patet legenti verba D. Thomæ ex 2. sentent. paulò ante relatã; ubi namq; loquitur manifestè de arte virtute naturalis agentis operante, & virtutes actiuas naturales passiuas applicante.

Postremus conciliandi modus eiusdem auctoris est D. Thomam in 2. 2. loqui de habentibus perfectam artem alchimie, in alijs verò locis de sophisticè agentibus ex ignorantia veræ artis. Sed hanc responsionem excludunt verba illa D. Thomæ in 2. sentent. *Sed tamen non faciunt verum aurum, quia forma substantialis auri non est per calorem ignis, quo venitur Alchimia, sed per calorem Solis in loco determinato, ubi viget virtus mineralis.* Vbi causam, cur per alchimiam fieri nequeat verum aurum, non refert in artificum ignorantiam, sed in causarum impotentiam, quibus hæc ars vititur necessario. Dicamus itaque, verba D. Thomæ bene perspecta vbiq; consonare, ut patet ex supra dictis.

Secundò sequitur, non esse satis consonam menti D. Thomæ expositionem: Cicerani in 2. 2. dicentis illum non reputare in possibile, per artem chemicam fieri verum aurum. iam enim constat D. Thomam, vbiq; negare per eam artem esse posse verum aurum.

Bergomas
us conciliatio
rejectione

Thomæ
in 2. 2.
sentent.

Cicerani
expositio
rejectione

Impo-

Impossibile esse per artem Chemicam fieri aurum verum veritate speciei naturalis, quamuis fieri possit aurum verum veritate communis estimationis, & conciliantur dicta Philosophorum.

Necessarium triplex.

VT autem D. Thomae sensus, & veritas, ac opinionum appareat consonantia, notandum est primo scetiam omnem circa ea solum cognoscenda versari, quae necessaria sunt: quorum triplex est ordo, siue gradus, Quaedam enim vniuersalitates habent simpliciter subiectorum, & temporum, vt Angelum esse intellectualem, & incorporeum, & hominem esse animal rationale, & haec dicuntur necessaria simpliciter; quaedam autem habent subiectorum, & temporum, vniuersalitates regularem, vt Lunam, aut Solem eclipsari, quia, scilicet semper inest subiecto praedicatum, non simpliciter, sed quando natum est inesse. Quaedam vero necessaria sunt vniuersalitates in habentia subiectorum, & temporum, vt in pluribus, quando praedicatum natum est inesse subiecto, vt animal generare sibi simile secundum speciem, cuius oppositum euenit, quandoque per accidens, vt cum ex defectu materiae, vel agentis monstrum generatur.

Et huius ordinis necessaria sunt ea, quae a scientijs physicis, tam speculatiuis, quam practicis, & ea, quae a moralibus considerantur, quamuis ad eas etiam multa pertineant, quae sunt in primo, vel in secundo necessitatis gradu. Iam autem diximus aurifariam partem esse scientiae physicae practicae; illud igitur tantum ad eius attinet scientiam, & praxim, quod vt plurimum euenit ex causis efficientibus ad materiam secundum ipsius artis regulas applicatis. Et, quoniam id, quod impossibile est esse, id est cum eo, quod necessarium est non esse, cum equipollentes sint apud logicos haec propositiones, Impossibile est esse, & necesse est non esse, sequitur, totum impossibile esse gradus, quot & necessarium, ac proinde propositionem illam; Impossibile est per artem

chi-

chemicam fieri verum aurum esse de physica falsoem impossibilitate intelligendam.

Secundo sciendum est ex D. Thoma in 1. sent. dist. 10. quae. 1. art. 5. differre specie id, quod est a natura ab eo, quod est ab arte, & id, quod est per putrefactionem ab eo, quod est per seminationem, non solum quando verumque ab vno agente particulari producit, sed etiam quando producit vnum ab agente vniuersali, & aliud ab agente particulari; quod satis aperte significat Sanctus Doctor p. p. quae. 71. artic. 1. ad primum, dicens: *Vnde illa, quae naturaliter generantur ex semine, non possunt naturaliter sine semine generari.* Et de veritate quae. 12. artic. 2. proponens quartum argumentum ait: *Diversus modus generationis est indicium diuersitatis speciei; unde mures generati ex semine non possunt esse eiusdem speciei cum illis, qui generantur ex putrefactione, vt Comment. dicit Octauo Physic. &c.* Cui argumento respondens ait: *Causa naturales habent determinatos effectus, cum earum virtutes sint finita, & limitata ad vnum; & ideo, quae a diuersis causis naturalibus producantur in esse secundum diuersum generationis modum, oportet esse specie diuersa; Quod idem etiam admittit, vt verum in 1. sent. dist. 13. quae. 1. artic. 1. respondens secundo argumento assumentis, in omnibus habentibus nam naturam in specie non esse, nisi vno modo, quo natura illa communicatur, atque ideo secundum Comm. mures, qui generantur ex putrefactione terrae, & qui generantur ex semine, non esse eiusdem speciei, & in 3. sent. dist. 13. art. 2. quae. 1. artic. 4. ad primum, sic loquitur: *Effectus proportionatus agenti differit specie secundum diuersitatem agentis. Vnde animalia generata ex semine, & ex putrefactione non sunt eiusdem speciei.* Et de Potentia quae. 1. artic. 1. ad sententiam ait: *Nec oportet eorum, quae sunt in genere, si specie differant, esse vnum modum procedendi in esse, vt patet per animalia generata ex semine, & ex putrefactione, quae in genere conueniunt, & specie differunt; quod idem alibi saepe docet S. Doctor, cum non aduertatur id, quod ait in septimo Metaph. text. 2. ubi namque duo dicit, alterum esse animalia perfecta non posse generari, nisi ex semine, animalia vero imperfecta, quae sunt vicina plantis, posse generari ex semine, & sine**

S. Thom. Genita ex semine, & genita ex putrefactione specie differunt.

Conciliatio.

& sine semine: alcerum est, posse animalia aliqua ex semine genita esse eiusdem speciei cum ijs, quæ ex putrefactione sunt genita; quod probat ex simili in plantis, quæ producuntur aliquando, sine semine per actionem Solis in terra bene disposita, quæ plantæ sic productæ emittunt semina, ex quibus plantæ similes in specie generantur. Ex hac verò similitudine nihil aliud inferri constat, nisi murem ex putredine genitum esse eiusdem speciei cū filio suo ex eius semine generato, non autem cum omni alio mure ex putredine genito; quia neque necesse est, mures omnes ex putredine genitos eiusdem esse specificæ differentiæ, vel nature, quamuis ex eis plures in eadem videantur, a thoma specie contineri, illi nimirum, quorum eadem sunt principia proxima generationis.

Dico ergo non esse necesse omnes mures genitos ex putri materia differre specie ab ijs, qui sunt geniti ex semine, & non assero, necesse esse omnes mures genitos ex putri materia differre specie ab ijs, omnib' quæ sunt geniti ex semine.

Secundò dico melius, necesse esse omnes mures genitos ex propagatione, & nullo modo ex putri materia, scilicet neque immediate, neque mediate, vt sunt omnes routes dependentes per successionem à masculo, & foemina creatis à Deo, differre specie ab ijs, qui vel immediate, vel mediate sunt geniti ex putrefactione, quia scilicet vel ipsi, vel aliquis ex eorum genitoribus est genitus ex putrefactione, & quod dicimus de muribus, dicendum est de quibuscunque alijs, quæ secundam speciem subalternam habet duplicem modum generationis; & ita saluatur veritas propositionis vniuersaliter, & formaliter sumptæ; nimirum genita ex putrefactione differre specie ab ijs, quæ generantur ex semine.

Cum igitur aurum sit metallorum omnium perfectissimum, & habeat in intimis terre visceribus naturalia sui generationis principia proxima ab ijs quam maxime differentia, quibus Alchimistæ dicuntur aurum efficere, consequens etiam est aurum virtute Solis concurrentibus mineralibus in terra sine reconditis, vt proximis causis generatum esse longè diuersum ab eo, quod Alchimistæ molis quibusdam alijs principijs tam efficiendis, quam materialibus

materialibus efficiunt. Differunt enim plusquam genere calor Solis, prout virtus est Solis, & calor ignis, prout ignis est virtus; calor enim, vt virtus est Solis, instrumentaria vis est vniuersalis, & æquiuocæ causæ ad longè plures, ac nobiliores effectus extensa, quàm calor ignis, aut quæcumque virtus corporis sublunaris.

Deinde, vt aurum secundum veram auri naturam, & speciem generetur, necessarius est non solum calor in materia minerali receptus, sed etiam frigus terræ naturale, cuius proprium est distinctam, fluentemq; materiam constipando solidare; his enim humiditati coniunctis, quam Lunæ virtus fouet, conseruat, & alit, virtus illa constituit mineralis, quàm S. D. ait in loco terræ determinato vigere.

Tertiò considerandum est, verum aurum dupliciter dici posse; Vno modo strictè, ac propriè, quod scilicet speciem habet auri naturalem, & eius proprietates, ac operationes ad eam naturaliter consequentes, & hoc per Chrysopetiam, seu Alchimiam fieri nullo modo potest, vt ait S. Doct. in 2. sentent. ob rationem ibidem assignatam, quia scilicet forma substantialis auri non est per calorem ignis, quo vtuntur Alchimistæ, sed per calorem Solis in loco determinato, vbi viget virtus mineralis. Alio modo dicitur verum aurum secundum communem vrentium estimationem, secundum quam illud communiter iudicatur habere veram auri naturam, quod in omnibus accidentibus, scilicet pondere, dardite, colore ad eò assimilatur aureo naturali, vt ab eo discerni minime possit, & pluries igne liquefactum, & aurificum consuetis probatum experimentis, immobile in sua natura, & accidentibus cum eadem similitudine ad aurum naturale persistat, quamuis quatuor illis careat proprietatibus, quas auro naturali conuenire diximus ex D. Thom. 2. 2. quæst. 77, art. 2, quæ, quia frequentioribus ac precipuis vrbibus auri nihil, aut parum conferunt, adeo contrahentes consuetæ probatione, & experimento coherent, hæc veluti parum conducètia, & subtiliorem considerationem requirentia non attendunt, sed in hoc igitur secundo sensu loquendo certum esse expedierim per artem chymicam causas naturales materiales

Corruptio
aurei
auro

Verum aurum
duplicitate

S. Thom.

condum ipsius artis regulas applicatam effici posse: nec enim aurum, idque regulariter, & ut in pluribus coenit, quam quod sapientissime fallantur Alchimistae, non ex ipsius artis defectu, sed ex eorum euenit ignorantia, aut errore practico, quia scilicet materiae non recte causas applicant naturales, ut auro verò producendo sufficient.

Concilian
ae opinio.
nes.

Et ex hac vnica distinctione sic explicata conciliari facile possunt opiniones omnes ante relatae. Albertus enim, Cardanus, & alij dicentes, per artem chemicam effici posse verum aurum, de auro verò loquuntur secundum communem estimationem. Auerroes autem, S. Thomas, & alij de vero auro strictè, & propriè loquentes sententiam tuerentur oppositam. Porro si Caietanus, Pererius, & Valentia, de auro verò loquantur secundum communem vrentium estimationem, verissima est eorum opinio: si autem verum aurum strictè, ac propriè sumptum existimant arte chimica, licet per artem fieri posse, non est eorum opinio, veluti probabilis admittenda.

Conclusiones deductae, & probatae.

Prima conclusio: Per artem Chemicam nequit effici verum aurum, strictè, & propriè dictum, quale illud est, quod in intimis terrae visceribus caelesti virtute generatur. Hac patet ex dictis, & ex ratione praecipue D. Thom. supra relata ex 2. sentent. & alijs argumentis, quibus vtuntur secundae sententiae defensores.

Secunda conclusio: Fieri potest aurum Alchimica facultate, quod sit verum secundum communem vrentium estimationem. Hanc conclusionem probant omnia argumenta, quibus vtitur Martinus Delrius pro defensione primae sententiae, & impugnatione secundae.

Tertia conclusio: Hac propositio, Per artem Chemicam potest fieri verum aurum (secundum communem, scilicet vrentium estimationem) est propositio per se, & necessaria necessitate physica. Probat, Quia regulae illius artis per se loquendo sunt infallibiles: at illae docent, & dirigunt ad efficiendum ex alijs metallis aurum verum secundum communem

munem vrentium estimationem; ergo quociescunque rectè, & sapienter artifex eis vltus fuerit, semper efficiet aurum verum secundum communem estimationem.

Vltima Conclusio: Ars artificina non ab omnibus vrentibus peritis, sed à solis verè sapientibus summa cum prudentia licitè potest exerceri. probatur primò; Quoniam experientia comperit, Alchimistas sapientissime falli, dum post expensas eorum facultatibus longè maiores, non aurum ex plumbo, aere, vel argento, sed ex auro fumum, & scoriam efficiunt, atque ideò scitè Caietanus ait, artem hanc, aut humanam non esse, aut solis Principibus post res consultas, cum sapientibus conuenire.

Secundo probari potest auctoritate Extrauagantis Ioannis XXII. sub titulo de Crimine falsi, sic de Chemicorum professione, & arte, prout ab eis exercetur, definiente: *Spondent, quas non exhibent, diuitias pauperes Alchimistae, & a viter, qui se sapienter existimant, in fontem incidunt, quam sectantur. Nam haud dubie huius artis alchimiae alterutrum se professores ludificant, cum suae ignorantiae conscij eos, qui supra ipsos aliquid huiusmodi dixerint, admirantur: quibus cum veritas quae nō suppetat, diem cernunt, facultates exhauriunt, vndeque verbis dissimolant falsitatem, vt tandem, quod non est in rerum naturas aurum, vel argentum sophistica transmutatione confingant; eoque interdum eorum temeritas damnata, & damnanda progreditur, vt falsis metallis eudant publicae monetae characteres, &c.* Denique probari potest hae conclusio septem alijs argumentis, quibus probat Valentia loco supra notato, Chimicae artis exercitium communiter esse indiscretum, periculosum, perniciosum, & illicitum, ratione saltem circumstantiae personarum, &c.

Argumenta, & solutiones.

Contra primam conclusionem sunt argumenta cuiusdam Iani Lacinij à Cardano collecta, & à Pererio Iani Lac. relata, quae tamen insoluta relinquit.

Primum argumentum est, Metalla sunt quaedam pura, & cocta, vt aurum, & argentum; quaedam, cocta, sed impura,

Io. A. 2.

Caietan.

Extravag.
Io. XXII.

Valentia.

vt

vt zs, ac ferrum; quædam cruda, & impura, vt vtrumque plumbum; sed impura repurgati, & cruda concoqui possunt; igitur ex ære, ferro, & plumbo aurum, & argentum fieri potest. Minor probatur ex Arist. 4. Meteororum, vbi de concoctione agit. De repurgatione vti dicitur dubium non est, quippe cum proprium sit ignis separando purgare.

Acidos.

Respondetur, duplicem esse repurgationem, & concoctionem. Altera est dispositiua, & inductiua formæ substantialis auri veri strictè, ac propriè dicti, & talis repurgatio, & concoctio per artem Chemicam effici nequit, quia non sufficit virtus ignis, quo vtitur hæc ars, ad hunc effectum.

Altera est dispositiua, & inductiua formæ substantialis, non quidem auri, sed alterius mixti valde nobilis, & auro, quam simillimi; & talis repurgatio, & concoctio fieri potest virtute ignis applicati metallis ab Alchymistis.

Secundum: Omnia metalla constant sulphure, & argento viuo, ergo possunt in aurum transformari.

Antecedens supponitur, vt verum. Consequentia probatur; Quia quæcumque similia sunt, facile in inuicem transmutantur, eoque magis, quod natura videtur semper perfectissimum intendere in omni genere, quale est aurum inter metalla.

Respondetur primò, posse fortasse metalla omnia Solis virtute concurrentibus alijs proximis causis necessariò requisitis in aurum transmutari, quod sit verum aurum, strictè, & propriè loquendo, nec tamen sit consequens, id arte chimica fieri posse.

Secundò dico, posse per artem quodlibet aliud metallum in aurum transmutari, quod sit verum, non veritate speciei naturalis, sed veritate communis æstimationis habentis illud pro vero.

Tertium: Ars est imitatrix nature, at natura concoquendo, purgandoq; ex sulphure, & argento viuo aurum, & argentum efficit; ergo idem etiam efficiet ars.

Respondetur, artem imitari naturam, sed non adæquare; & ideo facere poterit aliquid auro simillimum, non tamen aurum verum strictè, & propriè dictum.

Quartum: Ea dici debent secundum naturæ ordinem

copu-

copulata, & inuicem transmutabilia, quæ non habent omnino diuersas operationes, sed easdem in eo, tantum differentes, quod quædam habent eas imminutas, & imperfectas, velut fetus infantis comparatione, ouum pulli, aurelia pabilonis: At plumbum, zs, ferrum, & argentum nullas habent operationes ab auro distinctas, sed eas tantum, quas illud habet, vt potè liquefcere, duci, graue esse, nitere, ignibus resistere, easdem habent hæc, sed viciatas, & imminutas; non enim ita splendent, non sunt adeò graua, minus resistunt ignibus, &c. igitur hæc dici debent aurum imperfectum, & beneficio artis perducì queunt ad perfectionem auri.

Respondetur, ex duabus præmissis assumptis in argumento, nihil aliud rectè posse deduci, nisi metalla omnia in aurum esse transmutabilia, quod virtute Solis, alijs etiam proximis causis concurrentibus effici posse concedimus.

Argumentator autem contra regulam deducit secundum fallaciam consequentis, id fieri posse per artem.

Contra eandem conclusionem argumentatur Petrius. Primò: Vel impossibile est per artem chemicam fieri verum aurum, quia nihil eorum, quæ fiunt à natura, potest fieri ab arte; aut quia nihil eorum, quæ sunt in genere suo perfectissima, potest produci nisi vno modo, id est solum ab agente suo naturali, aut quia aurum naturale generatur virtute caloris cœlestis, aurum verò chemicum efficitur calore igneo, qui duo calores, cum multum inter se differant, non poterant eundem effectum præstare: sed hæc rationes omnes sunt deficientes; ergo.

Petrius.

Probatür hæc minor; & primò, quo ad primam rationem; quia generatio multorum animalium, aliarumq; rerum sic opera, & ministerio artis non secus, quam à sola natura: quo ad secundam autem; quia voluntariè assumitur illa propositio: quo ad tertiam verò; quia falsum est, calorem cœlestem, & igneum specie differre; quod probatur, quoniã ab eodem contrario, hoc est à frigore similiter corrumpuntur, & ab eadem causa interdum producuntur, nimirum à lumine, cum se inuicem intendunt, atque augeant. Secundò: quoniam vterq; calor ad productionem ignis, & mixtorum simili ratione conducit.

X

Re-

Respondetur, tres illas rationes esse congruentes, sed precipue tertiam. Ad primam impugnationem dico primo, animalia per artem genita non esse eiusdem, sed simillime speciei cum illis, quae generantur a natura, nisi forte per artem applicentur omnes illae causae naturales, ex quibus animalia illa generantur, ut accidit in generatione vesparum, crabronum, & scarabeorum ex cadaueribus animalium; quae per artem in locis cadauerum putrefactioni, & generationi congruis possunt facile collocari.

Ad impugnationem secundam dico, rationabile valde esse, per se & in se, generationem in quolibet ordine non fieri pluribus modis, sed vno tantum.

Ad argumentum contra tertiam, quae est Sancti Thomae, dico calorem illos specie differre: ad primam probationem in oppositum negatur illatio: calor enim in ligno, vel aqua causatus a Sole duplicem habet perfectionem sola ratione distinctam: altera est, qua potentiam aetuat, perficitque subiectum, ita ut sit vere, & proprie calidum, & secundum hanc potest calorem ignis intendere, & ab eo similiter intendi, non quia sit eiusdem rationis specifica, sed quia altioris ordinis est, & nullam cum calore ignis habet repugnantiam, a frigore tamen corrumpitur quasi per accidens, quia capacitatem eius remouet a subiecto.

Altera eiusdem caloris perfectio est, ut sit virtus, & actio physica Solis agentis in toti subiecto recepta, & secundum hanc multos potest effectus operari, quos non potest calor ab igne productus, sicut etiam Sol causa longe potentior est, quam ignis. Nec Pererio concedimus lumen ignis eiusdem esse rationis specificae cum lumine Solis: comparantur enim, ut virtus vniuersalis, & particularis: Ad secundam probationem negatur assumptum ob causam superius assignatam.

Secundo: Experientia manifeste ostendit quaedam animalia similiter generari posse calore igneo, atque calore caelesti. Nam apud Aegyptos pulli calore igneo ex ouis in furno positae excluduntur, atque procreantur, ut refert Iulius Scaliger contra Cardanum.

Respondetur primo, calorem caelestem pullos nunquam gene-

generare, nisi ut virtutem vniuersalem operantem, medio calore agentis particularis, puta gallinae, vel ignis. Secundo dico, calorem illum extrinsecum incubantis animalis, aut ignis, vel furni calefacientis, oua non esse vim actiuam principaliter ad pulli generationem operantem, nam virtutem principaliter operantem ex Galli compressione, siue coitu receperunt oua in sui generatione, sed calor ille dispositio quaedam est corroborans inditam ouo virtutem generatiuam, ut per eam fieri valeat pulli generatio, quemadmodum virtus eorum hominum generatiua, qui vel ex temperamenti, vel ex senectutis conditione minus habiles sunt generationi, quibusdam solet remedijs medicinalibus adhibitis roborari, nec tamen eorum virtute dicitur homo generari, sed virtute tantum hominis generatiua medicinalium externa virtute roborata. Vnde etiam pullus vnius speciei fouens oua gallinae alterius speciei pullos educit, quod etiam in auibus accidit diuersae speciei.

Postremo arguit ex Plinio lib. 33. cap. 4. dicente, posse aurum ex auri pigmento generari, & ita suis temporibus effectum esse, fuisseque illud aurum excellens.

Respondetur primo: Ex auri pigmento fieri aurum, educendo, & vniendo virtute ignis minutissimas auri particulas, auri pigmento commistas; sic autem nulla generatio est, sed separatio. Secundo dico, non plene constare, num aurum illud veram prorsus habere auri naturam.

Contra eandem conclusionem argumentatur Martians. Primò: Multarum rerum causae naturales nos latent, & potest haec esse de illarum numero; multa quoque sunt naturaliter, quae quis propter causarum ignoracionem, si facta certo nesciat, vel neget facta, vel non facta naturaliter contendat; ergo.

Respondetur, nullam esse consequentiam; nihil enim aliud inferri potest hoc argumento, nisi leuissima quaedam suspicio, quam ratio S. Doct. ex 2. sent. supra posita sufficienter excludit.

Secundo: Illa Magorum industria, qua mutarunt angues in virgas, & e conuerso, iuxta B. August. naturalis mutatio fuit, quae tamen mirabilior est haec, de qua nos agimus.

Respondetur primò, multos Patres, & Doctores afferuisse Magorum miranda facta coram Pharaone non fuisse reales effectus, sed mera præstigia sensus intuentium ludificantia: ita S. Iustinus Martyr in responsionibus ad questiones Orthodoxorum q. 76. Tertullianus in libro de Anima, Gregorius Nissenus, Ambrosius in comment. 2. ad Thimothæum tertio capitulo, Græcus Interpres à Glossa relatus, Rupertus Abbas lib. 1. comm. in Exodum, & alij. Secundò dico, mutationem illam virgarum in dracones, & e conversò factam fuisse virtute Dæmonum, ut aiunt Augustinus, Tostatus, Caietanus, & alij. Constat autem Dæmones cognoscere perfectissimè semina rebus naturalibus indita, & ea posse citissimè ex oppositis etiam Mundi terminis congregare, & ligno, vel alteri materiz ad res alias ex ea generandas applicare, cui notitiæ, & facultati constat hominum cognitionem, & potentiam minimè posse comparari. Tertio dico, generationem earum rerum, quæ Dæmonum virtute facta sunt à Magis, non postulare locum determinatum, sed ubiq; ferè fieri posse, si falsius applicentur activa.

Tertio: Calor ignis vim habet transformandi metalla per varias alterationes, liquationem, separationem, congregationem, & alias huiusmodi, sicut calor natus cibum potest variè conformare, priusquam augeat, & incrementum præbeat ipso alito: nec minus est miranda illa cibi, puta pomi in carnem, quam hydargiri in aurum commutatio; ergo: Et confirmatur: Quia si singulas illas alterationes consideres, quas Christophori requirunt, etiam qui plurimas, nullam inuenies, quæ vires ignis in materiam dispositam agentis excedat.

Respondetur, falsum esse antecedens quò ad veramque partem; nam loquendo de transmutatione secundum veras, & reales, & non tantum æstimatas metallorum formas, non potest vnum in alterum ignis virtute mutari ob sæpè dictam causam. Quod autem calore natus cibum mutetur in carnem, opus naturæ est, sicut etiam in locis mineralibus virtute naturæ cæterorum species metallorum vertuntur in aurum; non est autem ars in suis operibus naturæ æquiparanda.

Ad

Ad confirmationem dico, alterationes illas omnes, prout ordinantur, ut dispositiones ad veram, & naturalem auti formam inducendam excedere vim ignis naturalem. Et ex his solvantur alia eiusdem auctoris argumenta ex Pererio, & alijs mutuata.

Postremò profert argumentum ex narrationibus diuersorum asserentium, metalla in verum aurum à pluribus Alchimiz professoribus fuisse mutata.

Respondetur primò, narrationes illas ex multis partibus esse de falsitate suspectas. Vel enim ab Alchimiz prodierunt, quibus nulla fides est adhibenda, ut satis perspicuè significat Summus Pontifex in Decretali, & multi Chemicorum fraudes ab eis etiam publice confessæ testantur, & paupertas comes eorum perpetuis illos diuitias falsis omnibus promittentes manifestè falsitatis accusat.

Deinde non plenè constat, aurum, quod asserunt ab Alchimiz fuisse factum, strictè, & propriè fuisse verum aurum, quamuis fortasse potuerit esse verum aurum secundum communem veticum æstimationem, ut antè diximus. Mitto præstigia fieri possibile dæmonum ministerio, ad quos re desperata Chemicij tandem confugere cõsueverunt.

Contra secundam, & tertiam conclusionem ea produci possunt argumeta, quibus videntur secundæ sententiæ defensores pro sua cõclusionè confirmanda, quæ primo loco posuimus. Ea refert, & soluit Martinus lib. 1. c. 5. q. 1. sect. 2.

Superessent hic nobis quatuor aliæ quæstiones definiendæ. Prima est de diuinatione ex elementis, meteoris, plantis, arboribus, & animalibus. Secunda de coniectatione Medicorum. Tertia de coniectura physionomica, & chiromantica. Quarta de diuinatione ex somnijs. Sed de his commodius agemus in sequenti controuersia.

Q V A E S T I O I V.

An Magia Mathematica sit alicuius efficacie.

Ioannes Picus Mirandulanus in suis conclusionibus tres habet ad Magiam Mathematicam pertinentes. Prima, quæ

X 3

quæ

S. Iustinus

Tertull.
Nissenus.
Ambros.
Græcus.
Rupertus.August.
Tostatus.
Caiet.

Martinus.

Io. Picus.

que apud eum inter Magicis conclusiones est vigesima-
 trias hæc est: Quilibet numerus præter ternarium, & denarium
 sunt materiales in magia, isti formales sunt, & in magia Arith-
 metica sunt numeri numerorum. Secunda immediatè sequens
 est: Ex secretioris philosophia principijs necesse est confiteri plus
 posse characteres, & figuras in opere Magico, quam possit qua-
 cunque qualitas materialis. Tertia huic annexa est: Sicut
 characteres sunt proprii operi Magico, ita numeri sunt proprii
 operi Cabala, &c. In Apologia verò sensum harum conclu-
 sionum explicans ait, characteres, & figuras veram, & na-
 turalem habere a diuinitate secundum omnes philosophos
 eam in agendo, & quæ in modo agendi, & patiendi, seq; de
 tali a diuinitate loqui in suis Magicis conclusionibus, & licet
 (inquit) secundum Peripateticos longè minoris sint actiui-
 tatis, & virtutis, quàm sint qualitates materiales, tamen
 dicentes Pythagorici, quod sicut mathematica sunt forma-
 liora physicis, ita etiam actualiora, & sicut in suo esse mi-
 nus dependent, ita etiam in suo opere. Tandem addit, id
 quod dixit de potentia Mathematicorum, indifferens esse
 ad fidem, seq; id affirmasse, non ut in se, & absolute verum,
 sed ut consequens ad secretam philosophiam Pythagoricam,
 quorum (inquit) sententia est, numeros esse formaliores, ac
 præiudicè etiam actualiores, & inter numeros impares ter-
 narium, eo quod sit primus impar, & primum in vnoquoq;
 genere est perfectissimum in illo genere, & inter pares de-
 narium, qui est omnis numerus, ut patet, ab eo enim ultra
 numeramus per replicationem.

Quædam.

Caietanus 2. 2. quæst. 98. art. 2. loquens de imaginibus
 astronomicis ait figuram, tamen si nullius actionis natura-
 lis principium esse videatur, esse tamen comp. principium, &
 dispositionem ad formam, quæ est naturalis actionis prin-
 cipium; sicut enim (inquit) figura hominis est consequens
 formam hominis, ita similis figura est dispositio in materia
 ad suscipiendum formam hominis, & figura cuiuscunque
 organi naturalis pura cordis, hepatis, manus, &c. inter di-
 spositiones sunt ad formas organicas, & ad operationes,
 non quædam figura, sed quædam virtus terminata, &c. quædam
 corpusculum naturam habentem, &c. magiam habentem.

Ex

Ex quo de luce nihil prohibere, quin figura, quæ humi-
 no ministerio terminare ponitur tale corpus sub tali syde-
 re, sit veluti quædam secunda stella propter conformitatem
 ad tale sydus. Quam sententiam Montagnolius in anno-
 tatione ad eundem articulum affirmat esse probabilem.
 S. Thom. in allegato art. 2. ad secundum, negat figuram
 esse actionis naturalis principium; & in 4. sentent. dist. 2.
 q. 1. artic. 2. quæst. iuncta 1. ait, quantitatem sentire ex
 parte materiz, qualitatem autem ex parte formæ, & ideo
 quantitatem non agere, nisi mediante qualitate, quæ est per
 se actionis principium; & in 3. cont. gent. cap. 105. ait, per
 figuras non disponi materiam, ut sit in potentia ad aliquam
 formam, quia figura abstrahit secundum suam rationem
 ab omni materia, & forma sensibili; & in lib. 2. cap. 41. in
 fine ait, Pythagoram sua illa rerum principia constituisse,
 non per modum principiorum agentium, sed per modum
 formalium principiorum, sub quibus veluti generibus om-
 nia alia comprehenduntur, ut patet ex Aristotele in primo
 Metaphys. cap. 5. lect. 8. commentarij D. Thomæ.

Montagnol.

S. Thom.

Montagnol.
 Sicut dicitur
 in 100. artic.
 2. quæst. 1.

Aristot.

Io. Francis-
 cus Picas.

Ferrarien.
 Valentia.
 Martines.
 Suarez.

Eandem sententiam sequitur Ioannes Franciscus Picas
 lib. 7. de prænotione cap. 4. in fine dicens, apud Aristocle-
 lem, & omnes Philosophos esse compertissimum, actiuas
 virtutes inesse non posse figuris, litteris, & characteribus.
 Quod idem etiam affirmat Ferrarien. super dicto cap. 105.
 Valentia super dicto artic. in 2. 2. Martinus lib. 1. cap. 3.
 q. 1. in fine, Suarez lib. 2. de superstitione cap. 15. num. 19.
 & alij Theologi communiter.

RESOLVTIO.

Mathematica scilicet quætitates, numeros, & figuræ
 nullius actionis, aut passionis esse posse principia.

Recolendæ sunt hic primò illæ vulgatissimæ differen-
 tiæ, quas scholastici omnes inter tria præcipuarum
 scientiarum realium obiecta constituunt, dicentes,
 fcs à Metaphysico consideratas à materia penitus esse se-
 para.

X 4

para.

paratas tant secundum rationem, quam secundum esse. Mathematicæ verò cognitionis objecta rationis quidem actu velut à materia sensibili disjuncta considerari, sed verè secundum esse materiae eidem sensibili copulari. Physicam autem eruditionem in eorum rerum contemplatione versari, quæ neque secundum esse, neque secundum rationem abstrahunt à materia. Dupliciter itaque possunt à nobis considerari Mathematicæ cognitionis objecta, puta superficies, lineæ, numeros, & figuræ. Vno modo, prout in intima sua ratione materiam sensibilem non includunt, sicq; per primam nostri intellectus operationem abiq; vlla materia sensibili cognoscuntur. Alio modo, prout compositæ, sensibilibusque substantiæ realiter adherent, vt eius accidentia. Primi modo certum est, ea nullius actionis, aut passionis esse posse principia. Agens enim omne corporum quiddam sensibile est, ex materia formatum, compositum, & per materialem aliquam, & sensibilem formam, puta caliditatem, aut frigiditatem agit in alterum: patitur autem omne per sensibile materiam, cui soli conuenit alteratione mutari. Illud igitur, quod agendi, patiendive principium est, materiam, in sui ratione sensibilem includere necesse est; ita scilicet, vt ad eam ordinem, & dependentiam habeat, quemadmodum formæ, quæ ex actione, passioneq; consequitur, secundum intimam sui rationem ordinem, habet, & dependentiam ad materiam, sine qua concipi, distinguere minimè potest. Nullum itaque Mathematicorum siue sit continuum, vt lineæ, superficies, corpus, & figuræ, siue sit discretum, vt numerus, ex sui propria ratione formale principium esse poterit agendi, aut patiendi. Et eadem ratione neque posteriori modo consideratæ res mathematicæ, prout scilicet in materia sensibili realiter existunt, possunt esse compositis rationes agendi, formæ siquidem omni, quæ principium actionis est, aut passionis, ratio conuenit agendi, aut patiendi secundum intimam sui rationem, & quidditatem, quamuis in actum agendi non exeat, distictè existens, eo quod existentia agentis, formæ, & operationis eoditio est necessaria. Quare merito Philosophus in predicamentis figuram non in secunda specie qualitatis, quæ est

Mathematicæ

Mathematica dupliciter considerantur.

Mathematica

Mathematica

Mathematica

Mathematica

Mathematica

Aristot.

natur-

naturalis potentia, vel impotentia constituit, sed in qua, qua nullum, formaliter loquendo, significatur agendi principium.

Secundò sciendum est, duplicem esse materiae dispositionem ad formam aliquam recipiendam. Altera est, cuius nomen, & ratio dispositionis propriè congruit: hæc verò qualitas quædam est in materia ab agente derivata, quæ prout ab agente quædam effluxio est, & via nondum vltima terminatione completa, illius est actio physica, vt autem inhzret materiae, dispositio illius est ad formam in eadem materia recipiendam.

Materiae dispositio duplex.

Vtroque verò modo simul considerata, velut semen, ac virtus vicem gerens principalis agentis ad compositi generationem, secundum formam agentis formæ finis operatur, vt patet in calore, qui, cum ex igne calefaciente, in ligno recipitur, in illud agit, disponens illud ad formam ignis. Quatenus enim ab igne derivatur in lignum, dispositio actiua est, cum sit ignis actio physica; vt autem in ligno recipitur, ex parte materiae se tenet, & eius dispositio passiva est ad formam ignis. Dixi autem dispositionem propriè dictam esse qualitatem ab agente derivatam, non quod omnis dispositio, aut omnis eius gradus ab hoc agente procedat, qui materiam hanc alteratione transmutat, veterem formam expellit, nouam inducit, & priori corrupto composito, nouum generat, scimus enim multis rebus qualitates naturaliter inesse symbolicas, quæ naturales sunt dispositiones, vt vna res per alterius actionem facile possit in eius naturam transmutari: sic enim aer ob raritatis, leuitatis, & caliditatis conuenientiam cum igne, facile per ignis actionem transmutatur in ignem, & lac, quod ex vberibus ingit infans, sicut & quodlibet animali conuenientiale nutrimentum, actione vegetatiua transmutatur in carnem, ad quod vt verum sit illud Philosophi dictum: *inter habentia symbolica facile est transmutatio*. Contingit etiam nonnunquam ab vno agente disponi materiam, & ab altero formam induci. Solis enim calore ligna calefiunt, & siccantur, quæ sic disposita facile incenduntur ab igne. Sed quod intendimus est dispositionem hanc propriè dictam, ex genere suo,

Aristot. Dispositio duplex.

fuo, & secundum omnem, aut aliquem gradum ab agente materiam transmutante derivari, & ipsam dispositionem ab agente fluentem esse eius actionem, ac virtutem in materia receptam; raritas enim, leuitas, & caliditas, quae sunt naturales aeris qualitates, licet in aere non causentur, ab igne, possunt tamen in multis alijs corporibus ab igne produci: & quamuis in eo gradu, quo sunt aeri connaturales, non sint ab igne causatae secundum vltiores tamen gradus, quibus vltimò ad formam ignis aeris materia disponitur, ab ignis virtute, & actione dependent.

Hæc verò Mathematicis entibus, scilicet quantitatibus, numeris, & figuris minimè conuenire perspicuum est. Non enim necesse est, vt agens calorem, frigiditatem, aut aliam aliquam formam accidentalem in subiectum, vel etiam substantialem inducens in materiam prius in ea causet quantitatem continuam, aut numerum aliquem, vel figuram, aut eorum aliquam partem: additur enim calor, & nigredo ligno totam illi naturalem quantitatem, unitatem, & figuram habenti, & ex eo carbo generatur, nulla prius addita materiae quantitate. Deinde nullus vnquam actionem exterioris agentis in materiam asseruit esse quantitatem, numerum, aut figuram, sicut è contra. Philosopho consentiunt omnes affirmanti, motum ad albedinem idem esse realiter, quod albedo, & motum ad vbi idem esse realiter, quod vbi, & motum augmenti, qui fit ab intrinseca viuentis potentia, idem esse, quod quantitas, prout est in fieri. Omne verò principium agendi formale propriè actionem est, quæ in agentibus materialibus sola ratione formali distinguitur à termino eius intrinseco. Cum itaque nulla possit exterioris agentis actio designari, quæ sit idem realiter superficiem, numerum, vel figuræ, consequens etiam est superficiem, numerum, & figuram nullius actionis, aut passionis esse posse principia.

Dispositio impropria

Est igitur altera dispositio minus propriè dicta; hæc verò est illud omne accidens, quod inhaerens subiecto, siue materiae conditionem illi conferit ad simpliciter, vel commodius agendum, aut patiendum necessariam, qualis est quantitas, & figura, vt ex dicendis patebit. Nec possunt actio-

actiones alterius rationis à prædictis tribui quantitatibus, numeris, atque figuris: quoniam omne agens agit sibi simile secundum formam, quæ est ei principium, & ratio formæ illis agendi: ignis enim calor calefacit, & lumine Sol illuminat, & sic de alijs. Et cum vniuersa Mathematica sensibilia sint valde conspicua, fatuitas esset expressa virtutibus occultis, & vix humana ratione perceptibilibus, ex quibus æquiuoci deriuantur effectus, ea connumerare. His adde Mathematica secundum esse, quod habent in materia, esse reliquorum accidentium receptiuæ, ac proinde naturæ materiae esse valde proxima, & ideo potentialitatem illis quam maximè conuenire. Cum itaq; cætera, quæ sensu cognoscimus in corporibus his corruptibilibus, accidentia rationes sint agentibus effectus producendi similes illis vniuoce secundum ipsamet accidentia, quæ sunt agendi principia, fatuum est numeris, & figuris effectus æquiuocos assignare.

Postremò notandum est, figuram in motu locali causando quadam ratione concurrere, & esse veluti comprincipium in actionibus etiam eorum agendum, aut instrumentorum, quæ per motum localem applicantur ad agendum: figura namque disponitur agens, & instrumentum, vt passo commodius applicetur, & corpus rotundum, vel etiam acutæ figuræ facilius diuidet medium, quam si quadrata figura fuerit insigillum; motus enim localis terminatur ad vbi, cui figura naturaliter adaptatur. Alterationibus autem nihil conferit, quoniam actiua potentia, vt sic nominus abstrahit ab hac, aut illa figura, quam substantia, cuius est virtus ex ea fluens naturaliter illi proportionata.

mod T. 2
Mathematica, vt ostendunt.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

Prima conclusio: Entia Mathematica, siue sint continua, vt linea, superficies, corpus, & figura, siue sint discretæ, vt numeri, nullius sunt actionis, aut passionis principia. **S**ecunda conclusio: Figura quodam modo comprincipium est in motu locali causando, & in applicatione agentis ad partem illam. **T**ertia

Tertia conclusio. Quantitas non est proprie dispositio materię, vel substantię materialis ad alia accidentia recipienda. Probat̃ hęc conclusio; Quia dispositio materię, vel subiecti proprie dicta est accidens ab extrinseco agente dependens, quo preparatur materię, vel subiectum ad alius cuius formę susceptionem, ut a vno fiat ad eam in potentia. Impropr̃e verò sumpta dispositio est omne accidens prius ordine saltem naturę, & necessariò requisitum in materia, vel subiecto, vt aliud, aut alia plura posterius in eo recipiantur: iam autem diximus, quantitatem ab extrinseco agente materię, siue substantię alterante præsupponi, & ab eo minimè dependere. Cum autem quantitas sit primũ accidens inherens materię, siue substantię materiali ad reliqua materialia, & sensibilia accidentia in eorum recipienda maximè necessarium, dispositio materię, vel substantię dici poterit, licet impropr̃e. Quo sensu D. Thomas tertia parte q. 77. art. 2. dixit, primam dispositionem materię esse quantitatem dimensionem, qua mediante omnia alia accidentia referuntur ad subiectum; quo diuina virtute subtracto, remanent eadem accidentia in quantitate fundata.

S. Thom.

2. 2. q. 77. art. 2.

Argumenta, & solutiones.

Io. Picus.

Contra primam conclusionem argumentatur Ioannes Picus. Primò, Mathematica sunt formaliora physicis, & in suo esse minus dependent; ergo etiam sunt actualiora, & in suo opere minus dependent.

Respondetur, priorem partem antecedentis veram esse de Mathematicis in sua abstractione consideratis, non autem prout existunt in materia sensibili; sic enim ex parte materię se tenent, quia mediante eis substantia materialis alia recipit accidentia: constat autem rei tantum existenti, prout existens est, actionem in actu exercitio conuenire. Altera verò pars antecedentis absolute loquendo, falsa est; sicut enim albedo, calor, & frigiditas a materia dependent secundum esse, nec possunt per quancumque virtutem naturalis ordinis separata subsistere, sic & Mathematica.

thematica, quæ præter communes omnibus accidentibus dependentiam maiorem etiam habent cum materia affinitatem ob supra dictam causam. Sed quia quantitas, & figura priora sunt cæteris accidentibus in subiecto materiali receptis, ideo possunt a durationis ab eis præscindis & vt ab illis abstracta considerari; secundum quam abstractionem potentialitas eis auferatur, qua cæterorum sunt accidentium receptina, & in illis sic ab intellectu consideratis opposita resultat actualitas.

Secundò profert Sanctorum dicta, & primò Hilarij in Commentario super Psalmos, ita loquentis: Septuaginta seniores secundum Moysi traditionem ad custodiam legis, atq; doctrinæ in synagoga manentes, posteaquam illis a Rege Ptolomæo transferenda ex Hebreo in Græcum sermonem totius legis cura mandata est spiritali, & celesti scientia virtutes psalmorum intelligentes, in numeros eos, atque ordinem redogernat singulis quibusq; numeris pro efficiencia sua, & absolute perfectione, & perfectorum, & efficiencium psalmorum ordine deputantes. Hęc Hilarius. Ex quibus (inquit) apertissimè patet, quod numerus virtutem dat, & efficienciam. Secundò refert Hieronymum contra Iouinianum dicentem, infaustum esse numerum vigesimum, in quo seruauit Iacob, & venditus est Ioseph, & quem dilexit Esau, in eo quædam munera accipiens; & in eodem loco laudat denarium, dicens de eius laudibus se sæpè dixisse; qui etiam in eodem libro cap. 7. dicit, ideo in secunda die non fuisse dictum: Et vidit Deus, quod esset bonum; quia binarius numerus sit malus, & ex numero binario sumit argumentum contra biganos, & propter hoc omnia animalia in Archa Noe bina ingredi, septena autem, quæ sunt munda. Addit Picus: centies inueni similia apud Basilium, Nazianzenum, Ambrosium, Origenem, Augustinum, & alios, & Rabbanum de numerorum virtutibus specialem librum composuisse, & obseruare vbiq; proprietates ipsorum numerorum, & passim Doctores Ecclesiasticos, & Caballistas obseruare mysteria numerorum, videlicet binarij, ternarij, quinarij, senarij, septenarij, duodenarij, quadragenarij, &c.

Respondetur, æquiuocum esse nomen efficiencię ad efficien-

S. Hilarius

Hieron.

Picus.

efficientiam physicam, moralem, & significatiuam; & Hilari-
rii loco notato Psalmis tribuere moralem efficientiam,
quatenus scilicet diuersi diuersas preces continent effica-
ces apud Deum ad diuersa beneficia mortalibus impetra-
nda. Numerorum autem efficientiam non aliam ibi con-
stituit, quam significatiuam; exempli gratia, Psalmus quin-
quagesimus moralem habet efficientiam ad peccatorum a
Deo veniam obtinendam, quam etiam numerus quinquagenarius in sacris litteris ubiq; significat. Cætera Patrum
dicta nihil aliud sonant, nisi mystica singulorum numero-
rum significata, quæ longè distant ab efficientia physica
magicis naturalibus propria.

Caietan.

Contra eandem conclusionem est argumentum Caieta-
ni loco supra notato, quod simul cum eius opinione retuli-
mus: Licet enim (inquit) figura nullius appareat actionis
principium, & propterea faciens figuram non facit actiui
figura tamen est actionis naturalis compincipium, & di-
spositio ad formam, quæ est actionis naturalis principium;
ergo nonnulla a diuinitas figuræ conuenit.

Antecedens probatur, quia sicut figura hominis est con-
sequens formam hominis, ita similis figura est dispositio
in materia ad suscipiendam formam hominis, & figura cu-
iuscunq; organi naturalis, puta cordis, hepatis, manus, &c.
inter dispositiones sunt ad formas organicas, & ad opera-
tiones, non quatenus figuræ, sed quatenus terminationes
quædam corporum naturalium.

Respondetur, falsum esse antecedens, propriè, & absolu-
tè loquendo; aliud enim est, figuram esse quid necessariò
prærequiritum ad formam, & operationem, quod rationem
habet dispositionis impropriè dictæ, & aliud est esse pro-
priè compincipium, & dispositionem, ut supra satis osten-
dimus. Probatio verò antecedentis procedit de disposi-
tione minus propriè dicta. Aliam responsionem adhibet
Ferrariensis, sed nostra melior est.

Martinus.

Contra eandem conclusionem multa sunt argumenta,
quæ profert, & soluit Martinus in allegato lib. 1. cap. 4. q. 2.
ex anno climacterico, ex partu octimestri, & ex diebus cri-
ticis ex quibusdam rationibus, & passionibus numerorum,

&

& ex patrum dictis. Quæ vide, si placet.

Contra tertiam conclusionem produci posset dictum S.
Thom. supra notatum ex 3. p. q. 77. art. 2. cuius solutio patet
ex dictis. Lege Ferrariensem in allegato cap. 105.

D. Thom.
Ferrariensis

QVAESTIO V.

De Magia Astronomica, Figurarum, seu Imaginum operatiua.

SENTENTIAE DOCTORVM.

Cum duæ sint Astronomicæ Magiæ partes, altera ope-
ratiua, & altera diuinatiua, seu iudiciaria, de priori
nunc dicendum est, non quo ad eius totam latitudi-
nem, sed quo ad eam partem, quæ fabricandis imaginibus
ad celestium imaginum similitudinem intendit. Fuit au-
tem Alexandri sententia in libro de Magis, ut refert Victo-
ria in allegata relectione, in imagine, vel statua, aut annu-
lo fabricatis, & compositis ad certam influentiam, & di-
spositionem stellarum esse virtutem ad aliquos effectus ef-
ficacem, ad quos oportet concurrere multitudinem causa-
rum inferiorum. Cui sententiæ multos fauisse Peripateticos
affirmat idem author in dicta relectione de Arte Magica.

Alexander
Victoria
Le. Ferr.
Victoria
Victoria
Victoria

Eandem opinionem secutus est Caietanus 22. quæst. 96.
art. 2. ubi tria dicit. Primum est: Imagines Astronomicæ,
non ut corpora artificialia sunt, sed ut effectus sunt cele-
stis (syderis, & ut constituunt in specie celestis conformi-
tatis ratione figuræ talis (licet ministerio humano) possunt
celestes influxus suscipere, & habere virtutem ad agendum.
Secundum est: Figura, licet nullius appareat naturalis actio-
nis principium, est tamen actionis naturalis compincipium,
& dispositio ad formam, quæ est actionis naturalis
principium, non quatenus figuræ, sed quatenus terminatio
quædam est corporis naturalis. Tertium est: Figura, quæ
humano ministerio terminare ponitur tale corpus sub tali
sydere, est veluti quædam secunda stella propter conformi-
mita-

Caietan.

Montagu. micatem ad tale (ydu. Hanc opinionem Montagnolius af-
firmat esse probabilem, quam etiam defendit Pompona-
tius lib. 4. de incantationibus. Marfil. Fic. Astronomicas inter medicamenta constituit naturalia.

Ioan. Bapt. Ioannes Baptista Porta Neapolitanus lib. 4. Magie Na-
Porta. turalis cap. 24. & 25. Magiam Astronomicam ad praxim
deducens docet, cui lapidum generi sic hęc, aut illa figu-
ra, vel imago cęlestis inscribenda, singulisq; lapidibus
cęlestibus illis imaginibus statis, ac opportunis quibusdam
temporibus insignitis proprias virtutes ex antiquorum do-
cumentis assignat.

3. Thom. S. D. in dicta q. 96. art. 2. ad 2. perspicue docet, artificia-
les illas imagines nullius esse virtutis, nec vllam ex impres-
sione cęlestium corporum sortiri virtutem ad agendum;
quatenus artificialia sunt, sed solum secundum materiam
naturalem, quod idem asserit in 3. cont. Gen. cap. 105. &
Quolib. 12. art. 14. Quam sententiam explicat, & tueretur
Ferrari. in allegato c. Sylu. in summa Verbo superstitio q. 10.
Sylueker. | Bartholomęus Sybilla in suo Speculo peregrinarum quę-
Bar. Sybil. stionum Decade 1. cap. 9. q. 3. Ioan. Picus lib. 8. in Astrolo-
Ioan. Pic. giam c. 3. & eius Nepos Io. Fr. de rerum prænotione lib. 7.
Io. Fr. Pic. cap. 10. Victoria in sua relectione de Arte Magica, quęst.
Victoria. 3. Valentia in suo Commentario ad dictum articulum, Mar-
Valentia. tinus Delrius lib. 1. c. 3. q. 1. Suarez lib. 2. de superstitione
Martinus. c. 15. num. 16. & seq. & alij Theologi Communiter.
Suarez.

RESOLVTIO.

*Imagines arte factas ad similitudinem cęlestium
imaginum nullius esse virtutis.*

Questionis huius primum, præcipuumq; fundamen-
tum illud est, quod præcedentis quęstionis discursu
constituimus, Mathematica scilicet ex sui ratio-
ne nullius actionis, aut passionis esse posse principia, neq;
dispositiones proprię impressas ad formam aliquam in ma-
teria, vel subiecto recipiendam.

Se-

Secundò considerandum est, plurimas ab Astrologis an-
tiquissimis imagines in octaua sphaera secundum certas
quasdam syderum positiones, ac numeros fuisse cogitatio-
ne formatas, atq; distinctas, & proprijs nominibus desi-
gnatas, ex quibus nonnullas recensent diuinę litterę, vt
Pleiades, Hyadas, Arcturum, & Orionem. Dicitur enim
Iob cap. 9. *Qui facit Arcturum, & Orionem, & Hyadas, & in-
teriora Austris.* Et cap. 38. *Nunquid coniungere valebis micantes
stellas Pleiadas, aut gyrum Arcturi poteris dissipare?* Et
Amos cap. 5. *Qui conuertitis in absinthium iudicium, & iu-
sticiam in terra relinquitis, facientem Arcturum, & Orionem.*
Est autem Arcturus imago Vrsę sicę circa polum Arcti-
cum, viginti, & vnam habens stellas, ex quibus septem no-
bilioreæ cæurus cum temone figuram præferunt, nec vn-
quam occidunt, sed polum semper circumeunt. Orion
autem decem, & septem, aut secundum alios viginti, & octo
stellas complectens in Tauro, & Gemini siue, vt ait Isido-
rus lib. 3. ante vestigia Tauri collocatas figuram constituit
armati viri gladium manu tenentis. Hyadę verò stellę
sunt existentes in pectore Tauri visu valde notabiles. Pleia-
des autem septem sunt stellę in capite Tauri, ex quibus sex
apparent valde propinquę, septima verò obscurior est, vt
etiam ait S. Doct. in comm. dicti cap. Iob 38. Præter quas
ijdem Astrologi plures alias in cęlo figuras numero cir-
citer triginta, & octo sua cogitatione constituunt. In Zo-
diaco namq; duodecim confixere scilicet Arietem, Taurum,
Geminos, Cancrum, Leonem, Virginem, &c. Extra Zodia-
cum autem multò plures, scilicet Vrsam minorem, Coro-
nam, &c. quas omnes recenset Iauellus in Epitome super
Spheram cap. 2.

Cum autem in stellis sic à Deo creatore dispositis, alię
multę potuerint, ac possint imagines, aut figurę confingi,
eas tamen præ cæteris applicandas syderibus elegit anti-
quitas, quibus stellarum vires, & influxus circa singulos
earum ordines visus apparentia, & mentis cogitatione di-
cretos magis apte significari videbantur, vt explicat Iau-
ellus in dicto 2. cap. & Sybilla loco notato, quęst. 2. vbi
quatuor alias applicationis, & nuncupationis causas ad-

Y

ducit.

Iob 9.
Iob 26.
Amos 5.

Iudeus;

S. Thom.

Iauellus.

Sybilla.

ducit. Diuina verò litteræ nonnullas ex dictis imaginibus
eisdem Astronomorum vocibus, quandoq; non inarunt, ut
opera Dei, quam maximè nobis admiranda iuxta mentis
nostræ captum, modum, & vsum suauiter indicarent, quod
esse diuinæ scripturæ consuetum, ac proprium affirmant, &
probat S. Doct. & eius expostores p. p. q. 1. art. 9. Di-
citur autem Deus. facere Arcturum; Orionem; & Hyadas
materialiter quo ad stellas in eis comprehensas, non for-
maliter, prout tales figuræ sunt; sic enim mera sunt figmen-
ta, siue rationis entia, ex quibus extrinseca denominatione
diuersi stellarum ordines varijs nominibus sunt ab anti-
quis Astronomiæ studiosis appellati.

S. Thom.

S. Thom.

Caetan.

Tercio notandum est, ex D. Thoma locis superiù allega-
tis, artificialia corpora dupliciter posse considerari; Vno
modo, quatenus artificialia sunt, prout scilicet ex artis con-
ceptione dependent; Alio modo quo ad eorum materiam
naturalem, puta cuprum, argentum, aut aurum. Quibus
tertium addit membrum Caetan. ex D. Thoma in 3. cont.
Gent. cap. 105. dicens, artificialia corpora dupliciter posse
considerari; Vno modo, quatenus artificialia sunt; Alio
modo, prout consistunt in specie cœlestis conformitatis
ratione figuræ talis, qua ratione cœlestis syderis (vt ille ait)
sunt effectus humano mediante ministerio, possuntque in
sui constitutione cœlestes influxus suscipere. Tercia sunt igitur
in artificiali corpore consideranda; primum est materia
naturalis; secundum est figura, siue imago artificialis, vt
sic; tertium est actus constituendi artificiatum in specie cœ-
lestis conformitatis cum dependentia à sydere cœlesti. Et
de secundo quædam membra nulla est inter Philosophos,
aut Theologos controversia. Quo ad primum etiam no-
biscum sentit Caetanus, & difficultates eius omnes in que-
stione præcedenti fuerunt examinatz, & quantum præiens
materia postulat, absolute. Solum itaque tertium superest
membrum breuiter hic examinandum.

Cuius definitio perspicue deducitur ex hucusq; dictis;
si namque cœlestes illæ figuræ, quas syderibus Astronomi
tribuerunt, realiter illis, ac verè non insunt, sed humane
sunt rationis consideratione confictæ, & varijs stellarum
ordi-

ordinibus applicatz, cum plures alias ab eis longè diuerfas
circa singulos illos stellarum ordines excogitare facile po-
tissent, consequens est Arietis, Tauri, Leonis, aut alterius
cuiusvis animalis imaginem, quantauis artis humane di-
ligentia fabricatam, obseruatis etiam situs, ac temporis
opportunitatibus cum cæteris circumstantijs, quas obser-
uandas esse docent Astronomicorum imaginum defen-
siones, nullam prorsus ex cœlestibus imaginibus virtutem re-
cipere, nec in specie cœlestis conformitatis constituere, nec
vllam in eas virtutem à syderibus, quatenus consimili sunt
imagine figuratz, deriuari. Ab ente namque rationis, qua-
lis est extrinseca syderum ex confictis illis imaginibus de-
nominatio, nulla figura realis effici potest in artificiali ma-
teria, ac proinde nec vlla fieri potest conformitas in specie
realis, ratione cuius in imagine per artem effecta cœlestes
recipiantur influxus. Et cum ex humana ratione, & libera
voluntatis electione, veluti prima creata causa dependeat
stellarum illa tam multiplex, ac varia denominatio, conse-
quens est, mirabiles illos omnes effectus, quos imaginibus
astronomicis tribuunt authores prædicti ex humana ratio-
ne, & ex libero nostræ voluntatis arbitrio, veluti prima cau-
sa deriuari. Et ex eadem ratione, ac libera voluntate nouas
alias, prout illi placuerit, imagines circa sydera configente
alios plures, ac mirabiliores effectus medijs figuris simili-
bus in his corruptibilibus fabricatis effici posse; quod non
solum asserere, sed etiam cogitare stultum est.

Deinde, vt ait S. Doct. in 2. 2. quæst. 96. ait. 2. ad secun-
dum, idèo accidentia corporum naturalia ex impressione
cœlestium corporum quædam sortiuntur virtutes actiuas,
quia substantiales ipsorum corporum formas consequuntur
ex impressione cœlestium corporum deriuatas; at corporum
artificialium formæ ex artificis conceptione procedunt,
ergo nullam ex corporibus cœlestibus virtutem accipiunt,
quatenus formæ sunt artificiales, sed ratione materiae tan-
tùm naturalis. Quatenus enim artificiales omnes figuræ
siant ab arte per motum, quia tamen huius motus princi-
pium non est natura, sed ars per voluntatem agens, idèo
neque motus ille, neque figuræ ex influxu cœlesti deriuantur;

S. Thom.

tur; tamen negandum non sit dispositiones ad mouendum in artificis corpore naturales ex syderum influxu cœlesti dependere, à quibus etiam illa causatur naturalis materię dispositio, quę necessaris est, vt ab artifice moueatur ad formam ab eo præconceptam, & volitam assequendam. Et ex his evertitur præcipuū Caietani fundamentum dicitis, imagines, siue figuras illas Astronomicas, vt artificialia quędã sũt, nullius esse virtutis, sed quatenus cœlestis syderis sunt effectus in specie cœlestis cõformitatis constituentes. Iam .n. ex D. Thomę doctrina probauimus, figuras illas nõ esse cœlestis virtutis effectus, nec imagines ab Astrologia attributas syderib⁹ illis inesse realiter, sed humanę mentis fuisse cogitatione cõfictas, & volutarię syderib⁹ applicatas.

Affertur locus S. Thom. quem pro sua sententia Caietanus allegat, & exponitur, & rejicitur expositio Caietani cum interpretatione Suarezij, cuius argumenta diluuntur, & explicatur intentio S. Thomæ.

Sed ait Caietanus, D. Thomam in allegato cap. 105. eadem rei distinctione, & dictam sententiam admittere, veluti probabilem; cum ibi dicat, posse quempiam asserere, nihil prohibere, quin constitutionem figurę, quę dat speciem imagini, contineatur aliqua virtus ex influentia cœlesti; non quatenus figura est, sed quatenus speciem causat artificiatum, quod adipiscitur virtutem ex stellis.

Ferrariensis.

Verum, vt ibi scire Ferrar. aduertit, dictum illud dupliciter possumus interpretari. Vno modo, vt à D. Thom. prolatum tamquam verum; & ita sensus eius est, ex influentia cœli sequi virtutem ad constitutionem figurę nominatione figurę, quatenus formaliter figura est, sed quatenus specie causat artificiatum, id est ratione subiecti, quod in artificiatum constitutione sub certa cõstellatione mixtur, & alteratur. Non enim affirmat ibi simpliciter S. Thomæ, ad figurę constitutionem sequi virtutem ex influentia cœli, sed addit, secundum quod causat speciem artificiatum, quod adipiscitur

virtutem ex stellis; significans virtutem in artificiatum ex stellarum influxu derivatam non sequi ex figurę constitutione, vt figurę constitutio est, sed quatenus cum mutatione, & alteratione fit materię naturalis, quę per figuram illam in specie constituitur artificiatum.

Sed hanc responsionem impugnat Suarez loco superius allegato. Primò: quia eadem responsio dari posset de omnibus characteribus, qui in his imaginibus imprimuntur, cum in illis sculpendis, vel imprimendis necesse sit aliquam fieri mutationem in materia. Secundò: quia talis forma adhibetur, vt necessaria in tali conformitate, & similitudine ad actum; ergo signum est adhiberi, vt artificiatum formam per se, & non tantum ob aliam alterationem, quę fit in materia, quando illa imprimitur. Probatur illatio, quoniam hæc alteratio fieri posset per aliam formam, vel sine ulla, comprimendo illam materiam, vel deutando, vel cauando, vel liquefaciẽdo illam prius, & postea infundendo. Tertiò: quia nec ex parte huius mutationis potest consurgere in tali materia dispositio sufficiens; tum quia potest illa mutatio esse tantum localis diuidendo, & separando aliquas particulas illius materię ab alijs, per quam separationem non applicator illa materię cœlo melius ad recipiendum calorem, vel lumen, cum quia, licet sæpe dum imprimitur figura, fiat aliqua alteratio caloris, statim transiit, vnde non potest esse dispositio ad perseverantem influentiam; nec potest esse sola dispositio sufficiens in corpore tam denso, & terreo, & natura sua alieno à tali virtute.

*Obiectio
Suarezij.*

Sed hæc friuola sunt, & mentem D. Thomæ non attingunt, nec Ferrariensis expositionem infringunt. Intendit enim ibi S. Doct. figuras illas artificiales, & multo magis characteres secundum se nullius ex syderibus influxus esse capaces, sed ratione tantum subiecti, quod alteratur in impressione figurę, vel imaginis in tali constellatione factę, virtutem aliquam ex stellarum influxu posse suscipere. Cui veritati nititur euasio, qua facile potuissent vti Philosophi verbis illis ibidem expressa: *Quia verò figura, &c.* Quę quia vera responsio pro eorum opinione non est, sed euasio, siue fuga, ideo sola fauet illis verborum apparentia, sed intentionem

Solutio

eorum in rei veritate destruit. Concederet ergo facile S. D. figuris & characteribus hoc esse commune, ut neutrum secundum se celestis sit influentia receptivum, aut ratio eam in subiecto, vel artificiali composito recipiendi, sed quod utrumque sydereos recipiat influxus ratione subiecti in eorum, scilicet figuratum, & characterum impressione nati. Differentia vero manifesta est, quia characteres ex Magorum Necromanticorum institutione per se primo adhibentur, ut signa pacti cum Dæmonibus initi, aut reverentia illis exhibitæ, quod Astronomicis imaginibus minimè convenit, ut ibidem ait S. D. & in 2. 2. loco supra notato.

S. Thom.

Secundum argumentum concedimus; eo namque confirmatur doctrina D. Thomæ in illo priori sensu, de quo disputamus.

Ideo namque figurarum Astronomicarum usum reprehendit, quia eas Porphyrius, & alij figuras illas adhiberi volebant, uti necessarias, ut formas artificiales per se, & non tantum propter alterationem in earum impressione factam circa materiam naturalem. Sed quia Philosophis illa unica relinquebatur evasio verbis tantum eorum opinionioni fanens, verè tamen eorum intentionem destruens, ideo voluit eam Philosophorum nomine proferre S. Doct. ut vis argumentorum vnde quaque pateceret evidenter.

Ad tertium dico primò, mutationem in Astronomicarum imaginum factione interuenientem nunquam esse præcisè localem, sed alterationem aliquam per se, vel per accidens illi semper adiungi; cum enim ex auro, aut ex ære sit statua, necesse est, ut materia liquecat, & infundi valeat, igitur adhibere, aurum frequentibus ictibus contunderes & præparare, crebris autem ictibus in auro, & in alia qualibet materia solida calor excitatur, quo disponi facile potest illa materia naturalis ad syderum influxus recipiendos.

Secundò dico, S. Thomam non affirmare figuram omnè Astronomicam quomodocunque factam esse celestis virtutis receptivam ratione alterationis in materia factæ, sed hoc tantum asserere, nimirum virtutem omnem naturalem Astronomicis imaginibus ex celorum influxu tribui consuetam, illis non ratione figuræ, sed ratione alterationis in

sub-

subiecto factæ convenire; quod si nulla prævia, aut comite alteratione, in materia naturali recipiatur imago, non affirmat S. Doct. sed quasi tacitè negat, virtutè in eam, vel in eius materiam ex celorum influxu derivari.

Tertiò dico, calefactionem, aut quamlibet aliam alterationem cito transeuntem esse posse dispositionem sufficientem ad influentiam celi perseverantem in quocunque corpore, quantumvis denso, ac terreo recipiendam, sicut patet in cæteris mixtis ex materia transeunte compositis, in quibus ex compositiū qualitibus transeuntibus veluti dispositionibus virtus vna permanens generatur.

Alio modo potest dictum illud exponi dicendo S. Doctorem ibi multis argumentis figuras Astronomicas rejicere characteribus insignitas veluti supersticiosas; & quia Magis earum imaginum defensoribus unica videbatur evasio superesse, eam asserit in fine caputuli dicens: Quia vero figura in artificialibus sunt quasi forma specificæ, potest aliquis dicere, quod nihil prohibet, quin constitutionem figuræ, quæ dat speciem imagini, consequatur aliqua virtus ex influentia celesti non secundum quod figura est, sed secundum quod causat speciem artificiati, quod adipiscitur virtutem ex stellis. Quod subterfugium admittens, non concedens S. Doct. vim suarum rationum persisterere demonstrat innotiam subdicens: Sed de cæteris, quibus inscribitur aliquid in imaginibus, vel alijs characteribus, nihil aliud potest dici, quàm quod signa sunt; unde non habet ordinem nisi ad aliquem intellectum, quod etiam ostenditur per sacrificia, prostrationes, & alia huiusmodi, quibus utuntur; quæ non possunt esse, nisi signa reverentiæ exhibitæ alicui intellectuali nature. Hæc ibi S. Doct. Quibus nihil aliud videretur concedere, nisi vim rationum ibi positarum aduersus Magorum impietatem sustinere. Hanc expositionem sequitur Valenti

Altera expositio. S. Thom.

Valentia.

Ratio eadem. Catech.

Sed præterea probatur, inanem esse prorsus evasione illam; quia figura, quatenus figura realiter existens in rerum natura (de hac enim est quaestio, non autem de figura in abstractione concepta) speciem causat artificiati; igitur figuræ, ut figura est, formaliter convenit in specie artificiati.

Y 4

mod. 2.

ei constituere, & consequenter etiam eadem sub eadem ratione formali convenit artificiatum conformem, ac similem reddere cuicunque eiusdem rationis figuram habenti, siue illud eam habeat naturaliter, siue per artem, siue sit naturæ corruptibilis, siue incorruptibilis, dummodo sit ea figura realis. Est igitur inanis ea distinctio superficialem solum apparentiã veritatis argumentis opponens, & latebras querens, ut vel sic evidentẽ argumentorũ efficacitã euadat. Et confirmatur, quoniã albedini, quatenus albedo est, convenit causalitas propria formalis, quæ est constituere subiectum, aut compositum accidentale, in specie albi, & quælibet alia forma, siue sit accidentalis, siue substantialis ex propria sua ratione formali ætèrnum exercet in aliqua specie constituendi siue simpliciter, siue secundum quid. Adeo ut sit manifesta contradictio, formam existere in subiecto, vel materia, & eam, aut compositum ex unionẽ subiecti, vel materiz, cum forma resultans in nulla specie constituere. Hoc ipso namque quod inest, informat, & in specie constituit.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

Prima conclusio: Imagines Astronomicæ, siue figuræ secundum se, quatenus tales sunt, id est, ut imagines, & figuræ, vel ut quædam artificialia sunt, non possunt Syderum influxus recipere, nec ullam habere posse virtutem ad agendum. Hæc est D. Thom. locis supra notatis, & eidem consentit Caietan. & alij Theologi supra nominatis, & satis patet ex dictis in q. 1. præced.

Secunda conclusio: Imagines Astronomicæ, quatenus speciem causant, aut in specie constituunt artificiatæ, nullius sunt capaces celestis influxus, nec vim aliquam habent ad agendum. Hæc est contra Caietanum, & eius veritas ex dictis elucet.

Tertia conclusio: Imagines Astronomicæ ratione materiz naturalis, & per viam alterationis subiecti, in quo recipiuntur, virtutem aliquam ex Syderum influxu receptam habere possunt ad agendum. Hæc est D. Thom. locis su-

S. Thom.

perius

perius allegatis in 2. 2. & 3. cont. gent. & patet ex communi Philosophorum doctrina de naturali corporum sympathia, de Syderum influxu, & dependentia inferiorum a superioribus in agendo.

Argumenta, & Solutiones.

Contra primam conclusionem argumentatur Alex. Almond. in libro de Magis. Quia virtus celestis licet non formaliter, tamen virtualiter, & eminenter est virtus omnium elementorum, & mixtorum, & habet efficaciam omnium illorum, ergo nihil obstat; quominus credamus, in imagine, vel statua, vel annulo Astrologico fabricatis, & compositis ad certam influentiam, & dispositionem stellarum sit virtus, aut efficacia ad aliquos effectus, ad quos oportet concurrere multitudinem causarum inferiorum. Respondetur, hoc argumento probari tertiam nostram conclusionem; imagines enim, & figuræ secundum se nullius sunt influxus receptivæ, sed tantum ratione materiz naturalis, cui congruunt actiuz, passivæq; potentiz, secundum quas, si congrua fuerit dispositio præparata, potest Syderum virtutes recipere, & per eas effectus mirabiles operari.

Contra eandem conclusionem duo produci possunt exempla. Primum quidem ex Celio narrante Iarcham Indorum Principem septem annulos compegisse, ac septem stellarum nominibus præsignasse, ut eis opera quædam efficeret admiranda, eosq; tandem Apollonio Thianeo dono dedisse, eorumque virtute Apollonium iam ætate proæctum florem præteritæ recipisse iuventutis, & longo temporum spatio conservasse.

Secundum autem ex Platone 2. de Rep. & ex Cicerone lib. de officijs, & Greg. Nazianz. in Monodia de Gygis annulo, quem gestando palam reddebatur astantibus invisibilis, ubi autem intra digitum vertisset anulum, ab omnibus videbatur: adduntq; Gygem eiusdem annuli virtute factum invisibilem Lydorum regiam penetrasse, Regem occidisse, & seipsum Regem constituisse.

Celma.

Plato.
Cicero.
Nazianz.

Re-

Respondetur primò, septem illos annulos non fuisse simplices omninò figuras, sed nominibus fuisse planetarum inscriptos, atque idè eorum opus, & usum ad Magiam superstitiosam, & illicitam pertinere. Secundò dico, impossibile esse quacunque creata virtute iuuentutis vigorem recuperare, præterquam per esum fructus ligni vitæ, quod veluti remedium vnicum ad reparandum humidum radicale Deus in terrestri Paradiso constituit, ex quo propter peccatum eiecit primum humani generis parentem Adam dicens: *Nè forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum.* Quod si fuissent alia virtutè habentia naturalia in vniuerso, aut artis humanæ diligentia, media cognitione cælestium influxuum effici potuissent aliqua, quorum virtute hos reuocaretur præterita iuuentutis, minimè latuissent. Adam, cui perfecta rerum omnium scientia fuerat ab initio creationis infusa, sicque facile potuisset abque esu ligni vitæ alijs medijs humidum deperditum reparare, & eam immortalitatem adipisci, quam ex comestione fructus ligni vitæ seruans Innocentiæ statum in Paradiso illo terrestri recipere potuisset, atque ita diuina frustraretur intentio verbis illis expressa: *Nè forte sumat etiam de ligno vitæ, & vivat in æternum.* Tertio dico, nullius rei virtute naturali, aut artis opera posse corpus aliquod inuisibile reddi. Plura namquæ hæc inuoluit absurda. Aut enim, qui sic redderetur inuisibilis, si fuerit in medio aliquo spatio constitutus inter oculos, v. g. Petri & fenestellam, vel ostiolum, per quod Petrus videt arbores, animalia, & ædificia de foris existètia, impediret visionem Petri, aut non impediret: Si primum, ergo, qui ponitur inuisibilis, terminabit visionis actum, atque videbitur: si secundum, ergo vel species visibilium transibunt per corpus opacum, & in eo recipientur, vt in diaphano, quod non patitur ordo naturæ, vel corpus illius hominis, qui factus dicitur inuisibilis, in diaphani corporis naturam effectum mutatum, quod sola facere potest diuinæ maiestatis omnipotentia. Deinde rerum hoc habet ordo naturalis, vt medio, seu diaphano illuminato statim ex quolibet illi præsentem corpore resultet naturaliter species visibiles, quæ proximus, & directè

directè oppositus oculus actuatur, sicut igne posito, derivatur naturaliter in proxima, & immediata corpora calefactio, adeò vt nulla vi naturali valeat impediri. Quamuis enim Angelus bonus, aut malus interposito frigido, ac denso corpore possit calefactionem alterius proximi corporis impedire, non tamèn immediatè, statim enim, vt aliud interponitur, iam illud prius immediatum non est, & tunc id quod de nouo ponitur immediatum, calefret ab igne naturaliter. Non enim potest Angelus naturales rerum proprietates, & passiones ex eis continuo, & naturaliter eluantes impedire, ne fluant; cum neque sic causa naturæ, quæ proprium est earum principium. Postremò dico, Dæmonis præstigio fieri potuisse, vt Lydorum ille Rex, & eius curia, & alij præsentem Gygem minimè viderent, & annulos illos arte Necromantica fuisse cum characteribus fabricatos, nec illos effectus naturales edidisse.

Contra eandem conclusionem desumunt quidam argumentum ex naturali rerum inter se similibus sympathia, qualis etiam esse videtur inter cælestes syderum figuras, & & astronomicas ad eorum imitationem arte factas: sicut enim (inquiunt) Echo ex opposito resultat pariete, & in speculo concauo radij collecti reuerberatione oppositum corpus accendunt, & cythara tensis aquæ, ac alterius cytharæ fidibus, percussa suo tinnitu simillimum in altera sonum efficit, ita cælestes imagines, & figuræ virtutem suam, & efficientiam communicant imaginibus, & figuris Astronomicis ad earum similitudinem fabricatis.

Respondetur primò, ineptas has omnes esse similitudines ad eorum opinionem Philosophis, vel mediocriter eruditis explicandam, aut suadendam. Cum enim, vt antè diximus, in Cælo nulla sint reales hominum, aut brutorum, vel aliarum rerum, quæ sunt apud nos, imagines, & figuræ, nulla potest esse realis earum imaginum, aut figurarum, quas vocant astronomicas, ad eas, quas in cælo fingunt, similitudo, ac proinde neque harum ad illas vlla potest esse causalitas, aut virtutis communicatio. In exemplis verò productis vtrumque consonans est reale. Deinde paries vocem repercutiens nullam habet cum homine similitudinem,

nem, nec similitudo, saltem vniooca est inter Solem vrentē,
& speculum, nec inter speculum reuerberans, seu reflectens
radios, & lignum, quod eorum efficacitate comburitur.
In cytharis autem illis similitudo realis est maxima.

Secundò dico, figuram secundum se, siue vt figura est,
nullius actionis, aut passionis esse posse principium, sed
ratione tantum subiecti naturalis, cuius actiue virtuti me-
re per accidens adiungitur hæc magis, quam illa figura.

Contra secundam conclusionem sunt argumenta Cai-
tani, quæ ex supra positis fundamentis facile diluuntur.
Ea refert, & soluit Valencia loco superius allegato, & Sua-
rez in dicto cap. 15. Eorum solutiones Ferraciensis indica-
uerat in allegato capitulo 105.

QVÆSTIO VI.

De Magia Astronomica Diuinatiua,
siue Iudiciaria.

*Distinguitur Astronomica Magia iudiciaria in
quatuor partes, quæ singule declarantur, &
distinguntur licite ab illicitis.*

S. Thom.
Diuiso.

Quatuor Astronomicæ Magiæ Iudiciariæ partes vi-
detur distinguere S. Thomas 2. 2. quæst. 95. artic. 5.
Prima est ea, quæ per cælestium corporum, & mo-
tum eorum regularium inspectionem de ijs futuris euen-
tibus iudicat, qui ex eis, veluti causis, & principijs immu-
tabilibus procedunt, vt effectus omnino necessarij, quales
sunt Eclipses, coniunctiones, oppositiones, stationes, re-
trogradationes, aspectus, &c. ex quibus veluti causis ali-
plures effectus eueniunt in rebus his naturalibus corrupti-
bilibus partim contingentes, & partim necessarij. Hæc
tamen pars non nisi improprie iudiciaria, ac minus adhuc
proprie diuinatiua poterit appellari. Iudiciaria namque
proprie sumpta nuncupatur illa, quæ circa rerum subluna-
rium versatur effectus ex cælorum motibus, & aspectibus præ-

præuidendos. Diuinatiua verò consuevit ea nuncupari,
quæ futurorum contingentium noticiam ex dictis cælorum
motibus, & influxibus proficetur.

Est igitur secunda pars, quæ necessarijs omnibus effecti-
bus ex cælorum motibus, & influxibus euenientibus præ-
cognoscendis intendit, quales sunt aeris in anno proximè
futuro dispositio salubris, aut noxia, grassantes in homini-
bus, aut cæteris animantibus morbi, annonæ caritas, aut
vbertas, ventorum, pluiarum, æstus, aut frigoris, niuium,
& grandinum exuberantia; hæc enim ex cælestibus causis
dictis physica quadam necessitate proueniunt.

Tercia pars futurorum contingentium cognitionem in
rebus ratione carentibus ex eisdem cælestibus causis pro-
ficetur. Cui magna ex parte videntur intendere, qui diarias
pro Ciuitatibus, aut Prouincijs scribunt pronostica de sin-
gulis dierum euentibus, præ serenitatibus, pluijs, ven-
tis, &c. possunt enim hæc multipliciter variari, aut impe-
diri respectu præsertim loci determinati, ac proinde veluti
futura contingentia nulla certa cognitione, sed coniectura
tantum intelligi, prædicium posse videntur.

Postrema pars circa liberos humanæ voluntatis actus,
& opera præcognoscenda versatur; quorum tres videntur
esse differentie: quædam enim ad vnã aliquam attinent
multitudinem, vt Regnorum, aut rerum publicarum reuo-
lutiones, bellorum, pacisq; vicissitudines, & similia: quædã
autem singularium sunt personarum: quæ duas etiam ha-
bent differentias, alteram actionum, & euentuum totius
vitæ, quas ex puncto natiuitatis, absque minuta dierum di-
cretionem coniectant: alteram actionum quolibet die, vel
etiam hora in singulis quibusque rebus, & negotijs eligen-
darum. De quibus singulis quæ breuissimè dicendum est.

Et primas quidem duas Astronomicæ Magiæ partes, quæ
non nisi improprie iudiciariæ, vel diuinatiuæ dicuntur, cum
necessaria simpliciter, vt prima pars, vel in pluribus, sicut
secunda, speculentur, meritò veras esse sciencias, & hone-
stas affirmat S. Doct. loco superius allegato, & vniuersæ
Theologorum, & Philosophorum Academiæ; quod idem
significat Sixtus V. in sua constitutione edita anno 1586.

ne nis

Quæ licita

nonis Ianuarij aduersus Astrologos iudiciarios. Vbi eam excipit Astrologia iudiciaria partem, quæ est circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam. Quare liberè poterunt Astronomi periti tales cælorum effectus, veluti necessariò futuros simpliciter, & absolūtè prædicere. Cuius oppositum incautè docet Martinus Delrius loco superius allegato.

Philos.

De tertia verò parte, quæ futurorum contingentium circa res naturales ratione carentes ex stellarum aspectibus, & influxibus notitiam proficitur, latè p. p. diseruimus, quæst. 57. art. 3. cont. 1. Vbi probauimus, in rebus naturalibus etiam in ordine ad cælestia corpora simul sumpta, multa contingenter euenire, & ea nullius Angelicæ mentis virtute, quantumuis excellenti posse præsciri, multò minus ergo poterunt ab homine prævideri. Nullus igitur absq; magna temeritate, vanitate, & falsitate poterit hæc simpliciter, & certò futura prædicere, vt ait S. Doct. in 2. 2. loco superius allegato, & ibi Caietanus. Probabiles autem euentuum coniecturas, siue suspiciones prudenter, & cautè proferre cuique scientiæ prædictæ professori licitum est.

S. Thom.

Caietan.

Non posse Astronomos ex syderum motibus, coniunctionibus, & aspectibus de futuris humanis actibus liberis certò, aut satis probabiliter iudicare.

Superest iam vltima pars, quæ liberorum humanæ voluntatis actuum præscientiam, aut coniecturam ex cælorum, siue syderum aspectibus proficitur.

S. Thom.

Vt autem colligitur ex D. Thoma in 2. 2. quæst. 95. art. 5. & 3. cont. gent. cap. 92. & in 1. 2. quæst. 9. art. 5. & in 3. de Anima tex. 151. & alibi, dupliciter existimari possunt agere cælestia corpora in intellectum, siue rationem, atq; ad eò in voluntatem, quæ in ratione est, vt ait Arist. in 3. de Anima tex. 42. Vno modo directè imprimendo in intellectum, & voluntatem, sicque eam efficaciter mouendo ad volendum, & operandum, & hoc modo summa fatuitas est opinari, cælestia corpora influere in intellectum, & voluntatè.

Aristot.

Im-

Impossibile est enim quodcumque corpus in eam substantiam, aut potentiam operari, quæ neque sit à materia dependens, neque sit actus organi corporei, quales ex vera philosophia constat esse intellectum, & voluntatem; quapropter ex antiquis philosophis illi tantum existimauere cælestia corpora imprimere in intellectum, & voluntatem, qui intellectum asserbant à sensu non esse differentem; ac proinde dicebat Homerus, talem esse in hominibus voluntatem, qualem in die inducit Pater virorum, Deorumque, scilicet Sol, vel Cælum, vt S. Doct. exponit in 2. de Anima tex. 150.

Alio modo possumus existimare, cælestia corpora agere in intellectum, & voluntatem indirectè, & quasi per accidens, imprimendo scilicet in corpus humanum, & consequenter in vires sensitivas, apprehensiuas, & appetitivas, quæ sunt actus corporalium organorum. Mouetur enim quodammodo, scilicet indirectè voluntas ab appetitu sensitivo, atque ita redundat motus cælestium corporum in voluntatem, vt enim ait S. Doct. in 1. 2. q. 9. artic. 2. Id, quod apprehenditur sub ratione boni, & conuenientis, mouet voluntatem per modum obiecti; quod autè aliquid appareat bonum, & conueniens, ex duobus euenit, scilicet ex conditione eius, quod proponitur, & eius, cui proponitur: Cum enim conueniens dicatur secundum relationem ex utroque extremorum eius ratio dependet. Quò fit, vt iustus vno modo dispositus rem, aut actionem aliquam iudicet esse conuenientem, quam sub alia dispositione positus minimè conuenientem esse iudicabit. Nam, vt ait Arist. in 3. ethic. cap. 4. qualis vnusquisque est, talis finis videtur ei. Exemplo res sit perspicua: frigore nunc Petri corpus affigitur, eo quod frigiditas sit complexionì Petri contraria, atque ideo caliditas sit eius nunc complexionì conueniens: ex præsentis itaque frigoris nociua dispositione, cui calor opponitur, vt conueniens eidem corpori dispositio causatur, vt ex occasione in Petro apprehensio caloris, & calefactientis, seu calefactiuì, quod bonum esse iudicatur, & vt appetendum offertur voluntati, quemadmodum etiam irato Paulo fit vindicta conueniens, & ex hoc excitatur præ-

Voluntas
quomodo
à celo mouetur.

S. Thom.

Aristot.

cticus

Lecchi 3.

Eticus intellectus ad apprehendendum repercussionem, ut bonam, & paulò convenientem hic, & tali modo, &c. Et de sensuali concupiscentia dicitur Iacob 3. *Vnusquisq; tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illeclus.* Appetentis itaque dispositio corporea, quãquam ex parte subiecti se teneat, voluntatem tamen non nisi ex parte obiecti mouere potest; cum eam non moueat, nisi quatenus modo dicto redundat in apprehensionem obiecti voluntatis. Cum itaque celestia corpora suis influxibus varias in humanis corporibus dispositiones efficiant, pluribus etiam modis dispositiue, & indirectè, & quasi per accidens nostrum intellectum, & voluntatem immutant, nulla tamen illi imposta necessitate, quia motio hæc est ex parte obiecti valde deficientis à perfecta ratione boni. Possunt igitur, ut ait S. D. locis supra notatis, celestia corpora in humanum corpus influendo, & consequenter in vires eius sensitivas, quæ inclinant ad humanos actus, ipsum hominem inclinare dispositiue ad aliquid eligendum, aut operandum. Sed quia Ratio sue præstantia dignitatis virium sensitivarum dominatur affectibus, potest, quod à sensu præsentatur, ut bonum, recto discursu, sanoq; iudicio malum esse definire, & ut malum, ac euitandum offerre voluntati, & eam ad oppositum eligendum, efficaciter inclinare; quod etiam diuina scriptura testatur Genes. 4. dicens: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.*

Gen. 4.

Sydera
quò incli-
nent.
Caietan.

Quibus verò modis celestium corporum, siue syderum motus, coniunctiones, & aspectus in hominibus inclinationes efficiat, explicat vberimè Caietanus in suo Comm. ad art. 5. quest. 95. superius allegatæ ex doctrina D. Thomæ in suprascripto cap. 92. dicens, duas simul nonnunquam in eodem homine inclinationes concurrere per accidens, ut cum (exempli gratia) Petrus inclinatur ad submersionem in aquis, simul etiam inclinatur ad aliquid operandum super, vel iuxta aquas.

Et quoniam ex quacunque corporis humani dispositione, aut sensitivæ partis affectione non inclinatur, aut mouetur ex necessitate voluntas, quæ celestibus corporibus, & astris excellentior potest, si voluerit, illis liberè dominari; ideo

ideo futuræ voluntatis humanae deliberationes, & actus eam elicit, quàm imperati nulla possunt ex syderum motibus, & aspectibus certa cognitione præsciri, sed debili valdè coniectura, fallaciq; diuinatione prænosci. Quare prædentes, & sobriè debent Astronomicæ Magiæ periti talibus vti coniecturis, nihil cuiquam omninò veluti certum, aut valdè probabile prædicendo, sed naturalem dumtaxat inclinationem insinuant ad ea mala salubriter præcauenda, quorum dispositiones, & initia norunt iam esse præsentia, vel etiam esse futura prævident, ut piè nō minus, quàm eruditè Caietanus aduertit, & alij ferè omnes neoterici supra nominati.

Quæ verò, & quanta sit culpa temerè diuinantium, & prædicentium liberos humanæ voluntatis actus ex influxu Cælorum, aut syderum aspectu, declarant diuinæ litteræ, leges humane tam sæculares, quàm Ecclesiasticæ, scripta Sanctoꝝ, documenta philosophorum, Regnoꝝ, & gentium omnium consensus; & odium in diuinatores illos multiplici pœnarum genere patefactum, ut explicabitur in sequenti Cōtrouersia: leges omnes, & auctores collegit Martinus diligenter lib. 4. cap. 3. q. 1. Suarez, & Azorius locis superius allegatis.

Martinus.
Suarez.
Azorius.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

Prima conclusio: Cælestia corpora directè nō influunt in intellectum, nec in voluntatem, nec vllam eis inferunt necessitatem. Probat: Quoniam inter agens, & patiens debet esse proportio: nulla verò potest esse proportio spiritus, ut patientis, ad corpus, ut agens, ergo. Eandem conclusionem multis argumentis probat S. D. in 3. cont. gent. cap. 84. & 85.

S. Thom.

Secunda conclusio. Cælestia corpora dispositiue, indirectè, & quasi per accidens, & per quandam redundantiã mouent humanam voluntatem. Hæc patet ex dictis, & probat eam, ac explicat eleganter S. D. de Verit. q. 5. art. vltimo, & locis supra notatis.

Tertia conclusio: Præscire possunt Astronomi dispositio-

tiones, & inclinationes ex cœlorum influxibus in humano corpore futuras in ordine ad actus voluntatis. Hæc sequitur ex secunda, & patet ex dictis, & probat eam S. Doct. locis superius allegatis.

Quarta conclusio: Ex cœlestium corporum, siue syderum aspectibus, & influxibus præcognosci, aut prædici non possunt actus humanæ voluntatis, nisi coniecturali notitia valde debili. Probatur: Quia non nisi parvam habet homo notitiam de cœlestibus corporibus, & astris, ac de eorum motibus, coniunctionibus, oppositionibus, & aspectibus, & ea, quam habet, incerta est ob novos motuum progressus, qui continuo fiunt, donec sphaerarum omnium motus post triginta sex annorum millia compleatur, si tamen Deo placuerit tam longam esse motuum durationem.

Quinta conclusio. Multa futura sunt in rebus naturalibus, quæ, cum sint contingencia, non possunt ex cœlestium corporum motibus, & aspectibus ab Astronomo præcognosci. Hæc patet ex dictis p.p. qu. 57. art. 3.

Sexta conclusio: Hæc, quæ de futuris actibus humanæ voluntatis per coniecturas possunt Astronomi præcognoscere, valde prudenter, & sobrie debent enunciare, ne mentes hominum impleant vanitate. Hæc patet ex quarta conclusione.

Argumenta, & solutiones.

Contra primam Conclusionem sunt argumenta, quæ profert, & soluit S. Thomas in 1. 2. qu. 9. art. 4. & de verit. qu. 5. art. vlt. & alibi.

Contra secundam, & tertiam conclusionem sunt quinque argumenta Ioannis Picus, quæ refert, & soluit Ferraricenf. lib. 3. cont. gent. cap. 85. §. Circa ea.

Contra quartam conclusionem sunt argumenta, quæ profert, & soluit S. D. in 2. 2. qu. 95. art. 5. & ea, quæ referunt, & solunt vterque Picus locis superius allegatis, Sybilla Decade 1. cap. 9. q. 3. Martinus lib. 4. cap. 3. qu. 1. & Suarez loco supra notato.

Contra quintam conclusionem sunt argumenta Fonse-

S. Thom.
Picus vtar
que
Sybilla.
Martinus.
Suarez.
Fonseca.

(C)

ex, Molinæ, Vasquezij, Suarezij, & aliorum à me soluta, in p.p. quæst. 57. art. 3.

Molinæ.
Vasquez.

QVAESTIO VII.

*Platoniorum opinione reiecta, quæ sit efficacia
Musica declaratur.*

Musicam Harmoniam, quæ, numerorum proportione seruata, suaves in audientium auribus resonat sonorum modos, ad plurimos in rebus sensibilibus admirandos effectus extendi posse Platonici crediderunt, asserentes, non solum homines, sed genus omne ferarum, plantarum, mistorum inanimatorum, & elementorum attrahi, ac virtute numerorum musicorum immutari. Existent enim, excellentem quandam inesse cœlestium corporum motibus harmoniam, cuius participata similitudo musicis hominum sonis voce, vel instrumentis edicis vim conferat admirabilem, qua feras, Sylvas, saxa, & flumina, veluti animata quadam (vt aiunt) anima communi, possit allicere, ac multipliciter immutare, quod Orphæum effecisse musico lyra sono narrant Ouidius, Horatius, & alij Poetæ, quibus Platoniorum nonnulli fidem adhibere non erubescunt. Quorum vanitatem, & insaniam falsis, ac ridiculis fundamentis innixam latè confutat Martinus Del-

Martinus.

rius lib. 1. disp. Magic. cap. 4. Neque tamen negandum est, multos esse musicorum sonorum mirandos effectus; brutorum .n. plurima suavi sonorum proportione numerica quam maximè delectantur, & auriculæ propositos ab homine contentus attentè percipiunt, & mera facilitate perdiscunt, ac resonant. Sed magna dignum est admiratione, quod narrat Petrus Andreas

Andr. Mat.
thiolus.
Tarantulg.

Matthiolus in comm. ad lib. 2. Dioscoridis, cap. 5. cuius Italica verba hunc Latine sensum efficiunt. Reperitur in Italia species quedam Araneorum pessima, qui à Taranto regni Neapolitani Ciuitate Tarantulæ nominantur, eo quod ibi sit eorum copiosa generatio: hæc mira causant in homi-

Z 2

nibus,

uibus, quos momorderint, accidentia; quidam enim cantant, alij rident, alij flent, alij clamant, alij tuomunt, alij dormiunt, alij vigilare, alij saltant, alij tremunt, alij sudant, alij alijs subduntur accidentibus, adeo, ut stulti, vel arrepticij videantur. Et paucis interpositis, addit: Sed valde mirandum est, dictorum animalium venenum musicalium instrumentorum sono mitigari, & vinci. Tres enim, aut quatuor homines vidi dictorum moribus animalium vulneratos ad locum, vbi musica pulsabantur instrumenta, perducere, statimque eorum afflictionem minui, & ibi fortiter, continuoq; saltare, sed, cessante sono, prius paulatim subiiciebantur accidentibus, & ideo iam nunc musicalis ille sonus tam diu manuteneri consuevit, donec plene, manifesteque sanati videantur. Longus enim sonus cum salutatione continua sudorem prouocante veneni tandem superat aegritudinem. Hæc ille.

Aristot.
Celsus.

De Musica differentijs, vsu, & efficacia in mouendis, ac immutandis humanis affectibus latè differit Aristoteles in 8. Politicorum cap. 5. & sequentibus, & Ludouicus Celsus Rhodiginus lib. 9. lectionum antiquarum cap. 7. & 8. Nec plura de hac materia huic nostræ Theologicæ controuersie videntur esse necessaria.

QVÆSTIO VIII.

De Magia Perspectiua, & Præstigiatrice.

Distinguuntur Magia perspectiua species, & earum vis declaratur.

Magia Perspectiua quatuor videntur posse membra distingui. Primum ad scientiam attinet Perspectiuam Mathematicæ subalternatam quæ ad eam Perspectiuæ partem, quæ speculis, aut perspicillis vtitur ad res miris quibusdam modis oculis offerendas. Cuius pars videtur esse præcipua, quæ res longissimè postas medijs quibusdam ocularibus instrumentis, siue perspicillis veluti

pro-

propinquas offert oculis intueudas: Quale est illud instrumentum oblongum duplici christallo, siue vitro pellucido, & concauo hinc inde confecto ante paucos annos inuentum, aut ex antiquorum traditione renouatum, quo res per multa millia distantes sic præsentibus oculis videndis conuertuntur, vt ex quantitate, & situ apparentia parum à conspiciente distantes esse videantur. Secundum membrum eam constituit Magiæ partem, quæ loco, situ, distantia, medio, lumine, & cæteris ad visibilibus actum ex parte visibilis concurrentibus bene consideratis, rem præpè, vel ex vna parte videndam vnus, quæ vera est, figuræ constituit, vt eminens, aut ex alia parte conspicienti alterius figuræ, quam oculis intuentium offerre desiderant, esse videatur: Quod excellentes in arte pingendi frequenter efficiunt. Tercium huius Magiæ membrum ad scientiam pertinet rerum naturalium: Propriumque eius esse videtur, intuentium oculos falsa rerum apparentia ludificare: quod artificiosa rerum naturalium commitione, vel applicatione fieri, posse constat. Authores grauisissimi, & ipsa docet experientia. Has visuæ potentie deceptiones Irenæus lib. 1. aduersus hæreses cap. 4. vocat Anaxilai ludicra, de quibus etiam meminit Plinius lib. 28. & 35. & præcipuum ad efficienda quædam eorum præcipua docet Porta lib. 2. Magiæ naturalis, cap. 17. vbi scribit quomodo quibusdam rebus adhibitis, cubiculum appareat viride, nigrum, flauum, aut argenteum, vel etiam vitibus, frondibus, & vis plenam, quo facies hominum insignis videantur esse maciei, & palloris, & aut sine capitibus astantes appareant, aut esse eorum equina, vel asina capita videantur. Postremum eiusdem Magiæ membrum in vilium quarundam personarum arte confisio, quæ summa, & incredibili manuum vtentes agilitate oculis intuentium illudunt, ita vt quibusdam ab eis quasi instantaneè factis, non illa, sed alia fecisse videantur. Quod exercitium valde familiare est circulatoribus, & vulgo notissimum.

Plinius.

Porta.

2 3

SE-

SECUNDA CONTROVERSIA

De Magia non naturali, sed Dæmoniaca, & superstitiosa.

Proposita duplici nominis significatione, definitur Magia superstitiosa late sumpta.

MAGIA nomen, quod hic nobis primò declarandum occurrit, duplicem videtur habere significationem, scilicet latam, & strictam. Sub latà Magiæ significatione species omnes superstitionis tant diuinationis, quàm operatiuæ continentur. In quo sensu Magiæ nomen usurpant nonnunquam diuina litteræ, Matth. 2. Magi ab Oriente venerunt. Act. 8. Vir autem quidam nomine Simon, qui antè fuerat in Ciuitate Magus, & cap. 13. Residebat autem illis Elimas Magus. Hos enim credimus utriusque Magiæ, scilicet diuinationis, & operatiuæ fuisse profectores. Hoc modo sumptam Magiam distinguens Plinius sub eâ constituit species omnes diuinationis infra numerandas. Et hæc videtur apud Chaldeos, Persas, & alios quosdam artis Magicæ profectores fuisse vulgata dictæ vocis significatione, ut patet ex dictis in principio Controuersiæ præcedentis. Nec obstat Augustinus à Gratiano relatus, 16. q. 3. cap. 1. g. dicens, stellarum interpretes Magos fuisse nuncupatos Matth. 2. non enim ait hanc fuisse propriam, & adæquatam nominis significationem. Ex quo siquidem scdere cum Dæmonibus inito peruersi homines Dei contemptores, & mira perpetrant, & futura diuinant. Sed magis propriè, & frequentius in sacris litteris nomine Magorum significantur, qui mira quædam hominum vires, & cognitionem excedentia faciunt virtute Dæmonis, cui stricto sese scdere deuouerunt: ut Magi Pharaonis Exod. 7. & 8. Vnde passim diuina Scriptura Magos distinguit ab Ariolis, & alijs diuinatoribus. Leuit. 19. Non declinetis ad

Matth. 2. Act. 8. & 13.

Gratiano.

Lev. 19. & 20.

Ma-

Magos, nec ab Ariolis aliquid sciscitemini, & cap. 20. Anima, qua declinauerit ad Magos, & Ariolos, & c. & 1. Reg. 18. Ecce tu nosti, quanta fecerit Saul, & quomodo eraserit Magos, & Ariolos de terra. & Dan. 1. Super cunctos Ariolos, & Magos, qui erant in Regno, & cap. 2. Ut conuocarentur Arioli, & Magi, & malefici, & Caldei, & infra: Magi, Arioli, & Aruspices. Eandem significationem huic nomini tribuit Augustinus apud Gratianum, 16. quæst. 5. cap. Nec mirum, dicens, Magos eos esse, qui vulgo malefici ob facinorum multitudinē nuncupantur, qui permissu Dei elementa concutiunt, turbant mentes hominum minus confidentium in Deo, ac sine vilo veneni haustu, violentia tantum carminis interimunt. Vnde etiam Exod. 7. Magi Pharaonis non Magi, sed Malefici nuncupantur: sic. n. ait scriptura. Vacauit autem Pharaos sapientes, & Maleficos, & fecerunt etiam ipsi per Incantationes Aegyptiacas, & arcana quadam similia. Distinguitur ergo Magia late sumpta in diuinatoricam, & operatricem. Sed antequam duos hos Magiæ modos, siue membra diuidamus in species, necesse est superstitiosæ Magiæ definitionem assignare, & quo ad singulas eius partes breuiter explicare. Est igitur magia superstitiosa quædam Ars, cujus professio, siue institutum est virtute Dæmonis occulta diuinare, & mirabilia præter consuetum, aut comuniter notum rerum cursum, & hominum opinionem, & captum efficere.

Dicitur Ars, quia noticia practica est ad actiones diuinationis locutionis, & operationis externæ: dicitur esse professio, vel institutum virtuti Dæmonis innixum, quia Magus ex scdere cum Dæmone percusso diuinat occulta, & efficit mirabilia.

Dupliciter verò pactum iniri potest cum Dæmone, scilicet explicitè, & implicitè. Tunc proprie fit cum Dæmone pactum explicitum, quando ad modum contrahentium proponuntur hinc inde conditiones, & acceptantur: ut cum promittit Dæmoni Magus reuerentiam, & cultum, vel etiam ei semetipsum offert, ut ille ad scientias, honores, diuitias, aut voluptates adipiscendas, aut mita supra comunem hominum facultatem, & captum efficienda, vel etiam ad oc-

2 4 cul-

1. Reg. 18

dan. 1. & 2.

August.

Exod. 7.

Distinguitur

Matth. 4.

cultu diuina auxiliu suu victoris impendat. Tale pactu inuente nrauit Diabolus cum Christo Matth. 4. dicens: *Hac omnia tibi dabo, si caueas adoraueris me.* Tunc autem pactum interuenit cum Dæmone solum implicitum, quando medijs iam ab aliquo Mago ad aliquid obtinendum fere constrictis, puta verbis, characteribus, aut alijs quibuscunq; signis, aut ceremonijs aliquis uisitur ad illud assequendum, sciens, aut scire debens his esse Dæmonis opus annexum. Hunc pacti modum implicat vniuersa sortilegia, quibus non infideles tantum, sed etiam fidelium multi, ac femine præsertim vtuntur ad aliquid obtinendum, quod tam inordinate, quam anxie concupiscunt. Ceteræ definitionis particulæ satis fuere superius in prima cõtrou. declarata.

Distinguntur, & explicantur quinque modi generales Magiæ superstitiosæ diuinantis ex pacto cum dæmonibus explicatio.

S. Thom.

Nunc priorem superstitiosæ Magiæ partem, scilicet diuinatiuam in proprias species, siue modos cõ D. Th. 2. 2. qu. 95. art. 3. diuidamus. Diuinatio omnis auxilio Dæmonis uisitur ad futura præcognoscenda. Potest autem Dæmonis auxiliu dupliciter postulari, scilicet expressè, uel tacitè: quorum duorum differentiam explicat eruditè Caiet. in suo Comm. ad dictum art. in principio. Priori modo dæmones inuocati quinque modis præcipuis futura prænunciant: Primò inuocantium oculis, uel auditui sese præstigiôsè, uel etiam realiter præsentando, ut cum in assumpto corpore, uel in idolo, aut specu, uel etiam in aere loquitur dæmon: & hoc modo constituitur species quedam diuinationis, nuncupata Præstigiũ; eo quod oculis siue sensus hominum præstringantur. Secundò in somno, mouendo species phantasiæ modo superius explicato, sicq; notitiã occultorum in homine dormiente causando. Et hæc dicitur diuinatio somniorum. Tertiò sic occultorum, ac præcipue futurorum à dæmone reuelatio per uerba, aut ima-

Caiet.

maginarias mortuorum apparitiones, qui & ad uitam reuocati uideantur, & diuinare, & ad interrogata respondere censeantur: quemadmodum de Samuele 1. Reg. 28. diuina narrat historia, cui Patres Doctores varias, & contrarias adhibent expositiones, quibusdam asserentibus, uerè Samuelem, sic Deo disponente, fuisse suscitatum, ut reprobo Sauli futura mala prædiceret, quibusdam autem negantibus animam illius Sancti Prophetæ ab inferis fuisse reuocatum, & dicentibus, Dæmonis fuisse Præstigiũ. Nuncupatur hic diuinandi modus Græco uocabulo Negromantia; Nigron. n. græcè mortuum, mantia uerò diuinationem significat, eo quod quibusdam præcantationibus, adhibito sanguine, uidentur suscitari mortui diuinare, & ad interrogata respondere. Quarto futura prænunciant Dæmones medijs quibusdam uiuentibus hominibus arreptijs, in quibus loquuntur, uel linguas eorum mouentes, aut uocum similitudines e pectore, aut uentre resonantes: Unde uentri loqui dicti sunt. De quorum numero secundum communiorẽ sententiã fuisse Sybillas Martinus affirmat lib. 4. cap. 2. qu. 6. Quam opinionem esse falsam, & Christianæ pietati contrariam probant opposita Sanctorum, & Ecclesiæ dicta. Nam, ut refert Clemens lib. 6. Stromatum Paulus Apostolus suos hortabatur ad lectionem Sybillinarum uoluminũ, cuius Apostoli uerba hæc refert ex recondita quadam scriptura: *Libros Græcos sumite, & Sybillas cognoscite, quomodo unum Deum significent, & ea, quæ futura sunt, & inuentu in eis filium Dei clarius, & apertius scriptum.* Iustinus Martyr. in admonitorio gentium de Sybilla Cumana scribens sic gentes alloquitur: *Uos cultum Dei ex parte condiscatis, facile uobis præstabitur ex antiqua Sybilla Cumana inspiratione quapiam per oracula uos edocentio, quæ nimirum Prophetarum doctrina proxima uidentur.* Et quibusdam interpolitis, addit. *De saluatoris autem nostri Iesu Christi aduentu, & de ijs omnibus, quæ is facturus erat, manifestè pronunciat; quorum notitia nobis necessaria quadam præexercitatio futura est ad sacrorum prophetias uirorum.* Hæc ibi. Augustinus in expositione inchoata Epist. ad Rom. de Sybillinis oraculis, ita scribit: *Fuerunt, & inter gentiles Prophetæ, in quibus etiam*

1. Reg. 28.

Martini opinio de Sybillis reijcitur. Clemens.

Iustinus.

Augustin.

etiam aliqua inueniuntur, quae de Christo ceceperunt, sicut etiam de Sybilla dicitur, quod non facile crederem, nisi quod Poetarum quidam in Romana lingua nobilissimus antequam diceret eade in nouatione saeculi, quae in Domini nostri regnum satis concinere, & conuenire videntur, praeposuit verbum dicens. *Vltima Cumai venit iam carminis aetas: Cum autem autem carmen Sybillinum esse nemo dubitauerit.* Hæc ille. Et de Ciuitate Dei lib. 18. cap. 13. Postquam viginti septem Erithræ Sybillæ carmina retulit, quorum versuum litteræ capitales sic erant dispositæ, vt hæc verba redderent. *Iesus Christus Dei Filius Saluator*, subdit. *Hæc autem Sybilla siue Erithræa, siue, vt magis quidam credunt, Cumana ita nihil habet in toto carmine suo, cuius exigua ista particula est, quod ad Deorum falsorum, siue scilicet cultum pertineat: quinimmo ita etiam contra eos, & contra cultores eorum loquitur, vt in eorum numero deputanda videatur, qui pertinent ad Ciuitatem Dei.* Hæc August. qui non solum ibi, sed alibi sæpè de Sybillarum oraculis meminit, veluti diuinitus inspiratis, sicut etiam antè ipsum Eusebium, dictus Casariensis, Arnobius, Lactantius Firmianus Sybillarum versibus, vt propheticè pronuntiatis aduersus gentium infidelitatem vtuntur.

Præcipua quædam, & mira Sybillarum carmina de primo, & secundo Saluatoris aduentu, & eius vita, morte, & resurrectione referunt Sixtus Senens. lib. 2. Biblioth. in verbo Sybilla, & Michael Medina de reætâ in Deum fide lib. 2. cap. 9. De Sybillis autem ita loquitur Sixtus.

Sybilla omnes samina fuerunt Vates Deo plene, perpetua virginitate florentes, futurarum rerum præsciæ, &c. Medina verò prædictus ita scribit: Inter ea, quæ de Christo, & Evangelica Religione testimonia sunt lata, magnopere sunt admiranda, quæ Sybillæ, quas diuino spiritu afflatas, vno excepto Cicero, quod rem Christianæ Religionis non caperet, prophani auctores, & Sancti Patres conueniunt, edidisse deprehendimus, &c.

Ex quibus perspicuè constat, communiorem esse Patrum, & Doctorem sententiam, Sybillas spiritu prophético diuinitus eis immisso fidei nostræ mysteria prædixisse.

Quod res etiam ipsæ prænuntiatae manifestè declarant, certum est enim, Dæmonibus Incarnationis diuini Verbi

My-

Mysterium, præsertim antequam fieret, non innotuisse, & multo minus nomen, passionem eius saluti feram, resurrectionem, ascensum in Cælum, & alia, quæ Sybillinis illis versibus adeo clarè, distinctèq; prædicuntur, ac si ea proprijs oculis iam facta vidissent.

Quibus omnibus adde grauissimum Ecclesiæ testimonium in prosa metrica, quæ legitur in Missa Dominicae Natiuitatis, in qua de perfida Iudæorum, Sinagoga sic loquitur: *Si non suis Vatribus, credat vel gentilibus Sybillinis versibus hæc prædicta.* Nimis igitur audacter, ne dicam temerè, Martiùs affirmat secundum communiorem sententiam oracula Sybillarum fanatico, seu Dæmoniaco spiritu pronuntiata fuisse.

Ioannes Franciscus Picus de rerum prænotione lib. 4. in fine multos refert ex antiquis præsertim gentilibus asserentes Sybillas favore correptas futurorum euentuum vaticinia protulisse.

Sed iam ad institutum redeamus. Quartus ille diuinandi modus, quem à Sybillis exclusimus, nuncupatur diuinitio per Pytones; qui vt ait Izydorus à Pytone Apolline sunt dicti, quem assererebant Gentiles auctorem esse diuinandi, & primo Regum viginti octaui: De Saule querente mulierem diuinatricem sic loquitur sacer textus: *Dixitq; Saul seruis suis: quarite mihi mulierem habentem Pytonem, & vadam ad eam, & sciscitabo per illam.* Ex dixerunt serui eius ad eum: *Est mulier Pytonem habens in Endor.* Et paucis interiectis. *Diuina mihi in Pytone, &c. & Deuter. 18. Nec sit Maleficus, nec incantator, nec qui Pytones consulat, nec Diuinos.*

Quintò Dæmones expressè inuocati futura prædicunt per quatuor figuras, aut signa eorum opera in rebus inanimatis apparentia.

Qui modus in quinque diuiditur modos materialiter, ac per accidens tantum ab inuicem differentes iuxta quinque corporum differentias, in quorum superficiebus apparent figuræ, vel signa: hæc verò sunt primò ceteri est corpus, vt lignum, ferrum, aut lapis politus, in quibus si figuræ, vel signa appareant futurorum indicatiua, vocatur ea diuinitio Geomantia. Secundum est aqua, in qua prædicto modo

Ecclesia,

vultus id

Io. Fr. Pic.

Izydorus.

Pytones

vnde dicit.

1. Reg. 28.

Deut. 18.

vultus id

do

Eusebius.

Arnobius.
Lact. Fir.

Sixt. Sen.

Mich. med.

do facta diuinationo nuncupatur hydromantia. Tertium est aer, in quo facta diuinationo per figuras, aut signa in eo visa dicitur aeromantia. Quartum est ignis, in cuius figuris, & signis fit ea diuinationo, quae dicitur Pyromantia. Quintum sunt viscera animalium. Dæmonibus in coruâris imolatorum, in quibus diuinationo facta dicitur Aruspicium.

Martinus.

His addit Martinus lib. 4. cap. 2. quæst. 6. & 7. plusquam triginta diuinandi modos ex signis partim in rebus inanimatis, & partim in rebus animatis apparentibus, ex quibus tamen plurimi membra sunt alicuius ex quinque iam dictis. Videat eos apud dictum authorem, qui voluerit.

Distinguuntur modi communes Magiæ diuinantis ex pacto cum Dæmonibus tantum implicito.

Eius verò diuinationis, quæ absque expressa dæmonis inuocatione illius vitur auxilio, duo sunt genera.

Alterum est: cum in quarundam rerum dispositionibus quæpiam consideratur, vt signum eorum futurorum, quorum prænotionem habere desideramus. Cuius quatuor sunt species, vel modi præcipui, qui plurimos alios complectuntur.

Primus est diuinationis ex situ, & motu syderum, & hæc est Astronômica diuinationo, cuius professores Genethiaci nuncupantur, eo quod ex natalium dierum consideratione futura prædicunt totius vitæ cursus accidentia.

Secundus est diuinationis per motus, & voces animalium, ac præsertim auium, vel per sternutationes hominum, aut membrorum saltus; qui diuinandi modos coman vocabulo nuncupatur augurium, ab auium garritu sic dictum, vel auspicium ab inspectione auium, quia frequentius ex auium garritu, & motu fieri solet hæc diuinationo. Tertius est eius Diuinationis, quæ fit ex hominum verbis ad aliquid aliud agendum, aut significandum emissis, quæ quis ad ea futura retorquet, quorum præcognitionem inquirat, & hoc dicitur Omen.

D. Thom.

Cuius exemplum profert S. D. ex Valerio Maximo, qui lib. 9. cap. 9. narrat Romanis deliberantibus.

Vtrum

Vtrum ad alium locum migrarent, tunc forte Centurionem quendam exclamasse, signifer, statue signum, hic optime manebimus. Quam vocem audiram (inquit Valerius) pro Omine acceperunt, transeundi consiliu omittentes. Quartus modus est eius Diuinationis, quæ fit ex consideratione quarundam figurarum, aut linearum in manibus hominum, & hæc dicitur Chiromantia, vel in spatulis animalium, & hæc vocatur Spatulamantia.

Val. Max.

Alterum Diuinationis genus expressa carens Dæmonum inuocatione sortis modos omnes amplectitur; fit enim ex eorum consideratione, quæ serio fiunt ab hominibus ad aliquid occultum inquirendum. Hæc verò sunt puncta protracta, figuræ resultantés ex plumbo liquefacto in aquam proiecto, schedulæ scriptæ, vel etiam non scriptæ in occulto repositæ, & sorte acceptæ, vel distributæ, festucæ inæquales propositæ, & à diuersis acceptæ, taxilli proiecti, verba in libro, qui sorte fuerit apertus, occurrenceia.

Martinus.

Martinus in allegato lib. 4. cap. 2. qu. 7. sect. 1. species decem, & octo numerat, & explicat accuratè Diuinationis explicitum cum dæmone pactum non habentis: quibus alia ferè innumeræ possent adiungi, quoniam earum distinctio non est per formales, & essentielles Diuinationis differentias sed per materias, siue subiecta, vel accidentia tantum extrinseca. Vbi lector aduertat, plures Diuinationis modos ad vtrumque posse diuinationis genus pertinere, ad illud, scilicet quod cum Dæmone pactum habet explicitum, & ad illud, quod ex implicita tantum pactioe futura diuinat; idem enim prænotionis, & diuinationis effectus ex eisdem medijs supra nominatis euenit, siue pactum explicitum, siue tantum implicitum cum Dæmonibus habeat ille, qui diuinat. Qua ratione fortasse Martinus multas diuinationis species à D. Thoma sub vno genere collocatas sub alio constituit: sed D. Th. quod regulare, & frequens est in arte diuinandi sapienter attendens, species diuinationis prædicto modo distinxit, & ordinauit.

S. Thom.

Iti-

Illicitam esse diuinationem omnem, quæ fit per Dæmonis inuocationem explicitam, aut implicitam.

Sed iam de singulis superius enumeratis diuinationis speciebus, siue modis, ea, quæ decet nostræ huius laburbationis institutum, breuitate differamus. Præmittendum autem hic primò est cum D.Th. 2. 2. q. 95. art. 4. Diuinationem omnem, quæ fit per Dæmonum inuocationem, siue ea sit explicita, siue tantùm implicita, illicitam esse. Primò: Quia diuinationis omnis principium est pactum cum Dæmone initum, in ipsa Dæmonis inuocatione consistens, siue verbis inuocationis formalibus, aut etiam contractum ineuntibus fuerit expressum, siue factò, puta recursum ad Dæmonem, societatem cum eo continente fuerit exercitum, & implicitè tantùm significatum, vt explicat ibi subtiliter, & eruditè Caiet. Illicita est .n. omnis cum Dæmone societas, & fœdus iuxta illud Isa. 28. *Dixistis, percussimus fœdus cum morte, & cum Inferno fecimus pactum.* Secundò Dæmon hostis est antiquus humani generis, astutiæ suæ technis, ac fraudibus hominibus semper assidens, vt eos circumueniat, peccatis implicet, ac perdat: recurrentibus, & ab eo veritatem mendicantibus hominibus nonnunquam etiam vera respondet, vt assuescant sermonibus eius fidem adhibere, & illius documenta, veluti regulas in operando, & cauendo sibi præstitueret, atq; ita credulos, incautosq; decipiat, & in perpetuæ damnationis baratrum secum trahat.

Caietanus.
Isa. 28.

Cum igitur à Christianis in Dei filios regeneracis perpetuum debeat esse Dæmoni diuinæ Maiestatis, & humani generis hosti bellum indictum, lætæ maiestatis crimen, & apostasiæ delictum incurrit, quisquis inuocatione, vel quocumque societatis effectu Dæmoni cultum impèdendū illius implorat auxilium, vt ibidem explicat Caietanus.

Caietanus.

QVAE-

QVAESTIO I.

De Diuinatione, quæ fit per Astra.

Probatum octo generibus argumentorum vanam, & superstitiosam esse partem illam Astrologiæ iudiciariæ, quæ versatur circa liberos humanæ voluntatis actus præcognoscendos, ac prænunciandos.

His itaq; præmissis, de prima nunc Diuinationis specie, quæ fit per astra, dicendum est. Duo verò sunt hic breuiter demonstranda. Primum est, Astrologiæ iudiciariæ, siue diuinationis professionem circa contingentes rerum euentus, & actus liberæ voluntatis præcognoscendos, ac prænunciandos vanam esse, & omni prorsus veritatis soliditate destitutam. Secundum est, eandem artem in ordine ad rem medicam, nauigationem, & agriculturam habere physicam certitudinem, & esse valde vtilem, ac necessariam.

Suppositis igitur ijs, quæ de Magia astronomica diuinationis, & iudiciaria diximus in præcedenti controuersia, quæ 6. probatur primum octo generibus argumentorum. Quorum primum dicta continet diuinarum litterarum, ex quibus hæc videntur esse præcipua, Deut. 18. cap. *Gentes istæ, quarum possidebitis terram, augures, & diuinos audiunt, tu autem à Domino Deo tuo aliter es institutus.* Vt autem Io. Franc. Picus aduertit lib. 5. de rerum prænotione, cap. 7. nomen illud, *augures*, à D. Hieronymo translatum est ex Hæbreo nomine horam significante, quo maximus Hæbreorum Doctor Achinaseos affirmat intelligi, qui tempora supputat, & felices horas, ac infelices obseruant: Et præterea vox illa, *diuinos*, omnes futura contingentia prænunciantes, atq; adeò etiam Astrologos comprehendit. Isa. 41. cap. *Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dñs estis* 7. 705, & cap. 47. *Sicut, & saluent te augures cali, qui contem-* pla-

Deut. 18.

Io. Fr. Pic.

D. Hieron.

Achinaseos.

Isa. 41. &

7.

pla-

plabantur sydera, & supputabant menses, ut ex eis annuntiarent ventura tibi: ecce facti sunt, quasi stipula, ignis combussit eos. Per augures autem Celi Astrologos, & Mathematicos intelligendos esse Glossa declarat Hierem. 10. A signis Celi nolite metueret, & quasiiment gentes, quia leges populorum vana sunt. Locum hunc explicat eleganter praedictus Picus in allegato cap. 7. firmum ex eo trahens argumentum ad confutandam Astrologorum ex astris diuinantium vanitatem. Quam etiam generalibus verbis condemnat Salomon Ecc. 8. dicens: Multa hominis afflictio, quia ignorat praeterita, & futura nullo scire potest nuncio, & cap. 10. Ignorat homo, quid ante se fuerit, & quid post se futurum sit, quis poterit iudicare?

Hiere. 10.

Picus.

Ecc. 8.

Sixtus 5.

Conc. Trid.

Secundum genus argumentorum Pontificia, & Ecclesiastica decreta complectitur. In quibus praecipuum locum tenet constitutio Sixti V. aduersus Astrologos iudicarios edita anno 1586. nonis Ianuarij, quae habetur in fine Directorij Inquisitorum. Ante quam constitutionem Index librorum prohibitorum editus ex decreto Sacri Conc. Trident. in regula 9. sic statuit. Episcopi vero diligenter prouideant, ne Astrologia iudicaria libri, tractatus, indices legantur, vel habeantur, qui de futuris contingentibus successibus & fortuitiue casibus, aut ijs actionibus, quae ab humana voluntate pendunt, certo aliquid euenturum affirmare audent. His accedunt Iuris Canonici sanctiones 26. quaest. 5. cap. Qui diuinationes, cap. non liceat, cap. si quis clericus, & quaest. 7. cap. Quis existimaret. In quibus genus omne diuinationum, & illud praefertim, quod fit ex astris, Christianis omnibus interdicitur.

Tertium genus ex sanctorum Patrum dictis exurgit. Ex quibus acrius Iudicariam hanc astrologiam confutare videntur Eusebius dictus Caesariensis lib. 6. cap. 9. de Praeparatione Euangelica: & lib. 14. cap. 4. Augustinus libro secundo super Genesim ad litteram cap. 17. & libro secundo de Doctrina Christiana, cap. 21. & lib. 5. de Ciuitate Dei, a capitulo primo, usque ad decimum exclusiue, ubi multis efficacissimis argumentis vanam ex astris diuinantium artem esse demonstrat. Aduersus quam etiam acerrime dimicant Chrysostomus in secundum cap. in Matth. & ibidem etiam Gregorius, & Basilus hom. 6. in Genesim. Plures

S. Io. Chri.
sostomus.
S. Greg.
S. Basilius.

alios

alios recenset Ioannes Franciscus Picus in allegato lib. 5. cap. 7.

Quartum genus ex communi trahitur Theologorum consensu. Praecipui vero sunt S. Thomas loco supra notato, S. Bonaventura in centiloquio, S. Antoninus in secunda parte tit. 12. cap. primo, §. 6. Petrus de Tarantasia, Ricardus Paludanus, Gabriel, & Maior in quarto sent. Guilielmus Parisiensis in tractatu de legibus, Ioannes Picus lib. 12. in Astrologiam, & eius Nepos, Ioannes Franciscus lib. 5. de rerum praenotione, Michael Medina de reeta in Deum fide lib. 2. cap. 1. Pererius in opusc. de Magia libro tertio, Martinus loco supra notato, Azorius lib. 9. Institut. moralium cap. 13. Suarez lib. 2. de superstitione cap. 11. & alij recentiores communiter.

Picus.
S. Thom.
S. Bon.
S. Anton.
Tarantasia.
Ricardus.
paludanus.
Gabriel.
Maior.
Guilielm.
Vterq; Picus.
Mich. med.
Pererius.
Martinus.
Azorius.
Suarez.

Quintum genus sumitur ex iure Ciuili lege secunda Cod. de Maleficijs, & lege Mathematicis Cod. de Episc. aud. quibus innixi iuris vtriusq; periri vno simul consensu, ac veluti agmine colligati in Astrologiae Iudicariae professores vires contendunt, & arma conuertunt.

Septimum genus ex communi sapientum conspiratione conficitur. Ac primo Pythagoram huic Astrologiae diuinatori nullam fidem adhibuisse, testantur Plutarcus, Laertius, & Theodoretus, eandem etiam a Democrito fuisse contemptam patet ex illo, quod ei tribuitur, vulgare proloquio: Quod ante pedes nemo spectat, caeli scrutantur plagas. Irriterunt, & impugnarunt eam Phauorimus, Panætius Stoicus, & Seneca, Eudoxus, Bion, Auicenna, Carneades, Cicero, & Auerroes acriter confutarunt. Plato, & Aristoteles, Philosophiae, Princeps artem hanc indignam existimarunt, de qua verba facerent. Alios quam plurimos huius artis contemptores, & hostes referunt Merandulani locis supra notatis, & Martinus lib. 4. cap. 3. quaest. 1.

Plutarcus.
Laertius.
Theodor.
Democritus.
Phauorimus.
Panætius.
Seneca.
Eudoxus.
Bion.
Auicenna.
Carnead.
Cicero.
Auerroes.
Plato.
Aristot.
Eusebius.

Postremum genus argumentorum ex rebus ipsis, & ex principijs notis lumine naturali deriuatur.

Est autem elegans, & dignissimus ille discursus, quem ex Bardesane viro rerum Astronomicarum peritissimo Syro refert Eusebius lib. 6. de Praeparatione Euangelica cap. 8. sic enim vanas Astrologorum praedictiones conuincebat.

A a

Apud

Apud feras lex est prohibens occidere, fornicari, & adorare simulachra: vnde in illa regione nullum templum conspicitur, nulla mulier meretrix, nulla adultera, nemo fur, nemo homicidia: nec Venus Marti coniuncta, vt alienam quispiam sollicitaret vxorem, potuit efficere. Atqui singulis etiam apud eos diebus in medium Cœli Martem peruenire necesse est, & in tanta regione singulis horis nasci homines non est negandum. Apud Indos autem, & Bactros multa millia hominum sunt, qui Brachmanes appellantur: hi tam traditione Patrum, quam legibus nec simulachra colunt, nec animarum aliquid comedunt, vinum, aut ceruissiam nunquam bibunt, ab omni demum malignitate absunt, soli Deo attendentes. At verò ceteri omnes Indi in eadem ipsa regione adulterijs, cæde temulentia simulachrorum cultu inuoluuntur; inueniunturq; ibi nonnulli, immò vero gens quædam Indorum est in eodem climate habitans, qui homines venantes, atque sacrificantes deuorant: nec vlli planetarum, quos felices, ac bonos appellant, à cæde, ac sceleribus istis eos prohibent: nec maligni Brachmanos pellere ad malefaciendum potuerunt. Apud Persas lex erat, filias, sorores, matres quoque ipsas in matrimonium ducere; nec in Persidie solum, verum etiam quicumque Persarum ad alia climata orbis è Patria exiuerunt, nefanda hæc diligentes matrimonia celebrarunt: quos alię gentes hoc scelus abhominatæ Magusæos appellant. Suntque vsque ad hodiernam diem in Media Aegypto, Phrygia, Galatiaque plurimi Magusæi successione patrum eisdem sceleribus contaminati.

Nec dicere possumus in terminis, & domo Saturni, cum Saturno ipso in natiuitatibus omnium, Marte aspiciẽte Venerem fuisse; Amazones viros non habent, sed tempore veris fines suos egredientes cum vicinis conueniunt, vnde omnes naturali lege eodem tempore pariunt, masculisque interfectis solas fœminas alunt, bellicosæq; omnes similiter sunt, magnam exercitationis bellicæ curam gerentes.

Stultum est autem opinari, omnes istius modi fœminas prorsus iisdem natalitijs astris esse genitas, sic hoc confirmatius argumento, exemploq; Iudæorum: qui vbiicumque

ter-

terrarum; & gentium fiat nati, aut versentur, inuiolabili obseruatione, & infantes suos octauo die circumcidunt, & omnem diem Sabbati feriatum, festumq; religiosissimè agunt; Non sunt autem Iudæi omnes sub eadem constellatione procreati, nec eos à patrijs legibus, & institutis vlla vis, & potentia cœlestium corporum abstrahere potest; Sed quid dicemus de Christianis? qui innumerabiles toto orbe sparsi, idem vitæ, genus, atque doctrinæ custodiunt, nec à disciplina, quam ipsis Christus Dominus tradidit, vel promissis vllis, vel minis, aut supplicijs vel latum vnguem amoueri possunt; An dicturi sunt, Christianos omnes eodem astro esse natos? Sed illud maximum est argumentum, qui ante susceptam Christi disciplinam patrias leges, & instituta studiosissimè, acerrimèque tenebant, eos postea factos Christianos, illis desertis, abiectisq; longè diuersam vitam agere, diuersos ritus, & diuersissimam religionem, & doctrinam colere. Itaque nec multas Parthi Christiani ducunt vxores, nec Medi canibus mortuos obijciunt, nec Indi mortuos suos cremant, nec Persi cum sororibus, aut cum filiabus nefario matrimonio miscentur, Aegyptij Apim, aut canem, aut hircum, aut felem colunt, sed vbiicumque sunt eisdem legibus, moribus, & institutis viuunt. Quid plura? singulis horis apud omnes gentes homines nascuntur: vbiq; autem leges, atque mores propter liberam hominis potestatem præualere videmus. Nec natalicia sydera nolentes feras ad homicidiũ compellunt, aut Brachmanos ad esum carniũ, nec Persas à sceleratis nuptijs remouent, nec Medos prohibent vita defunctos canibus exponere, nec Parthos multas ducere vxores. Singulæ namq; gentes, vt volunt, & quando volunt, libertate sua vtuntur, legibus, moribusque obedientes.

Alia plura subtiliora, & maioris ponderis argumenta vide, si placet, apud Augustinum lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 1. & sequentibus, & D. Thomam 2. 2. quæst. 95. art. 5. Apud vtrumque Picum locis superius allegatis, & Michaelem Medinam lib. 2. de recta in Deum fide cap. 1. & Pererium in opusc. de Magia lib. 3. & Suarezium in dicto cap. 21. De secundo quæst. huius capite satis diximus in præ-

Aa 3

cc.

Augustin.
D. Thom.Vtrq; Pic.
Mich. med.
Pererius.
Suarez.

Conclusio.

cedente controversia quaestione quarta. Ex dictis sequitur hæc vnica Conclusio. Astrologia iudicialis diuinationis voca vana est, & illicita.

Argumenta, & Solutiones.

Contra conclusionem sunt argumenta, quæ referunt, & solunt Sanct. Thom. vterq; Picus, Michael Medina, Pererius, Martinus, Suarez, & Azorius locis supra notatis.

Q V A E S T I O II.

De Diuinatione, quæ fit per Auguria, Auspicia, Aruspicia, & omnia.

Hos omnes diuinationis modos illicitos esse probatur ex scripturis.

S. Thom.

Questio hæc quatuor amplectitur diuinationis modos, qui ex rerum dispositionibus, veluti signis futura prænuunciant, qui quanquam sub vno soleant augurij nomine comprehendendi, vt etiam significat S. D. in 2. 2. quæst. 95. art. 3. sæpè tamen augurij nomen accipitur, prout specialis diuinationis est modus ab auspicio, aruspicio, & omne separatus, sicque dicitur augurium ea futurorum contingentium prænotio, siue diuinaro, quæ fit ex auium garritu, voce, aut cantu, addito nonnunquam situ, aut positione; puta si Cornix, aut Coruus à dextera, vel à sinistra cantus, aut garricus emittat. Auspiciam autem diuinationis est ex auium motu, volatu, passu, numero, statu, aut habitu futura prædicens: vt si donum, aut Urbem auolantes Columbe deserant, aut Aquila statum, aut capiti alicuius infederit. Aruspiciam vero futurorum contingentium prænotio, & diuinationis est ex auium, aut aliorum animalium in aris demonibus imolatorum intestinis accepta.

Omen autem communiter dictum ea diuinationis est, quæ de

de rerum euentu læto, vel tristi, fausto, vel infausto fit ex hominis dicto, vel facto in aliquem alium finem ab eo directo: Vt si quis obseruet, quid sibi domum egredienti primum occurrat, quam audiat vocem ab aliquo prolaram, & quotiens sternuat, aut sternuentem audiat. Proprie verò dictum Omen prænotio est futuri contingentis ex hominum verbis absque intentione prolatis accepta, vt patet in exemplo Romani Centurionis supra posito. Hos omnes diuinationis modos, veluti supersticiosos, ac dæmoniacos diuina scriptura condemnat, ac prohibet dicens Deuteron. 18. Nec inueniatur in te, qui iuret filium suum, aut filiam ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia, atque auguria. Et infra. Gentes istæ, quarum possidebitis terram, augures, & diuinos audiunt: tu autem à Domino Deo tuo, aliter institutus es: & Hierem. 27. Vos ergo nolite audire prophetas vestros, & diuinos, & somnatores, & augures, & maleficos, & Num. 23. Sanctitatem Israelitici populi commendans Balaam ait. Non est augurium in Iacob, nec diuinitas in Israel. Concilium etiam Toletanum 4. capit. 30. pœnas infligit grauissimas Episcopis, & Clericis aruspices, aut ariolos, vel augures consulentibus, vt habetur 26. quæst. 5. cap. Si quis Episcopus. Quibus etiam Concilium Aurelianense sententiam excommunicationis adiungit aduersus eos, qui diuinationes, vel auguria crediderint obseruanda, vt ibidem refertur in cap. Si quis Clericus. De his plura scribit Azorius lib. 9. c. 15. & 18. & Ioannes Franciscus Picus lib. 6. de Prænotione, cap. 4. An autem diuinationibus istis intendere sit semper mortale peccatum, an quandoque veniale, declarat optimè Caietanus in summula, Verbo Aruspiciam.

Cõc. Tol.

Cõc. Aur.

Azotium Picus.

Q V A E S T I O III.

De Diuinatione Physionomica, & Chi-
romantica.

*Distinguuntur Physionomia, & Chiromantia in suas
partes, siue modos quorum singulorum ra-
tiones explicantur.*

AD huius quaestionis definitionem distinguenda, & explicanda primò sunt nomina, & rationes Physionomiae, & Chiromantiae: deinde futura, quorum praenotionem, seu diuinationem dictarum artium profectores inquirunt, in sua sunt membra, siue partes distribuenda: postremò iuxta singula propositae quaestioni respondendum.

Physionomia generale nomen est attem significans ex humani corporis, & membrorum, siue partium quantitate, figura, habitudine, proportione, colore, motu, temperie, & similibus praenoscentem, siue coniectantem futura ad animi affectiones, ingenium, mores, & alios futuros euentus in genere, vel in specie, aut etiam in individuo. Artem esse Physionomiam probat Aristoteles in libello de Physionomica, eo quod animae sequantur corpora, nec sint impassibiles à motibus corporis, ut patet in ebrietatibus, & egritudinibus: & contra corpus (inquit) compatitur passionibus animae, ut ostendunt amores, timores, dolores, & voluptates. Ex praedictis autem sumi futurorum ad affectiones, &c. pertinentium coniecturam, siue praenotionem patet ex Aristotele in toto illo libello, in quo regulas, praecipuè describit ad futura iam dicta ex corporis, & partium eius quantitate, figura, &c. praecognoscenda.

Distinguitur autem Physionomia in Metoposcopia, Chiromantiam, Podomantiam: addunt, & quidam Onychomantiam. Est autem Metoposcopia ea Physionomiae

pars.

pars, quae ex lineamentis, figura, colore, & habitu frontis, & totius faciei, & capitis futura praenunciat fausta, vel infauista. Chiromantia verò futuros enunciat euentus felices, aut infelices ex manuum inspectione, lineamentis quo ad singulas earum partes praesertim interiores consideratis. Hæc in superstitionem degenerans palmam manus diuidit in areolas, Monticulos, & lineas rectas, & obliquas, perennes, siue simplices, & intersectas, cruces, angulos, triangulos, aut aliquid huiusmodi referentes, singulis areolis, singulos planetas, veluti praefectos assignat: lineis autem alia propria deputat, quorum planetarum, & astrorum effectus quosdam in areolis, & lineis diligenter attendit, ut secundum eorum dispositiones, & differentias futura diuinet.

Podomantia hæc eadem, vel similia in humano pede considerans futura praenunciat. Denique Onychomantia futurorum noticiam ex ungue pueri impolluti proficitur.

Ut autem naturales à superstitiosis physionomicis praenotionibus discernamus, alia necessario distinctione utendum est. Duplex autem est physionomia, altera physica, & altera astronomica. Ha physica est, quam supra definiuimus, cuius doctrinam, & regulas tradidit Aristoteles, & quidam alij recentiores. Astronomica verò est, quae proportionem quandam, & analogiam in singulis humani corporis membris ad planetas, & sydera sibi constringens ex dispositionibus, figuris, & habitibus, quos veluti syderum effectus in singulis humani corporis membris contemplatur, futura merè contingentia, & ex libero voluntatis arbitrio procedentia audaci, ac temeraria quadam animositate praedicit.

Eodem modo distinguitur Chiromantia, quam partem constituiamus Physionomiae; quaedam enim est chiromantia physica, siue naturalis, quae dispositiones considerat manuum naturales, & ex eis inclinationes, ac futuros euentus probabili coniectura deducit.

Quaedam verò est Astronomica, Chiromantia, quae proportionem, seu analogiam linearum, figuratum, & areolarum, quas in palma manus, sibi confixit, attendens,

A a 4

dens.

Podomant.
Onychom.

A a 4

Physiognomum naturalem, tria posse cognoscere, scilicet, corporis temperamentum, futuram egritudinem, & sanitatem, & inclinationes ad tales actus liberos, non tamen ipsos actus futuros, & eorum praeuisionem multo minus haberi posse per Astro-nomicam Physiognomiam.

Horum itaque futurorum, non omnium, sed quorundam praeuisionem ad physiognomum attinet naturalem, quorundam autem ad superstitiosum. Ad cuius euidenciam scito tria posse ex signis, & effectibus, aut etiam principijs in homine a physiognomia naturali cognosci. Primum est corporis temperamentum calidum, aut frigidum, siccum, aut humidum, biliosum, aut phlegmaticum, leu-um, aut melanconicum. Secundum ad hoc consequens est sanitas, aut languor futurus secundum talem, aut talem speciem. Visa namque Petri effigie, corporis, & singulo-rum membrorum eius quantitate, figura, proportione, & calore, & manu in, frontis, & pedum lineamentis de eius temperamento, & sanitate, vel specie infirmitatis ad illud in quolibet ex quatuor anni temporibus consequente phy-sionimus naturalis optime iudicabit. Pars enim est haec ars philosophiae naturalis, quae ex effectibus causas, & e contra discursu, seu demonstratione necessaria conclusio-nem, ut in pluribus veram inferente deducit. Tertium est inclinatio huius hominis ad tale genus, aut speciem actuum liberorum, siue liberi sint, siue mixtionem habeant cum ali-quo actu, vel effectu alterius causae liberae, vel necessariae.

De hac igitur inclinatione physiognomus ex signis illi proprijs, & naturalium causarum effectibus secundum re-gulas scientiae naturalis facile iudicabit, ut patet ex Ari-stotelis physiognomica. Quod etiam significat S. Thomas infra quaest. 115. art. 4. & 2. quaest. 95. art. 5. & 3. contra gent. cap. 154. Et consonat ijs, quae supra diximus in quaest. de Magia Astronomica iudiciaria. & idem affirmant Me-dina

S. Thom.

Medina. Medina. Martinus. Martinus.
dina lib. 2. de re a in Deum fide cap. 1. Martinus Deirius lib. 4. qu. 4. Quartum, quod a physiognomia naturali praeuisionem fieri potest, sunt actus, & effectus ipsius hominis ab eo libere producti, siue sint omnino simplices, siue sint alterius hominis actibus liberis, aut effectibus causae naturaliter agentis committi, quos tamen in genere, vel in specie tantum, & ex dicitis signis, & effectibus, ut leuibus, ac fallacibus coniecturis potest praecognoscere. Quamuis enim plures esse videantur, qui praeuisiones suas naturales, & sensitiuae partis affectiones lequuntur, pauci vero sint (soli nimirum sapientes) qui praeuisiones suas inclinationibus, & affectibus dominantur, atque ideo frequenter Astrologi, phy-sionomique vera pronunciant, ut ait S. De locis paulo ante notatis, id tamen merè per accidens est non solum comparatione voluntatis, sed etiam respectu totius hominis, qui per rationem, & voluntatem suis inclinationibus, & affectibus potest facile dominari, & a quibus voluerit, actibus abstinere, & oppositos etiam elicere, aut imperare. Actio-nes autem, aut passiones ordinis supernaturalis, cum natu-ralium omnium causarum facultatem exuperent, sunt natu-rali physiognomia prorsus ignotae.

Ad physiognomiam autem astronomicam, & superstitio-sam temere de contingentibus, & liberis ad quemuis ordi-nem pertinentibus iudicantem futurorum omnes attingit differentia. Sed quem admodum in nulla corporis, aut sensitiuae partis dispositione, aut affectione veluti in causa con-tingatur actus liberi voluntatis, sic multo minus possunt, quae sunt ordinis supernaturalis, in illa causa naturali con-tineri. Ac proinde vanae prorsus, & stultae sunt omnes phy-sionomicae, aut Chirromanticorum diuinationes, quae ex his, aut illis corporis lineamentis, quantitatibus, figuris, proportionibus, aut coloribus futura praedicunt ex libera vnus, aut plurium voluntate, aut etiam ex sola diuinae gra-tiae largitate producenda, ut quod Petrus hoc, aut illo an-no sit ducturus uxorem diuitem, pulchram, nobilem, &c. quod tali sit futurus dignitate sublimis, quod sit a Princi-pe seculari, vel ecclesiastico diligendus, &c. Et quo magis ad particularia descendit vaticinium, eo minus erit ab

omni-

omnibus estimandum, & prudentibus irridendum, ut
physionomus, aut chiromanticus illum Episcopum, Car-
dinalem, aut Papam futurum esse pronunciet, qui lineam
naturalem, mensalem, vitalem, Epatis restrictam, saturniam, montem
Veneris, Iouis, Saturni, Solis, Mercurij, Lunae, & Martis,
(sic enim vocant) habuerit intercisa. Porro, quae superna-
turalia sunt, & ex sola pendent diuina voluntate, nullius
hominis arte, vel ingenio praesciri posse declarat Aposto-
lus 1. Corinth. 2. dicens; Quis hominum scit, quae sunt homi-
nis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est; ita, quae Dei sunt, nemo
nouit, nisi spiritus Dei. & Rom. 11. O altitudo diuitiarum sapien-
tiae, & scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius,
& inuestigabiles viae eius. Quis enim cognouit sensum domini,
aut quis consiliarius eius fuit? Qui plura videre desiderat, le-
gat Medinam, & Martinum locis supra notatis.

Conclusiones deductae, & probatae.

Prima conclusio: Physionomia merè naturalis secun-
dum totam suam latitudinem sobrie, & prudenter
exercita licita est. Probat primò: Quia regulae
Aristotelis in opusculo de physionomia sunt valde proba-
biles, & multis experimentis confirmatae. Et in primo eius-
dem operis capitulo probat Aristoteles, physionomicam
artem esse, ut ante diximus.

Secundò, quia diuinae scripturae huius arti nonnullum
praebent testimonium. Nam 1. Paralip. 12. de fortibus Israel
dicitur: Facies eorum, quasi facies Leonum, & veloces, quasi
Caprea in Montibus, & Ecclesi. 8. Sapientia hominis luget in vultu
eius, & cap. 29. Ex visu cognoscitur vir, & ab occurso faciei
cognoscitur sensatus. Eandem conclusionem probat Marti-
nus ex iuris interpretibus asserentibus, quando plures de
aliquo crimine sunt accusati, & capti, illum esse primò que-
stioni subiiciendum, qui facie deformior est; eo quòd cre-
dendum sit, cum animo quoque ceteris esse deteriore. Quibus
addit summorum Philosopherum consensum, scilicet
Pythagorae, Platonis, Aristotelis, Sexti, & Ciceronis.

Secunda conclusio: physionomia astrologica vana, &
illi-

e. Cor. 1.

Rom. 11.

1. Paral. 12.

Ecclesi. 8.
& 29.

Martinus.

illicita prorsus est, nec digna est nomine scientiae, vel artis.
Hac patet ex dictis, tam in praesenti quaestione, quam in
praecedenti controuersia in quaestione de Astrologia Iudi-
ciaria, & in quaestione prima, huius Controuersiae. Eius
probatio potissima sumitur ex Constitutione Sixti V. ad-
uersus Astrologos iudiciarios superius allegata. Eandem
conclusionem pluribus argumentis probat Ioannes Fran-
ciscus Picus lib. 6. de Praenotione capitulo secundo.

Tertia conclusio: Aegyptij quidam per orbem vagan-
tes, & publicè Chiromanciam exercentes, qui vulgò Zin-
gari nuncupantur, non videntur esse tolerandi. Hanc con-
clusionem late probat Martinus loco supra notato quaest. 5.

Argumenta, & solutiones.

Contra secundam Conclusionem sunt agumenta, quae
referunt, & soluunt Martinus in allegata quaest. 5.
Azorius lib. 6. cap. 16.

Præcipuum argumentum est ex illis verbis Iob cap. 37.
Qui in manu operum hominum signat, ut noverint singula opera
sua. Quibus verbis significari videtur, cuiuslibet hominis
opera futura quibusdam signis, idest lineis, & figuris in
eius manibus esse descripta; ita ut ex talium inspectione
signorum praesciri facile possint futura singulorum opera-
tiones, & euentus.

Sed expositio S. D. hunc perspicue sensum excludit; lo-
cum enim illum exponens ait, diuersis operibus hominum
diuersas aeris congruere dispositiones, quoniam aliud est
opus noctis, & aliud diem, & rursus aliud opus exercet ho-
mo tempore serenitatis, & aliud tempore pluuioso: quod
autem opus cuiuslibet tempori congruatur, discernit homo se-
cundum rationem sibi diuinitus datam; & hoc est (inquit)
signum, quod Deus posuit in mano, idest in operatiua vir-
tute omnium hominum, ut sciant congruè diuersis tempo-
ribus opera distribuere. Alias quaedam dictorum verbo-
rum interpretationes lege apud expositores praedictos: sed
haec, quam ex Gregorio S. D. accepit, est omnium optima.

QVAE-

Picus.

Martinus.

Azorius.
Iob. 37.

S. Thomas

QV AESTIO IV.

De Diuinatione, qua fit per somnia.

Io. Fr. Pic.

Medina.
Pererius.
Azorius.

S. Thom.

Caietan.

Picus.
Medina.
Pererius.
Martinus.
Suarez.
Sybilla.

Tres antiquorum Philosophorum sententias de somnijs recensent, & examinât Io. Franciscus Picus lib. 4. de rerum Prænotione cap. ultimo, & lib. 6. cap. 7. Medina de reâta in Deum fide lib. 2. cap. 1. Pererius in suo opusculo de Magia libro secundo, quæst. 1. & sequentibus, & Azorius lib. 9. Moralium cap. 17. Somniorum causas quinque S. D. assignat in secunda secundæ, quæst. 95. art. 6. duas interiores, & tres exteriores. De quibus ibi scitè differit Caietanus, adeò, vt nihil amplius à Scholastico Theologo desiderari posse videatur, de eisdem etiam latissimè disputat Picus locis allegatis, Medina in allegato cap. Pererius in dicto lib. 2. & post eum Martinus lib. 4. cap. 3. qu. 6. & Suarez lib. 2. de superstitione cap. 13. & ante eos Bartholomæus Sybilla Decade prima, cap. 8. quæst. 3. Quibus cum nihil addendum occurrat, & multa nobis maioris momenti super sint examinanda, quæstionis huius explicationem, & definitionem lectori relinquimus ex dictorum authorum scriptis accipiendam.

QV AESTIO V.

De Diuinatione per sortes.

S. Thom.

Picus.
Medina.
Sayrus.
Martinus.
Azorius.
Suarez.

DE sortium differentijs, & de earum vsu licito, vel illicito differunt S. D. in 2. 2. qu. 93. art. 8. & ibi Caietanus, Io. Franciscus Picus lib. 6. de rerum Prænotione cap. 6. Michael Medina lib. 2. de reâta in Deum fide, cap. 1. Gregorius Sayrus libro 4. Clauis regie cap. 5. Martinus Delrius lib. 4. cap. 4. Azorius lib. 9. cap. 21. Suarez lib. 2. de superstitione cap. 12.

Et quia materia hæc parum ad nostrum attinet institutum,

cum, loca Doctorum præcipua sufficiet indicasse, ex quibus veluti fontibus lector in ijs, quæ moueri solent, difficultatibus hauriat veritatem.

QV AESTIO VI.

An opera Magorum vniuersa præstigiiosa sint, & vana, an verò sint ex eis aliqua realia, & solida.

Magorum opera quadam esse præstigiiosa, & quadam realia, & quomodo hæc ab illis discernantur.

Altera Magiæ pars, cuius finis est operatio, ex qua denominatur operatrix, tres habet partes præcipuas. Prima est: Ars notoria ad scientiam acquirendam virtute dæmonis ordinata. Secunda est ars sanitatum, aut quorumcumque vtillum effectuum in corporibus effectiua. Tertia est ars maleficiorum in hominibus, brutis, plantis, mistis, & elementis in vnius, vel plurium hominum damnum, & perniciem operatiua. Sed, antequàm de singulis his Magiæ partibus, & earum membris, quæ plurima sunt, differamus, tres necessario præmittendæ sunt quæstiones generales. Prima est: An omnia Magorum opera vana sint, siue præstigiiosa, an autem aliqua sint vera, & realia. Secunda est: An aliqua Magorum opera sint vera miracula. Tertia: An, & quomodo Magi in suis operibus vtantur dæmonum ministerio.

Querimus ergo primò: num opera Magorū vniuersa præstigiiosa sint, an autè sint ex eis aliqua realia, & solida. Quæstionem hanc versant, & definiunt Victoria in sua relectione de Arte Magica, Pererius in Opusc. de Magia lib. 1. cap. 1. Martinus Delrius lib. 2. quæst. 6. & Suarez lib. 2. de superstitione, cap. 16. Sed paucis eam verbis S. D. absoluit P. P. quæstione 114. artic. 4. inquit opera dæmonum (quo-

Victoria.
Pererius.Martinus.
S. Thom.

(quorum auxilio, & virtute in suis operibus utuntur Magi) que nobis videntur miracula, res esse quandoque veras, quod probat ex scripturis, quia Magi Pharaonis per virtutem Dæmonum veros serpentes, & ranas fecerunt, & ignis, operante Dæmone, de cælo cecidit, & familiam Iob cum gregibus pecorum vno impetu consumpsit, & turbo domum deiiciens filios eius occidit: quæ omnia, ut inquit Augustinus lib. 20. de Ciuit. Dei, fuerunt opera Sachanz, non autem phantasmata. Veritatem hanc optime probant, & explicant ea, quæ scribit S. Doct. p. p. quæstione 110. 111. & 114. artic. 4. & alijs locis ibi notatis, & præsertim de Potentia qu. 6. art. 5. in quibus etiam locis declarat vberissime S. D. quomodo possint Dæmones sensus exteriores, & imaginationem hominis immutare. Nec alia docent auctores supra notati, sed ex historijs multa Magorum facta realia, & quædam etiam præstigiola commemorant.

Sed quomodo præstigiola discernantur à veris, non videtur vna certa, aut firma regula posse definiri. Certum tamen esse debet primo, quotiescunque Magicus effectus Dæmonis potentiam exuperat, non esse realem, sed præstigiolum, ut explicat latè Suarez loco supra notato. Secundo certum est, in Magorum operibus ea, quæ virtute fieri possunt Dæmonis naturali non semper esse realia, sed illusoria sæpè præstigio sensibus apparentia, tum quia, Deo impediente, non potest semper quicquid voluerit, Dæmon operari, tum quia, sic Dæmon, ut inuidus, & hostis humani generis mentes hominum errore seducit, & vanitatibus implet. Quare circumstantiæ tunc operis erunt diligenter considerandæ, ut opera vera, & realiter existentia discernantur à falsis, & apparentibus.

Sic igitur vnica Conclusio: Quamuis multa Magorum opera sint præstigiola, sunt tamen nonnulla, quæ talia secundum substantiam in rebus existunt, qualia sensibus nostris offeruntur. Hanc Conclusionem, quo ad vtramque partem probat, & explicat S. D. locis allegatis, nec auctores prædicti meliores adhibent probationes, sed verba multiplicant.

Contra conclusionem sunt argumenta, quæ profertur.

August.

S. Thom.

Suarez.

Conclusio.

S. Thom.

Argumenta.

runt, & solunt Sanctus Doctor, & auctores supra nominati.

QVAESTIO VII.

An Artis Magica facultate verum miraculum effici possit.

Verum miraculum arte Magica fieri minime posse, & quibus notis vera miracula discernantur à falsis.

Adem est quæstionis propositæ difficultas cum ea, quam S. Doct. in p. p. art. 4. quæstionis 114. de Dæmonum impugnatione proponit inquirens, An Dæmones possint homines seducere per aliqua miracula vera. Magi namque fœdere cum Dæmonibus inito, non propria, sed eorum virtute mirabilia perpetrant. Non posse verò Dæmones vlla vera, & proprie dicta miracula facere, multis potest firmissimis argumentis probari, & vberissime declarari ex doctrina Sanctissimi nostri Doctoris Angelici locis notatis à me p. p. q. 10. art. 4. Eandem quæstionem versant, & definiunt Victoria in sua relectione de arte Magica, quæst. 5. Pererius de Magia lib. 1. cap. 8. & Martinus lib. 2. qu. 7. Sed longe solidiora, & planius, ac vberius explicata docet S. Thom. locis iam dictis, quibus nihil addendum existimamus.

Quibus verò notis discerni possint à falsis, aut apparentibus vera miracula, ex eisdem locis colligi facile potest. Sunt autem quatuor præcipue. Prima sumitur ex effectiua virtute. Si namque factum, aut operatio ab infinita solum possit emanare potentia, quæ totam exuperat creaturæ naturæ facultatem, verè miraculum est: quod à Magis, qui Dæmonum ministerio, & virtutibus operantur rerum naturalium, aut etiam sensibus illudunt, effici nulla ratione potest. Certum est enim diuinæ virtutis influxum non adesse

S. Thom.

Victoria; Pererius; Martinus.

Bb

se

se maleficis, in ijs præsertim, quæ nec ad Dei gloriam, nec ad fidei confirmationem operantur.

Secunda nota sumitur ex fine: Vera namque miracula sunt ad Dei gloriam apud homines exaltandam, ad veritatem fidei comprobendam, ad vitia ex animis hominum depellenda, & virtutes in eos inducendas, & nonnunquam ad alicuius hominis sanctitatem cæteris declarandam. At verò Magi non Dei, sed propriam, aut etiam diaboli in suis operibus gloriam quærunt, lucrum expetunt, mentes hominum falsitatibus implent, facinoribus viam stertunt, furtis, adulterijs, homicidijs, & cuiuslibet generis peccandis maleficijs se non solum cooperatores, sed etiam signiferos, ac Duces insigni, ac perfida sua impietate constituunt. Tertia nota est operis genus, & qualitas. Miracula siquidem vera opera quædam sunt verè, & realiter existentia, ijs, circa quos, aut quibus cernentibus fiunt, utilissima, & secundùm circumstantias locorum, temporum, personarum, &c. rectè rationi, & legibus præsertim diuinis maximè consona. At Magorum opera, vel præstigiola sunt, vel facile deficiunt, vt patet de virgis Magorum Pharaonis in colubros versis, quos virga Moysis, prius in colubrum versa deuorauit: & experimento sæpè compertum est, infirmitatem Magorum incantationibus expulsum leui quadam occasione peccatis Magorum aduersa redire. Quarta nota est modus operandi: hunc enim vera miracula per orationes ad Deum, & Sanctos pie directas, additis quandoque vigilijs, ieiunijs, & alijs pœnalitatibus ad expianda peccata, & ad Dei misericordiam impetrandam voluntariè susceptis. At Magi Dæmones in suis operibus inuocant, figuris, characteribus, verbis ignotis, vel absurda sonantibus, vanisq; & superstitiosis vtuntur ceremonijs, & circumstantijs, quibus etiam sancta, diuinaq; commiscet scilicet verba sacra, nomina Dei, & honorum Angelorum, Cruces, candelas solemniter benedictas, aquam lustralem, & alia sacramentalia: quibus addunt quandoq; sacramenta, fidei abnegationem, & sacrificia, genuflexiones, & alios adorationis actus, quos Dæmonibus exhibent. Ex his itaque discerni facile poterunt vniuersa mi-

racu;

raculæ, num vera sint, an falsa, solida, an vana, & præstigiola.

QVAESTIO VIII.

An, & quomodo Magi in suis operibus vtantur Dæmonum ministerio.

QVAESTIONIS huius difficultatem soluit egregiè Sanctus Thom. in p. q. 114. art. 4. in respons. ad secundum argumentum. Cuius doctrinæ latiore explicationem habet in præcedenti quæstione 110. art. 2. & 3. & de Potentia Dei, quæst. 5. art. 3. & de Malo quæst. 16. art. 9. ad vndecimum, quorum locorum doctrinam Martinus amplificat libro 2. quæst. 8. S. Thom.
Martian.

De hac materia scribit eruditè Victoria in sæpè allegata relectione de arte Magica, qu. 6. quærens, An Magi possint cogere Dæmones pro suo arbitrio: in septima verò, & octaua, quomodo possint corpora virtute Dæmonum immutari. Huc etiam spectant, quæ scribit Pererius lib. 1. de Magia cap. sexto, & Suarez lib. 7. de superstitione, cap. 16. Victoria
Pererius.
Suarez.

QVAESTIO IX.

An magi per artem notoriam scientias valeant efficaciter adipisci.

Artem notoriam illicitam esse, & inefficacem ad scientiam acquirendam.

PROponitur, & soluitur hæc difficultas ab Angelico nostro Doctore in secunda 2. q. 96. art. 1. vbi duas statuit conclusiones. Prior est. Ars notoria illicita est, & penitus repudianda, & fugienda. Cuius probatio est, quoniam hæc ars vtitur quibusdam ad scientiam acquirendam, non vt causis, sed vt signis pertinentibus ad pacta quæ iam S. Thom.

Bb a

signi-

significationum cum Dæmonibus placita, atque foederata, ergo: Antecedens duas habet partes: & probatur primò quo ad primam, illam videlicet: non ut causis, sed ut signis; quoniam hæc ars utitur inspectione quarundam figurarum, & prolacione quorundam verborum ignotorum, & alijs huiusmodi, sed hæc non habent secundum se virtutem causandi scientiam; ergo prædictis utitur ars notoria, non ut causis, sed ut signis.

Secundò probatur, quo ad alteram partem, videlicet, pertinentibus, &c. Quoniam ars hæc non utitur prædictis, ut signis diuinitus institutis, sicut sunt sacramentalia signa; ergo sunt superuacanea signa, & per consequens pertinentia ad pacta, &c. Posterior conclusio est: Ars notoria inefficax est ad scientiam acquirendam. Probatur: Acquisitio scientiæ per hanc artem intenta expectatur à Dæmonibus; ergo hæc ars est inefficax ad scientiam acquirendam. Probatur consequentia; Quoniam ad Dæmones non pertinet illuminare intellectum: acquisitio scientiæ, & scientiæ fit per illuminationem intellectus, ergo.

Maior patet: Minor probatur primò, ex q. 109. p. p. art. 3. ubi probatur, in Dæmonibus non esse illuminationem actiuam, neque passiuam. Secundò ab effectu; quia nullus unquam per Dæmones scientiam acquisiuit. Tertio auctoritate Augustini lib. 10. de Ciuit. Dei, cap. 9. dicentis: Porphirium fateri theurgicis theletis in operibus Dæmonum animæ intellectuali nihil purgationis accedere, quod eam faciat idoneam ad videndum Deum suum, & perspicenda ea, quæ vera sunt; qualia sunt omnia scientiarum theoremata. Antecedens autem probatur: Acquisitio scientiarum per hanc artem intenta, vel expectatur à Deo, vel à Dæmonibus; ac non expectatur à Deo: ergo à Dæmonibus. Maior probatur primò, quo ad ipsam totam disiunctiuam; quoniam per huiusmodi artem non intenditur acquisitio scientiæ per modum homini connaturalem, scilicet adinueniendo, vel addiscendo; igitur effectus hic, vel expectatur à Deo, vel à Dæmonibus. Deinde probatur, quo ad eam partem, vel à Deo; quia certum est; aliquos à Deo sapientiam, & scientiam per infusionem habuisse, sicut de Salomone

mone legitur 3. Reg. 3. & 2. Paralip. 1. Et discipulis suis dixit Dominus Luc. 21. Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri, Minor verò probatur: Quia donum sapientiæ non datur à Deo quibuscumque, aut cum certa obseruatione, sed secundum arbitrium Spiritus sancti iuxta illud 1. Corint. 12. Alij quidem datur per spiritum sermo sapientiæ, & alij sermo scientiæ secundum eundem spiritum. & postea subditur: diuidens singulis, prout vult. Quod autem Dæmones verbis hominibus colloquentes aliqua scientiarum exprimant documenta, hoc ad artem notoriam minime pertinet, ut in eodem articulo Sanctus Doctor aduertit. Est igitur profus inefficax ars notoria ad scientiam acquirendam. Quid autem possit virtute naturali Dæmon operari in viribus animæ nostræ cognoscitur, siue illæ sint sensus exteriores, aut interiores, siue sit intellectus, docuit Sanctus Doct. p. p. qu. 111. & qu. 114. art. 4. in responsione ad secundum argumentum, & de Malo, quæst. 16. art. 10. & 11. vbi difficultatem hanc vberissime versat, sapienterq; definit: quorum locorum doctrinam Martinus amplificat lib. 2. quæst. 24. Vbi tamen affirmat, posse Dæmonem, si velit, & sinatur à Deo, per locutionem, & manifestationem sui conceptus, non tantum exterius hominem alloquendo, sed etiam interiori locutione, & suggestione intellectum illuminando scientiam in homine causare. Non enim (inquit) video, cur hæc illuminatio, quæ in malum finem tendit, Dæmoni sit adimenda, cum hæc cognitio non referatur in Deum, nec cum vlla mentis vera fiat purgatione.

His tamen duas addit limitationes. Prior est, quæstionem esse de nomine, si quærat, num hæc dicenda sit illuminatio, an illusio, an nuda veritatis manifestatio. Posterior est, scientiam illam, quam Dæmon infundit, ut plurimum dignosci, eo quod non sit permanens, nec ea possit homo uti, cum voluerit, sed tantum per modum afflari, vel extatici certis locis, temporibus, aut causis; eam autem, quam Deus infundit, semper, & ubiq; promptam esse. Quæ tamen D. T. doctrinæ non obstant bene perpensa, quamuis hæc velut illicitæ Martini asserere videatur, & infusionis vocabulo abutatur.

Rerum cognitionem à Dæmonibus acceptam non esse illuminationem, neque scientiam, sed magis illusionem, & deceptionem.

AD cuius evidentiam duo sunt in doctrina Dæmonis suggestionem comparata consideranda. Primum est ipsa rerum cognitio. Secundum est effectus ad eam consequens, qui finis est intentus à Dæmone: & quo ad neutram cognitio Dæmonis acquisita ministerio, scientiæ, aut illuminationis vocabulo digna est. Cum enim diabolus, ut humani generis inimicus, invidia flagrans in omni, quam circa quemlibet hominem exercet, operatione, malum, & perditionem eius intendat, circa nobilissimas animæ potencias, quæ sunt intellectus, & voluntas, vires, & machinamenta suæ fraudis intendit, suggestisq; veritatibus falsitates immiscet, & quas minimè sinceras edocet veritates, non plenè, aut satis perspicuè demonstrat, ut sic hominis confusa mens dubitationibus implicetur, quas solvere nesciat, & in errores trahatur veritati viam salutis indicanti contrarios.

Non est igitur illa rerum cognitio Dæmonis arte, ministerioq; comparata verè, & propriè scientia, & multò minus illuminatio, sed magis obtæcatio, vel, si sic loquili-
ceat, obtenebratio. Quod etiam satis apertè significat S. Thom. Doct. de Malo, quæst. 16. art. 12. ubi sic loquitur: *Sicut in rebus corporalibus superior virtus adiuvat, & confortat inferiorem virtutem, ita per lumen Angelicum confortari potest lumen intellectus humani ad perfectius iudicandum: quod Angelus bonus intendit, non autem Angelus malus: Unde hoc modo Angeli boni mouent animam ad intelligendum, non autem Dæmones. Ex parte autem specierum Angelus bonus, vel malus potest immutare hominis intellectum ad aliquid intelligendum, non quidem influendo species in ipsum intellectum, sed quædam signa exterius adhibendo, quibus intellectus exercitur ad aliquid apprehendendum, quod etiam homines facere possunt. Sed etiam aliterius Angeli boni, vel mali possunt intersus quodammodo dis-*
spone-

sponere, & ordinare species imaginarias, secundum quod competit ad aliquod intelligibile apprehendendum: quod quidem Angeli boni ordinant ad hominis bonum, Dæmones autem ad hominis malum, vel quantum ad effectum peccati, prout scilicet homo ex his, quæ apprehendit, mouetur ad superbiam, vel ad aliquod aliud peccatum, vel ad impediendum ipsam intelligentiam veritatis, secundum quod per aliqua apprehensa inducitur homo in dubitationem, quam soluere nescit, & sic trahitur in errorem. Hæc ibi S. Doct. Cum igitur acquisitio scientiæ verè, & propriè dictæ per intellectualis substantiæ ministerium intra sensus hominis operantis sit illuminatio, quæ Dæmonibus salutem, & veritatem, ac viam omnem salutis hominibus invidentibus minimè congruit, consequens est, rerum cognitionem ab eis acceptam multiplicibus dubitationibus, falsitatibus, & erroribus esse commistam, & acquirenti valde periculosam, nec scientiam, doctrinamue simpliciter, sed magis illusionem, ac deceptionem esse nuncupadam.

Et ex his patet, quales fuerint eorum cognitiones, quos Martinus Delrius ibi recenset, affirmans eos à Dæmone scientiam accepisse. Qui libro tertio, quæst. 4. sect. 2. titulus omnes recenset, quibus stultè quidam existimant, scientiam infusam diuinitus posse comparari, & suam ibi sententiam in melius mutans, aut luculentius explicans ait, nihil scientiæ talium rituum obseruatoribus infundi, sed Dæmones eos obsidere, & eorum turbata phantasia, per eos loqui, linguam eorum mouendo ad quædam illis incognita, & arcana proferendum, quod esse verum multorum exempla celeberrima comprobarunt.

QVAESTIO X.

An Magia potestatem aliquam habeat in Dæmones.

TRIS supersunt adhuc breuiter attingenda. Primum est: An Magia potestatem aliquam habeat in Dæmones. Secundum est: An obseruantia Magicæ ad proficuas corporum immutationes ordinatæ sint efficaces.

ac licite. Tertium est: An aliqua, & quæ per artem Magicam ad nocendum hominibus, & rebus ad eos pertinentibus fieri possint Maleficia.

Nullis Magicis artibus cogi posse Dæmones directè, & immediatè, sed tantum indirectè, & mediatè, virtute pacti cum ipsis Dæmonibus fœderati.

QUÆRIMUS ergo primò, num in sit aliqua Magicæ facultas in Dæmones. Omisissis autem antiquorum quorundam philosophorum, ac præsertim Hermetis, & Porphyrij delirijs, quæ refert, ac validè confutat Ioannes Franciscus Picus lib. 7. de rerum Prænotione, cap. 4. dico primò, nullis Magicis artibus directè, & immediatè posse Dæmones, annulis, imaginibus, phialis, vel cuiuscumque corpori, aut alicui ex eius partibus alligari, ut inde non exeant, vel etiam interrogantibus verà respondeant, nec eisdem artibus posse ab ijs corporibus, siue locis expelli, quibus fuerint applicati, vel efficaciter cogi ad aliquid operandum. Probatum hoc dictum primò, Quia Dæmones sunt nobilissimi spiritus naturæ suæ dignitate, & ordine, ac proinde mentis acumine, & agendi facultate quotibet homine, secluso supernaturali diuinæ virtutis influxu, superiores; igitur nullis artibus possunt ab homine Dæmones alligari, aut violenter expelli, aut efficaciter cogi ad aliquid operandum.

Antecedens patet ex dictis p. p. in utroque tractatu de Angelis, & probatur ex diuina scriptura Iob 41. ubi magnificis verbis Deus describit naturalem summæ nequitiæ coniunctam Sathanz facultatem, & tandem concludens ait: *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeret, omne sublime videt: ipse est rex, super omnes filios superbia.* Secundo probatur idem: Quia Magi Dæmonibus præcipientes, & in suis operibus eorum volentes uti ministerio, verba proferunt, figuras, caracte-

res, & lineamenta describunt, motus, & alias quasdam adhibent ceremonias, & rebus nonnunquam vtuntur corporis, animalibus, scilicet plantis, lapidibus, & huiusmodi: constat autem ex suprascriptis, figuras, caracteres, & verba, seclusa diuina, & ecclesiastica institutione, nullius esse virtutis, aut efficacitatis in alterum, cum sint merè signa: motus autem, & cetera quæcumque corporalia tam substantiæ, quàm accidentiæ in spiritibus agere sua virtute non possunt; semper enim agens debet esse passio præstantius, totus autem ordo corporum toti subijcitur spirituum latitudini. Et confirmatur vis huius argumenti: Quia nullis verbis, figuris, aut caracterebus, herbis, aut ceremonijs potest homo physicè, & efficaciter hominem alligare, in carcerem trudere, ac detinere, aut e loco pellere, aut cogere ad aliquid operandum, ergo multò minus Angelum, siue bonum, siue malum, qui naturæ suæ dignitate supremum tenet ordinem in Vniuerso.

Secundò dico: Magicam omnem artem, & facultatem Dæmonibus imperandi pacto niti cum ipsis Dæmonibus, aut cum aliquo inter eos principe fœderato.

Probatum: Quia, Cum signa, & ritus iam dicti nullam habeant naturalem virtutem in Dæmones, nec à Deo, vel ab Ecclesia, diuinitus inspirata fuerint instituta, consequens est, ea fuisse ab ipsis Dæmonibus adinuenta, & hominibus tradita, ut eis tanquam percussi fœderis, ac reuerentiæ signis, veluti verbis, siue nutibus Dæmones inuocantibus vrerentur Magi, Dæmonum mancipia constituti, mercedem suæ miseræ deditiõis leuissimam recipientes. Sed, qui superbia tumidi Deo creatori plurimis, ac maximis eos donis, ac beneficijs prouocanti subesse, ac eius imperio parere recusarunt, & naturæ, simul, & gratiæ fœdera diuina promissione sancita violarunt, multò magis caracterebus, verbis, ac ritibus ab illis institutis innoxia pacta contingunt, nec homini, se deuinctos esse patientes multis versutis suæ technis, & artibus hominibus sibi confederatis illudent. Quod non rarò contingisse multa veterum, ac recentiorum scripta testantur, & plurima nostri sæculi vulgariissima declarant expetimento.

Tertio dico: Magos mediare, & indirecte posse Demones alligare, pellere, vel cogere ad aliquid operandum. Probat: Quoniam in Demonibus secundum perfectiones naturales consideratis remanent adhuc ordines, & Hierarchia, & consequenter prelatio quorundam ad alios, ut docuit Sanctus Thomas, p. p. questione centesimanona, articulo primo, & secundo, superior autem Demon, veluti prelatus coactiuam habet potestatem in inferiores; igitur Magus, sedus habens cum aliquo Demone, qui sit in aliquo ordine, vel etiam hierarchia Demonum princeps, poterit eo mediante subditum quemque Demone alligare, pellere, aut etiam (moraliter saltem) cogere ad aliquid operandum, sed principem ipsum cogere minime poterit, ut probant argumenta pro secundo dicto paulo ante producta.

De hac materia late differunt Ioannes Franciscus Picus loco supra notato, Bartholomaeus Sybilla Decade tertia, cap. 8. quest. 1. & 2. Victoria in saepe allegata relectione de arte Magica, quest. 6. Martinus Delrius libro secundo, quest. 3. Quibus vero modis licite, & efficaciter possint Demones coerceri, docent eisdem locis authores praenominati.

Picus.
Sybilla.
Victoria.
Martinus.

Q V A E S T I O X I.

An obseruantia Magica ad proficuas corporum immutationes ordinata sint alicuius efficaciae, & an licite valeant exerceri.

Prior questionis propositae difficultas facilem habet solutionem; certum est enim, eas omnes corporum viles immutationes a Demone fieri posse, Deo permittente, quae virtutem eius non exuperant naturalem, atque ideo posse Magum suis artibus Demones compellendo sanitates aliquas, & alios etiam effectus homini proficuos per eos, veluti ministros operari.

Posteriorem autem difficultatem determinat Sanctus Doct. in secunda secundae, quest. 96, art. 2. Regulas autem, qui-

S. Thom.

quibus vanas obseruantias dignoscere valeamus, Sanctus Doct. assignat in eodem articulo secundo, & in quarto, de quibus minute, subtiliterque distinctis latissime differit Martinus Delrius lib. 3. parte secunda, de Vana obseruantia, & post eum Sayrus in sua clauis regia lib. 4. capitulo sexto, Suarez lib. 2. de superstitione, cap. 15. & ante istos Sybilla Decade tertia, capitulo nono, quest. 3. & sequentibus Syluester, & alij Summistae in Verbo Superstitio.

Martinus.
Sayrus.
Suarez.
Sybilla,
Syluester.

Q V A E S T I O X I I.

De Magia Cabala.

Opinio Rabbiorum, & Ioannis Pici Mirandulani.

Cabalisticae Magiae figmentum ceteris vanis obseruantijs annumerandum censeo. Ut autem leuissima, superstitiosaque illius esse documenta demonstramus, necesse prius est eius nominis originem, & sensum aperire, deinde significationis illius membra distinguere.

Docent Hebraeorum Rabbini, traditam a Deo fuisse Moyse quandam scientiam in monte Sina gentis illius senioribus perpetuae generationis successione futuris oretenus, secretoque communicandam, & ideo Cabalam fuisse nuncupatam; hoc enim nomine receptio quaedam ex aure in aurem successiue deriuata significatur; vox enim haec, Cabala idem sonat, quod latine recipio. Huius vero scientiae duplicem aiunt esse differentiam; Alteram, quae sensibus sacrorum voluminum philosophicis rationibus explicandis intendit; Alteram dicunt esse Bereshith, id est Cosmologiam, cuius tota doctrina versatur circa primum librum Moysis, quem Genesim latine nuncupamus; eo quod ibi rerum omnium naturalium generatio, siue productio describatur. In hoc volumine dicunt Rabbini rerum vniuersarum a Deo creaturarum propria nomina contineri earum naturas, proprietates, & vires intelligentibus exprimentia.

Rabbiorum opinio.

Hanc itaque posteriorem scientiae Cabalisticae differentiam,

etiam, siue partem affirmant circa Diuinas, Angelicasque virtutes, & sacrorum nominum significata symbolicè consideranda versari, eiusque munus esse circa litteras, numeros, figuras, res, nomina, lineas, punctas, apices, spiritus, & accentus abditiſſima myſteria perforari. Sed hanc iterum in duomembra distinguunt, quorum alterum nuncupant Arithmeticam: quæ nomina, virtutes, proprietates, & conditiones contemplatur Angelorum, Demonum, & animarum: Alteram autem vocant Theomantiam, cuius est diuina nomina, productiones, & myſteria speculari.

Dicunt ergo Rabbinæ, quemlibet huius scientiæ peritum miris rerum agendaſum pollere virtutibus, futura præſcire, & rebus omnibus, tam ſublunariis, quam cæleſtibus, tam corporeis, quam ſpiritualibus imperare; adeo, vt vniuerſa veteris, & noui teſtamenti miracula virtute Cabalæ fuiſſe perpetrata non vereantur aſſerere. Dicunt enim, Moysen per Cabaliſticæ diſciplinæ potentiam virgam in colubrum, & aquas in ſanguinem conuerſiſſe, ranas, muſcas, locuſtas, bruchos, veſicas, grandinem, ignem, tabem Aegyptijs immiſiſſe, primogenitum omne ab homine vſque ad pecus interemiſſe, in Mari Rubro filijs Iſrael viam aperuiſſe aquam eduxiſſe de petra, coturnices è cælo deduxiſſe, aquas amaras dulcoraſſe, nubis columnam per diem, ignis verò per noctem populo viam in ſolitudine præmonſtratem effeciſſe, verba Dei de cælis euocaſſe, rebelles igne, murmuraſſe lepra percuſiſſe, ſeditioſos hiatu terra eos abſumente in infernum viuentes demiſiſſe, populum manna de cælo deſcendente pauſiſſe, à ſerpentum morſibus eum liberaſſe, veſteſ eius à corroſione ſeruaſſe, & victorem aduerſus hoſtes reddidiſſe.

In eandem Cabalæ facultatem referunt vniuerſa miracula, quæ de Iofue, Elia, Eſaico, Daniele, Chriſto Domino, & alijs Sanctis diuina ſcriptura commemorat. Quam opinionem ex parte ſequutus eſt Ioannes Picus in ſuis Concluſionibus, & in Apologia. Ex multis enim, quas de Cabaliſtica Magia ſtatuit, concluſionibus, quinque ſunt prædicto Rabbinorum errori non obſcurè fauentes.

Prima eſt: Nulla poteſt eſſe operatio Magica alicuius effi-

Picus.

efficaciæ, niſi annexum habeat opus Cabalæ explicitum, vel implicitum.

Secunda eſt: Nulla nomina, vt ſignificatiua, & in quantum nomina ſunt, ſigala, per ſe ſumpta in Magico opere virtutem habere poſſunt, niſi ſint Hebraica, vel inde proximè deriuata.

Tertia eſt: Sicut characteres ſunt proprii operi Magico, ita numeri ſunt proprii operi Cabalæ.

Quarta eſt: Sicut per primi agentis influxum, ſi ſit ſpecialis, & immediatus, fit aliquid, quod non attingitur per mediationem cauſarum, ita per opus Cabalæ, ſi ſit pura Cabala, & immediata, fit aliquid, ad quod nulla Magia attingit.

Vltima eſt: Quicquid dicant ceteri Cabaliſtæ, ego prima diuiſione ſcientiam Cabalæ in ſcientiam Sephirot, & Semot, tamquam in practiſcam, & ſpeculatiuam diſtinguere. Quibus concluſionibus ſaris perſpicuè Cabaliſticæ vim tribuit effectiuam. In Apologia verò poſtquam verè, ac propriè dictæ ſcientiæ Cabalæ patefecit originem, & rationem eius explicauit, & in plura ſignificata, ſiue membra diſtinxit, adiungit eam eſſe primam, & veram Cabalam, quam in ſuis exprimit Concluſionibus, quamquam etiam de alia ſe nonnunquam in ſuis concluſionibus aſſerat meminſiſſe.

Cabalam ſecundum ſui primam originem bonam eſſe, & à Deo reuelatam. Sed prout à Rabbinis aſſeritur efficeat ad patranda miracula, impium, & hereticum eſſe ſigmentum.

VT autem certa, & Chriſtianiæ pietati conſona diſcernamus à falſis, & Catholiciæ veritati, ac recte rationi contrarijs, vnica diſtinctione valde neceſſaria vſendum eſt: Dupliciter enim de Cabala loqui poſſumus: Vno modo, quo ad propriam eius rationem, & primam originem ex diuina, vt creditur, inſtitutione deriuatam;

tam; Alio modo, prout in opinione quorundam est Rabbi-
norum. Si de Cabala sermo sit priori modo sumpta, facile
crediderim eam à Deo Moyse fuisse reuelatam, & à Moyse
septuaginta senioribus, Deo iubente, fuisse communica-
tam: sicq; de aure in aurem per multas in illo populo se-
niorum successiones vsque ad Esdram, & alios eiusdem sæ-
culi seniores fuisse transfusam, vt ex Origenis, Hilarij, &
Hieronymi dictis satis aperte probat Ioannes Picus, addi-
tis etiam nonnullis diuinæ scripturæ verbis illi fauentibus,
de quibus infra. Adde præterea, satis esse probabile, do-
ctrinam hanc ab Esdra diuinitus admonito in septuaginta
voluminibus fuisse descriptam, imposito præcepto, vt ea
solis Hebrææ gentis sapientibus communicarentur. Quæ
volumina summa impensa conquesta Ioannes Picus se-
legisse testatur, & in eis multa, immò penè omnia fidei no-
stræ consona reperisse.

Si verò de Cabala sermo sit altero modo sumpta, idest
quo ad practicam illam excellentiam, & efficacitatem,
quam illi quidam ex Rabbiniis tribuerunt, impium, & hæ-
reticum est figmentum ab omnibus fidelibus execrandum,
& tamquam vanum, & stultum à verè sapientibus irriden-
dum. Quod pluribus non minus euidentibus, quàm firmis
probat argumentis. Ac primò duplex huius opinionis
videtur esse fundamentum: Alterum est, nominibus He-
braicis rerum naturas, & essentias significari: Alterum est,
pronunciatis ab eo nominibus Hebraicis, qui perfectam
eorum habuerit intelligentiam, res illis nominibus signifi-
catas subijci pronunciantis arbitrio, & eius nutui, ac man-
datis obtemperare. Sed primò veluti satis probabiliter con-
cesso (quod tamen negant Medina libro secundo, de recta
in Deum fide, cap. septimo §. *Præterea falsum est*, & Pere-
rius lib. 1. de Magia, cap. 10.) secundum vanissimum, ac
stultum est. Primò: Quia nullam ex scripturis, aut sancto-
rum dictis, aut factis fidem habet.

Secundò: Quia nihil absurdius dici potest, quàm res
inanimes, vt elementa, saxa, sydera, & vniuersa cælestia
corpora, & bruta cuiusq; generis, tam syluestria, quàm do-
mestica, & homines ratione præditos, ac Angelos intelle-
ctus

Picus.

Medina.

Perecius.

ctualis perfectionis nobilitate sublimes, hæc inquam om-
nia pronuntiatis Hebraicè eorum nominibus ab vno alti-
quo Rabbiniis, illius statim veluti subdita præceptis ob-
temperare, siue nominum suorum significata percipiant, vt
homines, & Angeli, siue solum verborum sonum aures cor-
poris ferientem excipiant, significatas autem nominibus
essentias non intelligant, vt bruta, siue demum, nec exte-
ni soni noticiam habeant, vt saxa, & plantæ, quibus nulla
vis inest cognoscitiua.

Tertiò: Quia, vel hæc tanta vis hebraicorum nominum
ad miracula perpetranda conuenit illis ex primæua, &
quasi naturali significandi ratione, quam illis tribuit Adam
iuxta illud Genes. secundo. *Omne enim, quod vocauit Adam*
animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Vel conuenit illis no-
minibus hæc virtus ex supernaturalis diuinæ largitatis in-
fluxu.

Primum dici non potest; quia nihil nominibus illis tri-
buere potuit Adam, quod naturalem hominis excederet
facultatem: constat autem virtutem patranda miracula,
supra totius naturæ potentiam eleuari.

Secundum autem, præterquam quod omnino vo-
untariè, & absque vilo fundamento diceretur, multa secum, ea-
que maxima fert absurda. Sequeretur enim primò, nomi-
nibus illis à quocumq; prolatis miracula fieri pro libito
profertentis. Probat illatio; quia potestas eorum nomi-
num non ex loquentis hominis intelligentia, sed ex super-
naturali diuinæ virtutis influxu dependeret. Et quemad-
modum verba, quibus Christiana Religio, veluti formis,
ac instrumentis vititur in Sacramentis ad expianda pecca-
ta, & gratiam iustificationis hominibus conferendam, à
quouis Ecclesiæ ministro, tam ignaro, quàm sapiente ritè
prolata eundem habent expiationis, & iustificationis, siue
gratificationis effectum, sic Hebraica nomina, si superna-
turalem haberent à Deo virtutem, eadem miracula semper
efficerent, à quocumque pronunciata ritè fuissent.

Secundò: Si plurimi (quod possibile est) perfectam ha-
berent dictorum nominum cognitionem, sequitur eorum pro-
suz voluntatis arbitrio posse miracula facere præter, & su-
pra

Gen. 1.

præ totum ordinem Vniuersi, atque ita passim pro huius, aut illius Rabbinis, vel sapientis arbitrio rerum ordo turbaretur, & nihil esset firmum, aut constans in Vniuerso.

S. Thom.

Tertio sequitur, diuinam omnipotentiam fuisse creaturæ communicatam. Sequela probatur ex Diuo Thoma secunda secundæ, quæ est. centesima septuagesima octaua, articulo primo, ad primum, vbi ex hoc, quod diuina omnipotentia non potest creaturæ communicari, deducit, impossibile esse, quod principium operandi miracula sit aliqua qualitas habitualiter manens in animarum constare autem ex eorum opinione, contra quos disputamus, virtutem ad patranda miracula nominibus illis hebraicis per modum habitus in eis permanentis à Deo fuisse collatam. Probat autem suam consequentiam ibi Sanctus Doctor, quia virtus miraculorum extenditur ad omnia, quæ supernaturaliter fieri possunt, quorum causa est omnipotentia Dei.

Postremo: Si tanta est eorum nominum efficacia, consequens est, Rabbinos omnes Hebræorum posse nominibus illis pronuntiatis, creaturis omnibus pro libito suæ voluntatis imperare, & eadem, ac longè maiora miracula facere, quam ea sine, quæ diuina scriptura narrat fecisse Moysen, Iosue, Eliam, Eliseum, Danielum, & alios: ac proinde poterunt prodigiosas, ac pessimas illas Aegypti plagas Christianis inferre, cum voluerint, seruitutis iugum exte-tere, Maria diuidere, manna, cocuronesq; de Cælo trahere, contraria sibi nationes feliciter debellare, Soli, cæterisque cælestibus sphaeris rapidissimè motis quietem imperare, ignem à cælo deducere, leprosos mundare, languentes curare, mortuos suscitare, currus, & equos igneos formare, quibus vectoribus cum omnium intuentium admiratione per aera volitent.

Quorum nullum Rabbinos Cabalisticæ scientiæ professo- res, & ita doctissimos effecisse, aut efficere potuisse perspicuum est. Nam, si tanta est eorum, quantam sibi per ea nomina tribuunt potestatem, ea profectò non semel vti fuissent, vt à suorum hostium, quorum sepe fuerunt captiui, se potestate vendicarent, & vt feliciter illis voluerint succederent, & gloriosi præ cæteris orbis nationibus apparerent.

sed

Sed fortasse sciolus quispiam ex Rabbinulis respondebit, nominibus Hebraicis nullam inesse virtutem, nisi ritè fuerint pronuntiata, legitimè verò pronuntiationis modos in captiuitate Babylonica perijisse, nec ab Esdra propheta Rabbinorum maximo fuisse reparatos. Sed hoc ef- fugium nullius illis esse præsidij plurima declarant ex ijs, quæ supra produximus, argumenta.

Probant enim, vanam, & nullius efficacitatis esse Ca- balam absolutè sumptam, & sub quibuscunque temporum, locorum, personarum, ac modorum circumstantijs, & condi- tionibus consideratam. Neque vacat, aut expedit stulticiam hanc insignem, & euidentem pluribus argumentis exagitare.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

EX dictis sequuntur tres conclusiones. Prima est: Probabile est, Cabalam secundum propriam sui rationem, & primam originem à Deo in monte Sinai, Moysi fuisse reuelatam, & ab eodem septuaginta senioribus fuisse communicatam, & de ore in os, ac de aure in aurem succedentium in Hebræo populo seniorum vsque ad Esdræ prophetæ tempora trāsijisse, & ab eodem fuisse com- mendatam scripturæ senioribus tantum communicandæ.

Probatur hæc conclusio primò: Quia, cum duo confi- derentur in sacris litteris, verba scilicet, & eorum intelli- gentia, siue littera, & spiritus, verbis longè præstantior est intelligentia, & spiritus littera: comparantur enim sensus, & verba, vt gladius, & vagina: Verborum enim sensus, & intelligentia gladius est iuxta illud Apost. ad Ephes. *Et gla- Ephes. 6.*
dium spiritus, quod est Verbum Dei. Qua loquendi forma si- gnificatur, verbum non esse gladium, nisi ratione spiritus, & sensus inclusi. Cuius vim exprimeus idem Apostolus ad Hebr. 4. sic loquitur: *Viuus est enim sermo Dei, & efficax, Hebr. 4.*
& penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque, ac medulla- rum, & discretor cogitationis, & intentionum cordis, & 2. Cor. 2. Cor. 3.
3. littera (inquit) occidit, spiritus autem viuificat. Cum ita-

Cc

que

Eldra 4.

que Deus per Moysen legem scriptam tradiderit populo Iudeorum, sub qua diuina nouæ legis mysteria, veluti sub cortice tegebantur, necesse fuit legis illius antiquæ sensum sapientioribus illius populi viris secretò, & hæreditaria quâdam successione reuelari, vt illustrati, confortatique vitali fidei lumine ad nonum testamentum pertinente, finem legis Christum, & præcipua salutis humana mysteria rudioribus iuxta cuiusque captum, & modum indicarent. Quod ita verè factum fuisse narrat Eldras lib. 4. cap. 14. dicens; *Scripti sunt per quadraginta dies libri ducenti quatuor: Et factum est, cum compleuissent quadraginta dies, locutus est Altissimus dicens. Præora, quæ scripsisti, in palam pone, & legant digni, & indigni, nouissimos autem septuaginta conseruabis, vt tradas eos sapientibus de populo tuo. In his enim est vena intellectus, & sapientiæ fons, & scientiæ flumen. Et feci sic.* Secundo probatur conclusio ex Patribus. Et primo Origenes exponens dictum illud Apostoli Rom. 3. *Quia credita sunt illis eloquia Dei, Considerandum est* (inquit) *quia non dixerat litteras esse creditas, sed eloquia Dei: Et quibusdam interiectis adiungit. De Moysse, prophetisq; & cæteris horum similibus hæc intelligenda sunt dici, quibus sunt credita eloquia Dei: addet, & si quis apud eos sapiens, & intelligens auditor, & mirabilis confitarius fuit.* Hæc Origenes. Quibus verbis satis aperte significat, præter legis verba dignius aliquid, nimirum spiritum, & intelligentiam mysteriorum Hebræis, non quidem omnibus immediate, sed medijs senioribus, & præstantioribus fuisse traditam. Quod etiam expressius affirmat Hilarius in expositione Psalmi secundi dicens. *Erat autem à Moysse ante institutum in omni synagoga 70. esse doctores: Nam idem Moyses, quamuis veteris testamenti verba in litteris condidisset, tamen separatim quædam ex occultis legis mysteria 70. senioribus, qui doctores deinceps manerent, intimaerat: Cuius doctrinæ etiam Dominus in Euangelio meminit dicens. Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisei: omnia quacumque dixerint vobis, facite, & seruate; Doctrina verd eorum mansit in posterum.* Hæc Hilarius. Quibus nil clarius pro conclusione nostra dici poterat.

Origenes.

Hilarius.

Secunda Conclusio: Magia Cabalistica nullius est efficacit

efficacit ad perpetranda miracula, vel mirabilia. Hanc probant euidenter argumenta supra posita.

Tertia Conclusio; In exquirendi mysterijs circa nomina, syllabas, elementa, puncta, & accentus Hebræicæ scripturæ, siue locutionis non est anxie laborandum. Probatur primò: Quoniam hæc tam scrupulosa, minutæque consideratio non ad veram, & à Deo traditam diuinorum mysteriorum cognitionem, sed ad supersticiosam Magiæ Cabalisticæ partem attinet, cui cæca nimis temeritate Rabbinuli virtutè ad patranda miracula diuinæ potentie propriam tribuerunt. Secundo: Quia neque scriptura noui testamenti, neque Sancti Patres, neque Scholasticæ Theologiæ doctores ex horum adeò subtili consideratione mysteria fidei Christianæ deduxerunt. Quamquam enim in diuina scriptura plura Sanctis à Deo nomina legamus imposita, quæ futuram insignium personarum ex diuina largitate gratiam, munera, & opera declararent; non ideò tamen consequens est, in omnibus omninò diuinæ scripturæ vocibus, & earum syllabis, ac elementis, aut etiam in punctis, apicibus, & accentibus latere mysteria, quæ proinde sint à Theologis, & diuini verbi Concionatoribus subtiliter, & scrupulosè venanda, & ex Cathedris, & suggestis populo prædicanda. Regulas habemus ex scripturis, & patribus generales, euidentes, ac solidas ad litterales, ac mysticos ex diuina scriptura sensus eliciendos, de quibus p. p. quest. 1. art. 10. differit S. Doct. & eius expositores. Illas autem Rabbinicas regulas neque scripturæ significarunt, neque Sancti Patres approbarunt, sed veluti leuissimas, ac vanissimas, & diuinarum scripturarum, ac mysteriorum maiestate minimè dignas abiecerunt.

S. Thom.

Pius.

Argumenta, & solutiones.

Contra primam Conclusionem sunt argumenta non magni ponderis, quæ proponit, & soluit Ioannes Picus loco superius allegato.

Contra secundam, & tertiam conclusionem nulla, quæ viderim, producantur argumenta.

Cc 2

QVAE-

QVAESTIO VLTIMA.

De Maleficijs.

Maleficij significationes, & differentia.

Maleficium æquiuocum nomen est secundum analogiam attributionis, & primò dicitur de malo, quod vnus quocunque modo causat in altero, vt mors, vulnus, ægritudo, aut de damno rebus ad aliquem pertinentibus illato. Secundò dicitur Maleficium magis strictè de re venefica, qua ex fœdere cum dæmone percusso Magnus utitur veluti instrumento à Dæmone sibi demonstrato, vel etiam exhibito ad nocendum. Tertiò dicitur Maleficium de mero signo, quod fit à Mago, vt eo factò Dæmon ex fœdere, & promissione præcedente malum aliquod inferat alicui in persona, aut in rebus ad eum pertinentibus. Quibus addi potest: quartum ex causis confectum, & signis. Hæc tria tantum postrema maleficiorum genera ad eas magicas attinent obseruantias, quæ ad noxias corporibus immutationes ordinantur. Distinguuntur hæc omnia eisdem differentijs ex finium illis communium diuersitate desumptis. Maleficium enim omne, vel ordinatur ad somnum inducendum, & hoc appellatur somniferum; aut ad amorem excitandum, & hoc dicitur amatorium: aut ad nocendum in bonis animi, corporis, aut fortunæ, & hoc nuncupatur hostile. Quæ singula nonnunquam efficiunt, aut efficere tentant Magi, siue Malefici per signa, & verba non eadem semper, sed pro Dæmonum instituentium voluntate diuersa: nonnunquam autem per naturales causas, quas eis Dæmones indicant, aut etiam exhibuerunt. Quandoque verò naturalibus causis signa miscentur, & verba. Quemadmodum autem signa, sic & causæ, quibus ad nocendum vtuntur magi, multipliciter variantur. Et hinc alia consurgit maleficiorum distinctio ex signorum, causarumq; differentijs tam simplicibus, quam commissis accepta:

*Maleficij
differentiæ
per se.*

cepta: quæ, quia infinita est, cum in infinitum signa possint à Dæmone multiplicari, aliena prorsus est ab arte, & ideò relinquenda.

De his materialibus, & accidentalibus maleficiorum differentijs Martinus vberimè differit libro 3. Differentijs autem formalibus, & per se non distinguitur nisi tertium maleficij genus, scilicet Hostile, cuius tot formales videntur esse differentiz, quot nocumenta specie distincta personis, aut rebus eorum per hoc maleficium illata numerantur. Hæc verò plurima sunt, nec singula possent facile recèferi. Multa tamen ex eis collegerunt Martinus in suo illo 3. lib. & ante eum Syluester De Strigimagarum, Dæmonumq; mirandis lib. 2. cap. 6. & 7. & Malleus Maleficarum, parte 1. qu. 8. & par. 1. cap. 5. & seq. Et in eodem opere Ioannes Nider in suo formicario, & alij in 2. tomo eiusdem operis.

Martinus.

Syluester.

Mall. Mal.

Io. Nider.

His annexæ sunt quæstiones multæ. Prima est: An striges virtute Dæmonis possint in brutorum animalium, puta Lupi, felis, aut muris figuras verè, & realiter transformari. Secunda est, num striges verè, & realiter per aera deferantur à Dæmonibus ad loca, vbi, perceptis multis voluptatibus, cum eis etiam carnali copula misceantur. Tertia est de causa propria maleficiorum. Quarta Cur Deus permittat, Dæmones, & Magos tot exercere maleficia. Quinta est, Num taliz perpetrantes sint apostata à fide, vel hæretici, aut de apostasia, vel hæresi suscepti. Sexta, quomodo sit aduersus eos ab Inquisitoribus procedendum. Postrema. Quibus pœnis secundum iura sint afficiendi. De quibus late differunt Malleus Maleficarum, Syluester, & Martinus in operibus supra nominatis, Directorium Inquisitorum in secunda par. qu. 43. & alibi, & Petrus Binsfeldius in Tract. de Confessionibus Maleficorum, & in Commentario in Titulum de Maleficijs, & Mathematicis, qu. 4.

Mall. Mal.
Syluester.
Martinus.
Direct. Inq.
Binsfeldius.

Hæc pauca de Magia tam naturali, quam superstitiosa, dum alijs grauioribus imprimendis intenderemus, summa breuitate, atq; celeritate notauimus Deo largiente; cui sit honor, & gloria per infinita seculorum secula.

OPUSCULUM NONVM

IMPERIALIS,
REGALISQVE

MAIESTATIS REGIMEN,

Cuius gratia huic breui compendio in-
seruntur Monarchia Diuina, Ange-
lica, Theandrica, & Ec-
clesiastica.

*Auctore Fr. Ioanne Paulo Nazario Cre-
monensi Sacrae Theologiae Doctore
Ordinis Praedicatorum.*

Ante triginta, & octo annos Pragae impressa,
& publica disputatione defensa.



CC 4

ADMODVM R. P.
IOANNI PAVLO NAZARIO
Cremonensi Theologo.

ALEXANDER GVAZZONVS.

ORnatur Armis, & armatur Legibus
Inuicta summi Caesaris Potentia.
Utroque ut Prælii, pacisque tempore,
Recto regatur Orbis terræ Imperio.
Theologie summum, ò NAZARI decus
Sunt Arma Legum tua Theoremata,
Ecclesie Sancta, & decori, & robori.

Eiusdem ad Lectorem.

Summa Dei, Diuum, atque hominum, Christi-
que potestas
Regnantis, Petri, summique Antiflitus, atque
Caesaris, ac Regis, Bonitas, Clementia, Leges,
Et pax, & bellum paruo descripta libello,
Immensum angusto pelagus, ceu litore clausum,
Hæc lege, mireris, recolas sepiissime Lector,
Hic finem, atque moxam, authoris spectabis,
& artem.

INVICTISSIMO
ROM. IMPERATORI
RVDOLPHO II. AVGVSTO &c.

Frater Ioannes Paulus Nazarius
Salutem, & Regnorum Tran-
quillitatem.



SUMMI Philosophorum Principis Pla-
tonis ea fuit de Regia Maestate sen-
tentia, quæ non minus regnantis subli-
mitati congrueret, quàm sapientissimi
viri diuinam eruditionem ostenderet;
si quidem in Ciuili Regem, cui totius orbis Monar-
chiam adiudicabat, speculatrici scientiæ magis, quàm
actiue propinquum eligendum existimauit. Cuius
sanè doctrinæ ratio Regiæ dignitatis innititur celsi-
tudini, quæ nobilissimum inter mortales sortita gra-
dum, quantò supra communem hominum statum al-
tius eleuatur, tantò ad supercoelestes recipiendos in-
fluxus fit habilior, vt sicuti motionum corporearum,
sic, & corporis expertium seriem, ab immobili Deo
primo mouete, per vniuersales causas ad infima pro-
cedentem, diuina intelligamus dispositam sapientia.
Talem ego summatim Monarchiam, & Principem,
quasi quibusdam lineamentis effinxi, proprijs in-
signibus decoravi; Diuinum, Angelicum, Theandri-
cum, & Ecclesiasticum adnectens Principatum; ne
vel in opusculo complementum, vel in Regia Maie-
state splendorem desiderari contingeret; quanquam
libellum hunc à debita perfectione longè abesse non
ignorem, qui summi, & eminentissimi Christiani or-
bis

bis Monarchæ fuerit oculis proponendus. Et quamuis ea sit Cæsareæ vestræ Maiestati insita, vel potius innata, mentis nobilitas, cuius vel summis lucubrationibus elaborata iudicium debeant formidare; non multum ob eam causam hæsitandum existimaui, quin tanto Imperatori hoc (exilis licet ingenij, & exiguæ eruditionis) opus consecrarem; vt cui ex censu quottannis à populis tributa penduntur, paruum hoc de Cæsare compilatum volumen tanquam debita ex viribus meis quātulacunque pensio imagine, & inscriptione Cæsaris insignita, Cæsari redderetur, id mihi non suadente solum, sed mandante etiam, Reuerendis. Domino meo Cæsare Speciano Episcopo Cremonensi, M. V. addictissimo. Qui inter duo magna mundi luminaria summa amoris conspiratione coniuncta medius existens, vt sapiens Mercurius à sanctissimo Clemente ad Clementissimum Cæsarem transmissus nouæ lucis Nuncius fulgentissimam, vtriusque clementiam, vel obcæcatis ignorantie tenebris cupit esse notissimam. Prodeat itaque libellus hic V. M. Cæsareæ fidei, & tutelæ commendatus, & detractionum sagitis cæco impetu in eum irruenti respondeat; Cæsaris sum, noli me tangere. Ego interim summis votis Augustissimo Imperatori, Inuictissimoque Monarchæ, pacatissimam Regnorū omnium tranquillitatem, incolumitatemque vitæ diurnam, exopto.



AD LECTOREM

P R Æ F A T I O.



IAM ET SI ex presentis operis instituto primum locum sacra Imperatoria Maiestas postulare videatur, Cuius gratia reliqua de communi ratione regiminis, de æterna Dei omnipotentis Monarchia, de separatarum substantiarum Principatu, de naturali hominis dominio, de Christi Dei, & hominis amplissimo Regno, De Primatu Petri, huic tractatui sunt inserta; Nihilominus ad mundanæ huiusce Monarchiæ gloriam pro viribus illustrandam, perspicuæ, dilucidæque expositioni studens, quam scriptorum nullus, nisi rebus ex ordine collocatis, asequi valet, necessarium duxi Peripatetica simulque, & Theologica documenta sectari: vt ex illis à communioribus, reliquorumque principijs, ex his autem à diuinioribus exordium sumeret disciplina, ita enim fiet, vt suo loco disposita, precedentium lumine suscepto, inter omnes, etsi nō dignitate sublimior, claritate tamen, & cognitionis euidentiā præcellat imperatoria Maiestas. Neque vlla ratione præteriri potuerunt Regiæ, Imperialisq; Maiestatis Insignia, quæ sunt: sapientia, bonitas, & potentia, ex quibus stemmata quedā alia deriuantur, sc. ex sapientia leges, ex bonitate clemētia, & ex potentia tranquillitas, aut bellū, his enim quasi pro-

proprijs monilibus exornata Splendidior prodibit in lucem. Sanè ad scribendum opportuna satis induxit occasio: nam cum in amplissimo conuentu meo Cremonensi per quinquennium sacram Theologiam æsiduè docuiffem, & Illustriss. ac Reuerendiss. D. D. Casar Specianus Episcopus Cremonensis mea opera continuè vsus fuisset, eadem in nobilissimam hanc prouintiam ab Apostolica sede Nuncius ad Cesaream Maiestatem destinatus, me in Theologum asciuisset, id Reuerendiss. religionis meæ Generalis Magister ob eximia Illustriss. Viri merita iam vniuerso orbi notissima, probauit mirifice, & in seruitutis decorem paucis ante diebus doctoratus ad me litteras destinauit, ea tamen addita cõditione, si rigoroso examine præuio communi doctorum calculo dignus fuero iudicatus. Hac itaque causa fuit, que me ad scribendum, & disputationis certamen subeundum, inuitauit, cui adiuncta Illustriss. & Reuerendiss. Domini mei sententia, reiecta hæsitatione, prorsus impulit. Duo compositu difficillima sum professus sermonis euidentiam, & breuitatem, illam, ut tractatui, hanc, ut disputationi diseruiret; utrumque verò, ut Cesarea Maiestas opusculum, & susciperet gratius, & faciliori benignitate perlegeret; que an ex parte saltem fuerim assequutus, doctè, ac bone lector æquo animo iudicato.

COM-

DEI MONARCHIA
 Communissima cuiusque Regiminis ratio,
 qua Imperatoria dignitatis, ac Monarchia, Fons est, & origo.

Cap. I.

Q VEMADMODVM in naturali rerum cognitione, quam per insitum ab autore naturæ lumen quilibet adipiscitur, quæ vniuersaliora sunt, prima se se offerunt contemplanda; cum subsistere, priusquam viuere, & hoc ante sentire, & postremò rationis gradum intelligamus; sic & legitimus ordo doctrinæ, quæ, dum naturæ ministrat, eiusdem etiam fit imitatrix, à communioribus solet exordiri; ea enim, & scien. faciliora, & humano intellectui, qui suapte natura pura est potentia, sunt proximiora. Recto itaque procedemus tramite, si nonnulla prius de communissima cuiusque regiminis ratione, quæ Imperatoris sublimitatis Monarchiæ, ac regni fons est, & origo, præmiserimus. Ita est omnibus, quæ ad finem aliquem ordinantur, in quibus error, defectusue, contingere potest, ab ipsa natura comparatum, ut ab aliquo dirigantur, quò in suum valeant finem peruenire. Id facile videre est in naui ventorum impetu, ac fluctuum inconstantia, hinc inde per latissima pelagi spatia periculosè iactata, quæ nec salua consistere, nec in portum suæ peregrinationis terminum posset peruenire, nisi gubernatoris prudentia regeretur. Vnde, & Plato gubernatorem quoque humanæ vitæ, quasi naui, Regem iudicat appellandum. Quod, & vniuersale omnipotentis Dei regimen aperite declarat, cuius efficacissimo nutu ad finem præstitutum vniuersa mouentur. Hoc idem clarissimo vitium apum docemur exemplo, quæ interius mouente natura, & regem sequuntur, & obsequijs pro modulo venerantur. Sed cur per externa vagamur, cum perspicuam regni formam in semetipso quilibet valeat contemplari? Quis non agnoscat persimilem intra se diuinæ gubernationis formam, cum præfic ratio corporeis membris, atque animæ

Plato.

ma viribus dirigendis, ut præest Deus corporeæ, & spiri-
tuali naturæ sua prouidentia gubernandæ? Ab hoc ergo
quasi communi principio, Imperialis, Regalisque regimi-
nis ratio deriuatur, hoc enim latissimè speciales quosquæ
regendi modos circumplectitur. De quibus pro instituta
breuitate singillatim tractabitur; ita tamen, ut quæ neces-
saria fuerint, non omittantur; Quod autem primum iux-
ta rectum ordinem doctrinæ tractandum occurrit, est su-
prema, sempiternaque Dei Monarchia, à qua dependent,
& propter quam existunt, vniuersi reliqui principatus.

Suprema Sempiterni Regis Dei Monarchia.

Cap. 11.

Regem, ac Dominum, scripturæ Sacræ passim Deum
solent nuncupare; ad cuius etiam singularem in re-
gimine dignitatem explicandam Ioann. Apoc. 19.
non simpliciter regem, aut Dominum, sed Regem Regum,
ac dominantium Dominum, diuina inscriptione teste, no-
minauit; cui ideo terrenorum Regum debetur famulatus,
quemadmodum diserte sancto a filatus spiritu, rex ille à
Domino electus Dauid, cecinit dicens; *Et nunc Reges intel-
ligite crudimini, qui iudicatis terram, seruite Domino in timore,
& exultate ei cum tremore: Quamobrem, & hoc ipsum no-
men Deus ab vniuersali rerum gubernatione, siue prou-
dentia, teste D. Damasceno libro primo derivatur; siue e-
nim à curando, vel fouendo, siue à considerando, siue de-
nique ab ardore, vel incendio, iuxta Grecam echymolo-
giam deducatur, ad prouidentiam semper prima significa-
tionis illius institutio pertinebit. Vnde, & Sap. 14. ad Deum
dicitur; *Tua autem pater prouidentia, ab initio cuncta gubernat;*
Quod si prouidentia, regnum, aut mundum ipsum guber-
nare, ad Regem pertinet, Rex profectò Deus erit, cui re-
gimen conuenit vniuersi; qui tanto excellentiùs Regium si-
bi vendicat nomen, quanto præ Regibus terræ, subiectis si-
bi rebus singulatiùs præest; Non enim Reges omnes Re-
gnum, aut Ciuitatem instituunt, in qua dominantur, sed*

Re-

Regno, ac Ciuitati iam institutz, ut plurimum regiminis
curam impendunt, cum tamen utrumque sub Regis officio
comprehendatur; quare, & Romulus Romam, & Ninius
Niniem, ciuitates, in quibus regnarent, instituerunt; nec
locum haberet regni gubernatio; nisi ciuitatis præcederet
institutio, & gubernandi modus ignoratur, cum institutio-
nis ratio non tenetur. Erit itaque perfectissimum Dei Re-
gnum, in quo vniuersa Deo subiecta Deum ipsum agno-
scunt creatorem, Cuius institutionis rationem, & ordinem
Moyles factorum scriptorum primus, subtiliter, ac dili-
genter expressit tria diuinorum operum distinguens gene-
ra; scilicet creationis, distinctionis, & ornatus. Sed enim
pro finium disparitate in creatis naturis varia consurgit
etiam gubernationum, & Regnorum distinctio. Porro alius
ratione carentibus, alius intellectu vigentibus, alius na-
turæ, alius denique gratiæ finis præstituitur. Erit igitur
tripartita diuini regiminis ratio, triplici coarctata Regno,
ut primum sit rationis expertium, secundum mente pollen-
tium, tertium beatorum; & in primo quidem regnat Deus
per essentiam, præsentiam, & potentiam; In secundò per
naturalem notitiam, & amorem; In tertio per gratiam, &
gloriæ felicitatem; Sed, ut nunc tertio ad primum reuertatur
oratio, adeo perspicuis sacrarum litterarum illustre
est testimonij, ut in eo statuendo laborare, superuacaneum
proffus videatur; Clamant vndique sacra volumina, im-
mensos montium globos, marium procellas, ventorum
impetus, aeris tonitrua, nubium imbres, ignea fulgura,
frigidas niues, rigidas glacies, sublimes cœlorum motus,
Plantarum germina, brutorum sensum, diuini nutus Im-
perio, tum in agendo, tum in quiescendo, gubernari. Cu-
ius rei euidentis signum præbet naturalis cuiuslibet rei pro-
pensio, ab auctore rerum omnium Deo, quasi mirabilis
quædam ars, naturis impressa, qua in proprium sibi præfi-
xum finem, quolibet miro ordinis processu mouetur. Et
quanquam verum sit, quod scribitur Iob 34. quod nullum
alium constituit Deus super terram; nec quemquam posuit super orbem, quem fabricatus est, quoniam, ut ibidem inquit Gre-
gor. mundum per seipsum regit Deus, quem per seipsum

con-

condidit, cum ad prouidentiam præcipuè pertineat ratio ordinis rerum in finem, quam rectorum interest planè nosse; nil tamen prohibet, immo ad exuberantiam pertinet bonitatis, ut quo ad dicti ordinis executionem, per causas disponat effectus; ut nobilissimam causæ dignitatem communicet creaturis: nam, & ad terreni Regis confert Maiestatem, nobilissimos suarum operationum habere ministros. Huic itaq; Regno adest Deus per essentiam, quatenus omnibus adest, ut essendi causa; per præsentiam, quoniam omnia nuda, & aperta sunt oculis eius; per potètiā, quia potestati eius vniuersa subduntur. Quod verò ad secundum attinet Regnum, id in Angelorum atque hominum naturali Dei cognitione, ac dilectione consistit; Est namque, & quod cognoscitur, in cognoscente, & quod amatur, in amante, per intimum quendam, & mirabilem vnitatis modum. Sanè supercœlestes, spiritualesque substantiæ Deum ipsum in sua ipsarum essentia, tanquam in lucidissimo quodam speculo, fœlici contemplatione cognoscunt, cum D. Dionysio teste 4. cap. de diuinis Nom. Angelus sit speculum purum, clarissimum, suscipiens totam (si fas est dicere) pulchritudinem Dei. At homini longè inferiorem Dei notitiā natura præstitit, quippè qui nisi per sensibilibus rerum effectus Deum cognoscit; qui cum longissimè distent à diuinæ perfectionis similitudine, obscuram quoque Dei pariunt cognitionem. At dilectione naturali, vterque pariter, & Angelus, & homo; Deum diligit, ut commune bonum, cuius gratia, tam illi, quam reliqua omnia, sunt creata; nam, & cuius virtute præditus pro communi bono propriam vitam recta ratione ductus profundere non dubitat; Sicut, & membra corporis plus de totius compositi, & capitis salute, quam de semetipsis sollicita, irruentibus malis obijciunt se se, nullo nisi natura mouente. Iam verò tertium superest Regnum, cuius clarissima exstant in sacris litteris testimonia, quæ Dei filios, tam hic in via per gratiam, quam in patria per gloriam, Dei Regnum appellant; nam sæpè numero de Ecclesia loquens Christus dicebat, *Simile est Regnum Cœlorum; Et Lucæ 17. Regnum Dei intra vos est.* Vnde, & Deus antiquum illum

Lucæ 17.

illum Israeliticum populum suum appellabat Regnum. Exod. 19. *Eritis mihi in Regnum Sacerdotale,* & Apoc. 5. ad Agnum in cœlo loquuntur sancti; *Fecisti nos Deo nostro Regnum;* & in sacris Euangelijs frequenter beatorum cœtus Regnum Cœlorum nuncupatur. Verè etenim Dei Regnum filij Dei nominantur, in quibus est Dei Thronus, & ipsamet diuina Maiestas conuiescit. In intimis quidem essentia penetrabilibus per gratiam nos Deo gratos reddentem, & in Dei filios per diuinæ naturæ collatam similitudinem adoptantem, quam Apostolorum Princeps in 2. Epist. 1. cap. disertis verbis explicat dicens; *Maxima, & præiosa nobis promissa donauit, ut per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.* In mente verò, per reuelatam supernaturalium mysteriorum notitiā. In affectu denique per charitatis, & amoris firmissimum vinculum; ut verè, & Deos, & Dei filios regius Propheta potuerit eos appellare, tanquam in diuinam similitudinem, immo, quod amplius est, in Deum ipsum transformatos. In his ergò Deus habitat tanquam in throno, templo simul, ac Regno; quod etiam apertè veritas ipsa Io. 14. promisit dicens; *Si quis diligit me, sermonum me seruat, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansione apud eum faciemus.* At multò illi strius Regnum hoc in beatis elucet, quorum mens purpureo diuinæ claritatis illustrata fulgore, dicente Propheta, *in lumine tuo videbimus lumen.* diuinæ tantò nexu copulatur essentiæ, ut Deum non per creatā speciem, sed per ipsummet Deum, feliciter contemplantur; Ea verò in illis est affectus dispositio, ut nihil vnquam omnino velint, aut velle possint diuinæ legi, aut voluntati contrarium; Denique non patitur fœlicis illius status conditio, ut excidere, aut deficere vnquam possint, à firmissimo illo atque tutissimo ab inimicorum omnium insidijs Regno beatissimo. Quapropter, & cum Deo regnare dicuntur Apoc. 22. *Dominus illuminabit illos, & regnabunt in sacula saculorum.* Sed iam ad Angelicum descendamus Principatum.

Exod. 19.
Apoc. 5.

Petr. 2. 1.

Io. 14.

Apoc. 22.

Angelicus Principatus. Cap. III.

S. Dionys. **D**E Sanctorum Angelorum vario Principatu plurima tradidit profundissime S. Dionysius Areopagita in suo illo diuino libro de Cœlesti Hierarchia, qua latissimè declarantur à S. Thoma. Ego verò ex plurimis pauca, eaquè præcipua, collecturus, è re esse duxi, ab appellatione Hierarchiæ, quam triplicem in Angelis agnoscit Dionysius, exordium sumere. Est autem Hierarchia idem quòd facit Principatus; Vnus verò dicitur Principatus, quatenus potest vno modo multitudo aliqua Principis directione disponi; quæ autem diuerso modo indigent gubernari, ad diuersos attinent principatus; quemadmodum, & sub vno Rege diuersæ sunt ciuitates, aut prouinciæ, quæ disparibus reguntur legibus, & ministris. Sanè Angelorum regimen, secundum cognitionem, quæ in eis præcipua est, consideratur. Inter quos, qui nobiliores existunt, vniuersaliorem veritatis noticiam à Deo recipiunt. Ad primum, itaque Principatum spectabunt, qui rerum rationes, de quibus Angelorum mentes illuminantur, à Deo recipiunt, quatenus rationes ille à Deo, vt prius, & vniuersali rerum principio deriuantur. Secundi Principatus sedem occupabunt, quorù intellectus de dictis rerum rationibus, prout ab vniuersalibus causis creatis dependent, à Deo illuminatur. Postremus denique locus relinquetur ijs, qui rationes huiusmodi suo capiunt intellectu, quatenus singulis applicantur rebus, quæ à proprijs causis deriuantur. Verùm ex his nondum Angelorum in Angelos deduximus Principatum, sed naturalem quandam habilitatem, ex qua quidem euidenter efficitur, simillimum esse iudicium de supernaturali eorum noticia; cum diuinæ gratiæ munera dispersita sint Angelis, iuxta naturalium dispositionum mensuram; qua propter quò superiores, eò etiam plenius diuinitus illustrantur; Et quoniam creaturæ omnes ex diuina bonitate participant, vt bonum, quod habent, in alias diffundant, sicut & mortales Dei ministros alloquens D. Petrus aiebat; *Unusquisq; sicut accepit gratiam, in alterum ill-*

lans

lam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Multò magis sanctas Angelorum essentias, quidquid à Deo participant, inferioribus substantijs decet imperitari, idque præsertim in ordine ad militantis Ecclesiæ regimen; Atque secundum hanc noticiæ communicationem euidentius dignoscitur, tum Angelorum in Angelos, tum Angelorum in homines Principatus. Ad quodlibet siquidem opus exercendum tria necessariò concurrunt: finis contemplatio, quæ ad primum pertinet Principatum; agendorum dispositio, & in hac latè sumpta alter versatur Principatus; demum dispositionis ad opus promotio, quod munus est Principatus postremi; Quare sub primo collocantur tres primi Angelorum ordines, ad quos attinet ipsius Dei, quatenus agendorum finis est, consideratio. Est namque Deus creaturarum finis, sicut dux exercitus teste Philosopho in 12. diuinæ suæ Philosophiæ, atqui inter eos, qui duci, vel Regi subduntur, quidam id habent dignitatis, vt per se ipsos ad colloquendum ad Regem accedere valeant; quidam autem amplius, vt etiam secreta cognoscant; demum primarij Regio lateri semper adherent. Nec valdè dissimilis est primæ Hierarchiæ dispositio: nam Throni, qui sedes dicuntur, ad hoc extolluntur, vt Deum familiariter in seipsis recipiant, quatenus rerum rationes in ipso immediatè possunt contemplari; quod illis omnibus proprium est, qui ad primam attinent Hierarchiam. At Cherubin, quod nomen sonat scientiæ plenitudinem, plenè cumulateque diuina secreta cognoscunt. Seraphin verò, qui ab ardore dicuntur, in eo præstant, quod omnium est dignissimum, Deo inquam summè coniungi, qui ignis consumens est, vt exinde subiectos potenter inflamment. Post hæc, quæ secundo cōueniunt principatui, cuius est in agendarum rerum lata quadam, & vniuersali dispositione versari, colligamus; sub quo tres medijs Angelorum ordines concluduntur. Igitur agenda disponere distinguendo Dominationum est munus, quo nomine gaudent ex quadam diuini domini participatione. Denique actionem ordinare eorum, quæ præcepta, vel definita sunt, ijs, qui Potestates nuncupantur, incumbit; quod & vocabulo consonat

Dd 2

ordi-

Rom. 13.

ordinationem significanti; dicit enim Apostolus ad Rom. 13. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Iam verò tres postremi Angelorum ordines in actione versantur; inter quos, qui primores existunt, & iussa faciunt, & ceterorum se Duces præstant, Principatus vocantur. At simpliciter exequi Angelorum est, qui ideo dicuntur Angeli, quia immediate nobis annuntiant. Verùm inter utrumque medios se gerere, Archangelis congruit, qui sicut re ipsa, sic & nomine cum Principatibus, Angelisq; conueniunt. Præ sunt itaq; medijs supremi, infimis medijs, nobis autem hominibus infimi; omnibus verò nobilissimus omnium, non quidem Lucifer, sed supremus eorum, qui steterunt. In quem aptissime Ezech. 28. verba conueniunt, *omnis lapis pretiosus operimentum tunicae, Sardius, Topazius, & Iaspis, Chrysolitus, & Onyx, & Berillus, Saphyrus, & Carbunculus, & Smaragdus;* his enim nouem lapidum generibus, ut D. Greg. placet, nouem significantur ordines Angelorum; quibus nimirum ordinibus primus ille Angelus ideo ornatus, & opertus exiit, quia dum cuncti Angelorum agminibus præest, ex eorum comparatione sic illustrior.

Ezech. 28.

*Humani dominatus distinctio, & Imperium
in bruta. Cap. IV.*

Iam ad institutum propius accedo, de vario hominis dominio paulò fusius, & accuratius tractatorus, verùm quoniam multiplex huic titulo subest differendi materia, operæ pretium est partitionem totius tractatus in suas partes, & capita quædam adhibere, & partium cuiuslibet propriam sedem præbere, ut quis, conque congruat locus, iuxta disciplinæ normam lector intelligat. Sunt autem quinque, quæ ad integram præsentis materię explicationem pertinent. Primum est hominis dominium in bruta, & reliqua corpora; secundum hominis in hominem principatus; tertium Cæsarei, Regalisq; dominij forma, vel modus; quartum regalis, Imperialisq; maiestatis insignia; quintum, deniq; suis, in quem regnantis intentio dirigatur.

tur. Quod igitur ad primum attinet, ex ipsa hominis creatione in primo Genes. cap. descripta manifestè docemur, ab ipso Deo auctore naturæ hominis dominatui res omnes eo inferiores ob intellectus eius splendore fuisse subiectas. *Replet a terram, inquit Deus, & subijcite eam, & dominamini in piscibus, maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.* Et quamuis ea potestas fuerit ex peccato diminuta, cum & vilissima nobis animalia sint obnoxia; non ideo tamen perfecto illo totius naturæ dono ceusemur priuati: plurimum namque distant, quæ naturæ est insita, & quæ in opere ipso consistit auctoritas dominandi; hæc in delicti pœnam est ablata, illa adhuc inuiolata persequatur, quod placibus, tum auctoritatibus, tum rationibus, non erit difficile demonstrare. Principio creaturus Deus hominem dixit, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, vniuersaque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra;* Imago itaq; Dei, ut phrasis edocet, ratio est amplissimi in vniuersa Principatus, si quidem ex imagine Dei vniuersalis prudentia humanæ rationi conuenit, cuius scintilla quædam in brutis, quo ad singulares quæsdam actiones elucet; congregat in æstate formica, ut hyemis succurrat necessitati; aranea pro muscarum captura miro ordine telam contexit; aues opportunam ad extruendum nidum materiam, locum, & tempus, nullo docente cognoscunt; deniq; terrestria, & perfectæ quæq; ex animalibus prudentia participant, tum in necessarijs conquirendis, tum in nocuentis fugiendis, aut etiam propulsandis; Quod si natura homini perfectam, atque vniuersalem prudentiam præstitit, brutis autem exiguam vix mensuram concessit, consequens certè sit, homini bruta per naturam subesse: Quod etiam apud naturali rerum ordini congruit, quo de imperfecto gradatim proceditur ad perfectum; nam, ut materia per se informis est propter formam, & imperfectior actus propter perfectiorem, ita contingit in vltis rerum naturalium: nam terra plantis ad nutritionem deseruit, plantæ animalibus sunt in pabulum, hæc autem homini cibum præstant. Quamobrem ne, quod naturale est, per

Gen. 1.

Gen. 1.

Gen. 9.

delictum censeretur ablatum, loquens Dominus ad Noë post diluuium Gen. 9. cap. *Terror* (inquit) *uester, ac tremor sit super cuncta animantia terra, & super omnes volucres cali, cum vniuersis, quæ mouentur super terram; omnes pisces maris manui uestre traditi sunt, & omne, quod mouetur, & uiuit, erit uobis in cibum; Vndè & Arist. in luminæ naturæ hunc hominis Principatum agnouit, nam in primò Polit. probat siluestriam animalium venationem iustam esse, quia per eam homo sibi vendicat, quod natura donauit. Quare, sicut aduertit S. Thomas, quoniam actuale dominium in bruta homini peccatum abstulit, diuina gratia illud multorum sanctitati restituit; vt quantò propinquius accedit homo ad innocentiam, tantò magis donorum felicitis illius status particeps videatur; Sanè de Sanctissimo Apostolo Paulo tradit Sanctus Lucas in Actis Apostolorum, nihil illum mali ex vipeteo morsu cunctis mirantibus pertulisse; & dilectus Domini beatissimus Euangelista Ioannes, hausto veneni poculo, illæsus euasit. Sed nimis operosum esset singula recensere, quæ in Sanctorum Patrum gestis admiratur, & veneratur Ecclesia; manifesta est veritatis promissio. Marci ultimo. *In nomine meo Dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, Serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit;* Quid quod ex brutis plurima facillè mansuescunt, arte capiuntur, ratione domantur, aut certè in veræ potestatis signum ad humanos vsus occiduntur? Hinc aditus patet ad illius quæ sita responsum, quod de sensu carentibus rebus moueri solet: nam, cum homo sit quasi breuis rerum omnium creaturarum epilogus; quo iure ijs, quæ in seipso collecta possidet, dominatur, eodem in externa reliqua fungitur potestate, & quidem cum Angelis mente, & ratione conuenit, cum brutis sensu, cum plantis vita, cum inanimatis corpore; Ratio, vt nobilissima sensui præest politici Principis instar imperando, vitalibus autem viribus, & corpori solo vsu ad vitæ necessaria, & opportuna dominantur, qua ratione etiam clementorum, immo & cælorum Dominum, asserere hominem non inconuenit, cum & globosa cælestis spheræ latitudo non modò, vt rectum operiat, atque vt ornatus illustret, sed diuersarum, quæ in-*

de

de scaturiunt, virtutum illapsu conseruet; quod facer textus Deut. 4. planius explicat, dum de cælestibus luminari-
 bus inquit, ea Deum in cunctarum gentium ministerium con-

Deut. 4.†

Monarchie humane ratio. V.

Qui diligenter inditas homini proprietates considerare voluerit, facillè cognoscat naturam ipsam multitudini principatum postulare; nõ enim solitariu hominem, sed præ cæteris sociale instituit, quod indigentia cuiusq; naturalis aperte declarat, si quidem cæteris animantibus præparauit natura victus quotidiani cibaria, pilorum, & pennarum tegumenta, dentes, cornua, aut vngues vitæ propugnatoria, cursus ad fugam velocitatè, certam quandam ad vtilia, nocuauè discernenda æstimationem, vt infirmitatum medicamenta, & hostilem animalis speciem; quorum nullum homini concessit; non quod cæteris sit ignobilior, qui splendore præeminet intellectus, sed quoniam eorum omnium loco rationem homini contulit; qua, & medio discursu ad vitam opportuna diiudicare; & per manuum ministerium, quæ fuerint necessaria, valeat præparare. Nec tamen per semetipsum valet vnus ad prædicta omnia sibi comparanda; necesse est itaq; vt diuersi diuersis artibus, & studijs incumbant, quò mutuis operibus alter alterum valeat adiuuare; cuius rei gratia videtur homini concessa loquutio, qua non confusè solum, vt bruta; sed distinctè, perfectèq; suos alteri conceptus exprimeret. Si verò, vt deduximus; naturale est homini, vt in societate multorum viuat, necesse est in hominibus esse, per quem multitudo regatur; fieri enim nullo modo potest, vt tam distantia hominum ingenia, per mediã tam diuersã, ad vnum omnium, communemq; finem perducantur; nisi ab vno, per vnã quandam legem cunctos in vnum pariter conducentem. Quemadmodum neque fabri, ministrique genere moribusq; longè inter se discrepantes, materias admodum varias ad formam vnã edificiij conferentes, in vnum vnquam commode congregabunt, & construent

Dd 4

op-

Plato.

opportune, nisi ab vna quadam architecti vnus lege regatur. Quapropter non iniuria Plato, cum Regem quaereret Mundi Monarcham, principio architectum produxit in medium, vt ex operis proportione Regis necessitatem, ex artificis similitudine eiusdem qualitatem in iudicando, imperando, & assistendo, declararet. Nam, etsi varia sint regiminum genera, Regale tamen, & Monarchicum, quod Imperatoriam Maiestatem, vt apertissimum sibi vindicare nemo dubitat, de communi sapientum iudicio primum obtinet locum: quod relictis gentium, & factorum Doctorum auctoritatibus, his paucis, sed omnium praecipuis, rationibus suaderetur. Bonum, & salus consociate viuentium in consensione pacisq; vnitatis consistit; quanto itaq; regimen fuerit efficacius ad vnitatis nexum conseruandum, tanto praeter ceteris erit vtilius: ac quod per se constat vnitatis, efficacius eandem efficiet, quam quod in plura diuisum est; quemadmodum, & ad calefaciendum validius est, quod per se pollet caliditate. Neque etiam plures multitudinem poterunt in officio continere, si dissensionum diuisione laborent: oportet ergo inter sese consentire, atque vnum effici, vt salubriter praesint, non enim multi nauim in vnam partem trahent, nisi fuerint aliqua ratione coniuncti; Vnari vero dicimus, quod vnitati propinquent; melius itaque reget vnus, quam plures vnitatis coniuncti. Illud praeterea optimum regimen est inter humana, quod diuino, quam maxime assimilatur regimini: ac quis ambigat diuinum regimen esse Monarchicum? non enim tres, quas Catholica fides in Deo credit personas, tres sunt Dij, sed tres dumtaxat subsistentes relationes, distinctas, quamuis non diuisas constituentes hypostasies; quas etiam Catholicis Patribus placuit tres subsistentias nuncupare: quae tamen sunt numero vna, simplexq; diuinitas; Consequens ergo fit, Monarchicum Principatum ceteris antecellere. Quod & membrorum corporis nostri satis indicat ordinata compago: vnum enim eorum siue cor; siue caput, ceteris praesidet in mouendo, & viribus animae per membra diffusis vna mens, & ratio dominatur; Deniq; frequenti, tritoq; docemur experimento, in gubernantium multitudine persape vigere dis-

disidia, & populorum animos, quos oporteret esse pacatos, huc, atque illuc turbulentos fluctuare; vt adimpleri merito videatur, quod Dominus per Prophetam conqueritur dicens: *Pastores multi demoliti sunt vineam meam: & contra vero provinciae, & ciuitates ab vno gubernatae pace gaudent, iustitia florent, & rerum affluentia laetantur; vt iure magni pendendum sit, quod Israel per Prophetas Deus quondam promisit, Principem nimirum, & caput vnum in eorum medio regnaturum. Atque haec de regiminis causa, & genere deligendo dicta sufficiant: nunc eidem modum, & formam quandam praescribere superest, vt ea quasi quodam lumine, Imperatoriae Maiestatis effigies hoc breui capite delineata reddatur illustrior.*

Imperialis Regalisque Regiminis modus.
Cap. VI.

Legitimus modus eorum, quae in finem aliquem diriguntur, ab ipso fine petendus est, a quo mensura, ratioque ordinatorum omnino dependet, veram itaq; gubernandi formam ab ipso regiminis fine deducemus. Est autem directionis, idem finis, qui est & totius directae multitudinis; in qua duo praecipui considerantur fines, quorum alter ad alterum ordinatur; & prior quidem, qui ad ipsius multitudinis internam pertinet dignitatem, est vitam viuere rationi consonam; posterior vero, in quem prior hic tendit, est aeterna beatitudo, quae Deus est, & perspicua illius cognitio, sic enim Christus docuit Ioan. 17. *Hae est vita aeterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti, Iesum Christum.* Et quemadmodum circa vnam, & eandem rem a diuersis quandoque diuersa impenditur cura; sicut in nauis, quae regalis gubernationis est Symbolum, in qua faber lignarius onus suscipit restaurandi, si quid collapsum fuerit, nauta sollicitudinem gerit, vt nauim perducatur ad portum; tale quid in homine contemplamur, nam valetudinis conseruandae, aut amissae reparandae, cura medico demandatur: oeconomus vitae necessariae praeparat, Doctor scien-

Ioann. 17.

scientiarum explicat veritatem, morum institutor promo-
uet ad virtutem. Et si quidem supremus hominis finis es-
set corporis temperatio, quæ bona dicitur valetudo, regen-
di munus spectaret ad medicum; quod si finis vltimus es-
set affluentia diuitiarum, ad regnum merito assumeretur
æconomus; Si verò bonum cognoscendæ veritatis tale quid
esset, ad quod posset multitudo pertingere, Rex haberet
Doctoris officium; sed enim postremus hominum in simul
habitantium finis, si de inhærente loquamur, nil aliud est,
quam vitam agere rationi consentaneam; Quorsum enim
homines hinc inde dispersi congregantur, nisi ad simul ho-
nestè viuendum? quod consequi nõ possent, si degeret vnus-
quisque singulariter. Cuius signum est, quòd soli hi par-
tes existimantur congregatæ multitudinis, qui communis
vitæ integritate virtute perfectam atatem agunt; Si namq;
solum colendæ vitæ gratia conueniret hominum genus,
bruta etiam essent pars aliqua ciuitatis; Quod si id fieret
propter congregandas diuitias, omnes, & soli negotiato-
res ad vnã ciuitatem pertinerent; Deniq; res certa est, &
maioribus quasi theatris proposita, eos solos sub vna mul-
titudine computari, qui eadem legum directione, & guber-
nantis auctoritate constringuntur. Proprius itaque mul-
titudinis finis, ad quem per Regem debet promoueri, est
vita rationi consona, virtute perfecta. Ad beatam verò
gloriosamq; vitam, quam in cælo nos habituros speramus,
dirigit ea, qua hic augustè, Sanctè que vitam, & commu-
nem spiritum ducimus; cuius autem interest aliquid perficere,
quod in aliud tanquam in finem ducit, hoc eius est
studiosè curare, vt inceptum opus præfixo congruat fini;
Sicut ædificator domum compingit ad habitandum ido-
neam, & faber gladium efficit, vt pugnae conueniat. Quare
ad Regis officium maximè pertinebit, ea ratione, viram
moreq; multitudinis instituere, vt ad beatitudinem super-
cælestem, quæ finis est honestæ vitæ, sic idonea; At eius,
quæ cæteris præminet Imperatoria sublimitas, non com-
munem duntaxat multitudinem intererit optimis legibus
instituere, sed Principes, ac Reges ipsos in officio, atque
vniuersitate continere, vt eò firmiores sint Christiani nominis
prin-

principatus, quò tenaciori fuerint consensionis glutino co-
pulati; Id verò facile consequetur, si ea legibus constitue-
rit, quæ ad paulò ante dictam sclicitatem ducunt, quæ au-
tem impedimento sunt, vel prorsus contraria, prohibuerit.
Atque hinc aliud Christiano Principe dignum consecra-
rium exurgit, quod Deut. 17. præceperat Deus de Rege Is-
rael in hæc verba. *Postquam sederit Rex in solio Regni sui, de-*
scribet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens
exemplar à Sacerdote Leuiticæ Tribus, & habebit secum, leget-
que illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum
Deum suum, & custodire verba, & Ceremonias eius, quæ in le-
ge præcepta sunt. Debet ergo, tam Regia, quam Imperato-
ria Maiestas, diuinæ legis præcepta de manu Sacerdotis
accepta contemplari, & formam, modumq; regendarum
gentium inde cognoscere; nam & eorum, quæ communem
aliquem finem respiciunt, ratio, ex ipso fine sumenda est;
& quod partitione quadam distributum possidetur, à ple-
no, atque perfecto trahit originem, certum est autem, vt
pra diximus, Regiæ gubernationis finem, qui vita est se-
cundum virtutem, ad absolutam beatitudinem nostram,
quam diuina lex præcipuè celebrat, referendam. Ad hæc
perspicuum est, humanam quamlibet potestatem è cælo
originem ducere, sicuti nõ semel à sacris admonemur ora-
culis; Nam Moysen ad populi regimen vocauit Deus; cuius
etiam iussu Saul Primus Regnum suæ gentis obtinuit, quo
propter inobedienciæ scelus amoto, Sanctus Pastor David
sacro delibutus oleo Regnum ascendit; Hieroboam oracu-
lo prophetico promissum sibi Regnum super decem Tribus
Israel acquisiuit; Cyrus magnus Rex Persarum regna om-
nia à Deo sibi tradita confitetur; Nabuchodonosor Rex Ba-
bilonis cælesti animaduersione correctus, laudat, & glo-
rificat Deum cæli, vt summum Regum, ac Regnorum om-
nium dominum. Denique, vt inquit Apostolus Rom. 13.
Non est potestas, nisi à Deo; & Dan. 4. ad reprimendam Ba-
bilonij Principis intollerantiam diuino responso grauis
promulgatur sententia; *Eijcient, inquit, te ab hominibus, &*
cum bestijs ferisq; erit habitatio tua, solum, vt bos comedas, &
vire cæli insunderis; septem quoque tempora manebunt super
te,

Deut.

Rom. 13.

Dan. 4.

te, donec scias, quod dominetur excelsus super Regnum hominum, & cuique voluerit, det illud. Eric igitur assumenda humani regiminis regula ex nobilissimo omnium hominum sine diuinis litteris explicato. Porro celsitudini Regiæ talis congruet dispositio, qualem requirunt fontium riuuli, vt aquam, & aptè suscipiant, & salubrem ad inferiora transmittant. Mirabilis siquidem rerum ordo requirit, vt quemadmodum ab vno primo celorum motu reliqui omnes deriuantur, sic ab vna diuinæ mentis intelligentia, sapientia & prouidentia, ad Angelos primò tanquam similiores deriuata, omnis humanæ cognitionis operatio, sapientia, & prouidentia descendat; & intra secularem ordinem in Augustum Imperatorem primò, de hinc in Reges, ac reliquos Principes, & multitudinis præfides, demùm in singulos quosque, iuxta captum, & ingenij mensuram deriuetur. Est enim Cæsaris studium in regimine gentium vniuersale, ac propterea diuinæ gubernationi simillimum; quamobrem, & mens ad diuina maximè eleuata supercelesti lumini, ad rectam agendi rationem illuminanti, latissimè patet. Quæ propter cum ei, ceterisque principibus plurima in subditorum vtilitatem occurrant disponenda, quæ inditam illis à natura facultatem excedunt, dignum est supræmam eos animi sedem præparare, quò diuinorum influxum motus purè, plenèq; suscipiant. Hinc tradunt Doctores sacri, Regem illum Sanctum David ex cordis sui sincera præparatione, diuinæ adiutricis gratia, Spiritum excellentè prophetiæ promeruisse, sicuti spiritu redundantia Psalmorum testantur eloquia; vnde, & Saul inicio regni sui purus, & innocens in Prophetarum choro prophetico repletus Spiritu

1. Reg. 10.

Prou. 21.

in virum alterum mutatus est, vt libro primo Reg. cap. 10. Scriptura testatur; quinimo datus Deus septuaginta Seniores auxiliosos Moysi in definiendis, populi disceptationibus Spiritu Sancto repletis, ita vt prophetarent. In hanc sententiam disertis verbis loquitur sapiens Prou. 21. Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinat illud. Quod idem Sapiens 8. cap. dilucidius expresse diuinæ sapientiæ frequentem, & vbi que locum manifestè sonantem clamorem significat.

im-

immo, & sapientiam ipsam sic loquentem inducens; Meum est consilium, & aquas, mea est prudentia, mea est fortitudo, Prou. 2. per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt; per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam. Quod anima aduertens Salomon initio regni sui, optione data, nil aliud, quàm sapientiam à Deo postulauit, quæ optationem, ita probauit Deus, vt & laudibus illustrarit, & eximiam concesserit sapientiam; diuitias verò, atque potentiam haud postulaciam superfluenti largitate donarit. Sed iam Cæsaris, ac Regum videamus insignia.

Imperatoris, & Regis Insignia.

Cap. VII.

Post ea, quæ de regiminis modo tractata sunt, rectus ordo postulat, vt de Imperatoris, ac Regis insignibus, nonnulla dicamus; impossibile est enim sine regalibus noris rectum vnuquam gubernandi modum obseruari; ab his enim, & Principatus auctoritas, & præcipiendi vis, & subditorum pender obsequium. Et quamquam plurimas, in libro de Regno recenset Plato, & complures etià Arist. in Politicis, & varias varij cõminiscantur, ternario tamen numero videntur omnes aptè posse concludi; sapientia, namque bonitate, & potentia, plenè, perfectèque Imperatoria, & regalis auctoritas stabilitur. Quod etiam antiquorum apud alium monumenta insinuarunt, tradentia se se inuicè tria in qualibet Monarchia indiuisè comitacæ fuisse; nimirum diuinum cultum, sapientiam scholasticam, & secularem potentiam. Ex his veluti quibusdam fontibus tria quædam alia singillatim tractanda deriuantur, nam ex sapientia leges, ex bonitate clementia, ex potentia bellum, paxque confurgit; quibus & priori ternario absolutæ perfectionis cumulus accedit, & Imperatoria Maiestas suo quasi triplici diademate coronatur. Sapientiam itaque in prima sede dispositam contemplemur.

Impe-

*Imperatoria, & Regalis Philosophia.
Cap. VIII.*

Sap. 6.

INter plurima Spiritus Sancti documenta illud est preclarissimum, quod Sap. 6. ad Reges, & Principes dirigitur in hæc verba: *Si ergo delectamini sedibus, & sceptris à Reges populi, diligite Sapientiam, ut in perpetuum regnetis: diligite lumen Sapientia omnes, qui præstitis populis, & paucis interiectis: Multitudo autem Sapientium, sanitas est orbis terrarum, & Rex sapiens stabilimentum populi est.* Hæc est enim illa Abisac Sunamicis pulcherrima, quæ cum caltæ virginis raris flore finum Regis David in senectute fouebat; quia nimirum Regiæ prudentiæ senectutem; speciosissimæ sapientia, die noctuque, pacato voluptatum tumultu, par est amplexibus copulari; ut calor is illius virtute roborata, felicius disponat regni gubernacula. Hanc postulauit Salomon, & obtinuit; hæc ipsa Reginam Saba à finibus orbis terrarum in Hierusalem usque pertraxit, & Spiritu præ stupore destitutam remisit. Huc spectant præcipua Platonis documenta: censet enim Plato in dialogo de Regno, sapientiam adeo esse Regis propriam, ut quicumque ea præditus fuerit, merito regius homo debeat nuncupari, sic enim Hospitem loquentem inducit. Si quis priuatus Regem ciuitatis admonere, & instruere potest, nonne scientiam illam habere dicitur, qua pollere qui regit, debebat? cui quæ sito mox Socratis addit Responsum; Dicitur: cui rursus Hospes. Atqui viri Regis scientia Regis disciplina est; Quisquis ea præditus fuerit, siue publico fungatur munere, siue priuatus uiuat, omnino secundum hanc peritiã Regius merito nuncupabitur. Eodem respiciunt similitudines pastoris, & nautici gubernatoris, quos non modica necesse est pollere prudentia; illum, ut gregem sibi creditum conseruet, & augeat; hunc, ut aduersus ventorum, & fluctuum impetus integra, & illæsa naui latissimi pelagi cursus peragat. Sed omissio Platonico dogmate, Christianæ disciplinæ valde consono, lubet solidius Peripateticè rem

con-

constabilire. Sapiens in vnoquoque genere is ceteri debet, qui altissimam rei causam considerat, qui omnia nouit, ut decet, qui reliquos docet, & docetur à nemine, ceteros dirigit, & direttore non eget; quare & architectus sapiens dicitur 1. Cor. 6. *ut sapiens architectus fundamentum posuit*; quia nimirum supremam ædificij causam, opportunam scilicet habitationem considerat, & vniuersa in ædificij constructionem necessaria nouit, & inferiores artifices ad sua dirigit ministeria, solusque præest omnibus imperans, à nullo directus. Et inter hominum genus sapiens prædicatur, qui prudenter suos actus in debitum ordinat finem; unde Prou. 10. dicitur, *Sapientia est viro prudentia*: Nulli verò magis aptè conuenit prudentia, quam Regi, adhuc autem amplius Imperatori: si quidem rationis propriam est, regere & gubernare, ac proinde prudentia, quæ in ratione est, quid verò Imperatore dignius, quam vniuersarum gentium regimè absoluitis, ma itaque prudentia ratio Imperatorie congruet celsitudini, quæ non semetipsam tantum, non vnam, aut alteram familiam, ciuitatem, prouinciam, aut Regnum, sed vniuersos, vbi que terrarum Christiani nominis Principatus, & regna, sua auctoritate moderatur; Quamobrem, & Arist. 3. Polit. prudentiam propriam Principis virtutem agnouit, quam & regnatuam S. Thomas Aquinas nuncupauit. Iam verò Sapientiam, vndique perfectam, expletamque suis omnibus numeris, & partibus, in Imperatoria Maiestate præcellere, ex ipsa ratione sapientia cum omnibus circumstantibus proprietatibus, absque vlllo negotio poterit explicari; nam Imperatoris est supremam omnium causam, quæ felicitas est, contempleri; ad quam sollicitè curare debet, ut populorum mentem, & opus inclinet, omnia subditorum officia nouit, cum omnia per ipsum in ordinem redigantur, omnibus præcipit, nec vllius tamen mundani principis tenetur obedire mandatis; cuius rei certissima, fidei testimonium exhibent sacra volumina 3 Reg. 10. *Videns autem Regina Saba omnem sapientiam Salomonis, & domum, quam edificauerat, & cibos mensa eius, & habitacula seruorum, & ordines ministrantium, vestisque eorum, & pincernas, & holocausta, quæ offerebat in*

1. Cor. 6.

Prou. 10.

Arist. 3.

S. Thom.

3. Reg. 10.

domo

domo domini, non habebat ylera Spiritum; vbi sapientia Salomonis inordinata præcipiendi ratione nõ a quoquam suggesta, sed ab ipso primum excogitata; atque in Dei optimi regiminis finis religioso cultu; commendatur. Omitto, quæ diffuse dilucidèque in eodem libro recensentur de singulis regni, provinciarum, ac civitatum, pro negotiorum diversitate præfectis à Rege Salomone constitutis, per quæ immensum quoddam Sapientie flumen principibus omnibus pateutissimum aperitur; excederent enim promissa brevitatis mensuram.

Imperialis, & Regia Probitas. Cap. IX.

Cæsarea Regalisque probitas, quãtum ex varia scriptorum lectione colligere licuit, quatuor præcipuis summèq; necessarijs, videtur comprehensa; religio in Deum, iustitia in omnes, misericordia in pauperes, & benevolentia in subditos. Ad divinum quidem cultum tenetur Cæsarea, & Regia celsitudo; & communi hominum iure, & ratione domini; & Regiæ dignitatis officio. Nam cum reliquorum hominum cõitu intellectu præstantis naturæ nobilitatem, atque id eo divinam imaginem gerit; dixit enim Deus; *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram;* ad quod etiam respicit illud antiqui Poetæ Arati dictum à Di. Paulo Apostolo Act. 17. commemoratum; *Genus Dei sumus.* Hinc verò consurgit in quolibet nostrum divinæ debitum reuerentiæ; vt Deum tanti benefici largitorem per gratiarum actionem, & religionis cultum agnoscamus; & quicquid in nobis boni cognovimus, totum creatori nostro acceptum referamus; Quod & legis divinæ verba satis aperte declarant, cum in hæc verba divinæ Maiestatis præcipiunt dilectionem. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua;* Deut. 6. hæc loquendi forma declarans, nos ad totum, quod sumus, Deo debere. Tenetur itaque Princeps cæterorum hominum lege ad debitam religionis obseruantiam; at ratione domini; quod in subditos obtinet, non in eisdem accrescit obligationis vinculum; Vices enim

Gen. 1.

Act. 17.

Deut. 6.

nim Dei dominaris in terris gerit, penderq; virtus tota dominatus, à potestate diuina; vbi verò est deriuatio principatus, ibi necessaria est in superiorem Dominum reuerentia; nam, quæ ab alio pendet auctoritas, per se considerata nihil est; quod planè declarant Regalis curiæ ministeria, quæ Regis obseruantiam ex iam dicta ratione requirunt. Quare, & Cyrus, & Nabuchodonosor, & Alexander, Monarchæ celeberrimi Deum verum, vt suæ potestatis auctorem, & laudibus, & sacrificijs honorarunt. Postremò Regia celsitudo sacra Pontificis vnctione consecrata, singulari quadam ratione diuino dedicatur obsequio, cum per eam honore decoretur amplissimo Regalis Maiestas. Quamobrem, & Israelitici Reges Christi vocabantur, quod essent vnctione sacra delibuti; & David sacram reueritus vnctionem, Regem Saul suæ diuinitus non semel traditum potestati, occidere recusauit; Christi Saluatoris typum agnoscens, qui Rex futurus erat, & Sacerdos; cuius etiam figuram quandam præse ferunt Christiani Reges, cum & ipsi mysticæ vnctionis ritu consecrentur. Reges itaque decet Regum omnium Regem Christum, cuius typum vnctione susceperunt, imitari, qui Deo semetipsum pro nobis suo regimini commendatis obtulit immolandum. Ab hoc orthodoxo dogmatæ non longè abest Platonis documentum in suis Epistolis, quo Regem sacrum habendum censeret, Sacerdotemq; Aegyptiorum more constituendum, factorumq; mysteriorum antistitem; quibus verbis insinuat, & Regem religionis cultorem, & colendam ab omnibus Regiam dignitatem; Non enim, quod hæreticorum nouitas comminiscitur, regalem secularemq; potestatem, sacerdotalis spiritualisq; functionis auctoritas comitatur. Præsent itaque Christiani Principes, & alij quicunque regimine Politico multitudini hominum naturali; vt quæ ad naturalem morum directionem pertinent, iuxta rectæ rationis regulam in commune bonum disponant. Supernaturalem verò Ecclesiæ præfecturam, placuit Petro, Apostolis, & Episcopis commendare, dicente Domino Petro: *Pasce oves meas.* Et Apostolis omnibus. *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata, & in Cælo, & quæcunque solueritis super*

Plato.

Io. 21.

Ec

ser

Matth. 18. *terram, erunt soluta, & in Cælo.* Matth. 18. Act. 9. *Attendite*
 Act. 9. *vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Epi-*
scopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Iam
 verò, quod ad iustitiæ bonitatem pertinet, nil Principe di-
 gnus, nil multitudini conducenius, quam suum cuique ius
 Sap. 6. *tribuere: Vnde acriter Sap. 6. iustitiæ prauaricatores ar-*
guntur; sic enim sacer textus clamat: Audite ergo Reges, &
intelligite, discite iudices finium terræ, præbeate aures vos, qui
continentis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum,
quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissi-
mo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur;
quoniam, cum essetis ministri Regnantis, non rediudicastis,
nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei
ambulastis: Horrendè, & itò apparebit vobis, quoniam iudi-
cium durissimum in his, qui præsumunt, fiet: & alibi frequentis-
sime Spiritus Sanctus per Moysen, & Prophetas, Principesq;
vniuersosq; iudices admonet iustitiæ administrandæ. Quam
 ob causam Sancti Doctores Ecclesiæ patres tam insignem
 quondam Romanis Monarchiam à Deo concessam arbi-
 trantur, quòd secundum iustitiæ leges iudicarent: Nam,
 August. *ut Diuus Augustinus inquit, remota iustitiâ, quid sunt Re-*
 Rom. 13. *gna, nisi latrocinia? Ideo enim ait Apostolus, Regibus tri-*
buta præstantur, quoniam Dei ministri sunt, eidem in iu-
 dicando seruietes. Iustitiæ comitem decet esse misericor-
 Luc. 1. *diam, non ea ratione duntaxat, quod ex D. Iacobi sen-*
rentia sub perexaltat iudicium; Sed quòd in multitudine
plurimi sint, qui plus indigeant opere misericordiæ, quàm
iustitiæ. Sanè, quemadmodum in necessarijs natura non
desinit, ita nec regiminis ars imitatrix naturæ cuique sub-
ditorum deesse debet; præsertim ijs, qui suis indigentijs
nimis penuria pressi nequeunt subuenire. Nam, & patres,
quibus simillimos Principes esse decet, impotentium filio-
rum præcipuam quandam gerunt sollicitudinem, & cæte-
ris valentioribus filijs testamento commendant: Et Chi-
 stus supremus, sacro genitarum lauacro gentium, Impera-
 Matth. 23. *tor, pauperum curam summo studio nobis agendam præ-*
 Anst. *cipit dicent: quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*
 vnde & in re optimo Sanctum Ethnici Philosophi Aristo-
 telis

telis consilium litteris Alexandro significatum de paupe-
 rum cura ad Imperij prosperitatem gerenda, historia com-
 memorant, Sed, vt iam tandem concludatur præsentis ca-
 pituli discursus, superest Regiam in subditos beneuolen-
 tiam paucis explicare. Ea est humanæ mentis natura, Se- Seneca.
 neca teste, vt in sublime creta, sic superioris impatiens;
 quo fit, vt beneuolentiæ lenitate duci facilius valeat, quàm
 violenta potestate compelli; vt enim inquit Valerius, hu- Valerius.
 manitatis dulcedo barbarorum ingenia penetrat, & Sapiens
 Prou. 8. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos.*
 Acque hæc potissima causa fuit, quæ tam late Cæsaris di-
 latauit potenciam, gloriam auxit, & stabilijuit Imperium,
 is enim milites suos, Suetonio teste, non subiectos, sed fo- Sueton.
 cios, & commilitones vocabat; Nam, quemadmodum nil
 magis ignem, quàm ignis accendit, sic amorem nil magis
 valet excitare, quàm amor. Plus verò subiectorum bene-
 uolentiâ, quàm armorum, ac militum apparatu, tota red-
 ditur dominantium salus. Quod in summis Austriae do-
 mus Principibus, diuino fauore, prudentiâ, pietate, atque
 insuperabili potestate clarissimis, à multis retro seculis
 vsque in hodiernum diem vniuersus orbis luce, quam cer-
 nimus, euidentius admiratur; quorum potenciâ, quam-
 quam quo ad externa præsidia nullam, vel superiorem, vel
 parem admittat, in eo tamen diuinam redolet potestatem,
 quòd, dum intus populorum animis dominatur, Imperi-
 um inexpugnabili munitione corroborat, sceptrum ad
 posteros perpetua successione transmittit, ac terreni pri-
 cipatus metam regnandi gloria, & dominandi fœlicitate
 transcendit. Sed iam satis ex dictis demonstratum existi-
 mo, quidquid ad Regiam pertinet probitatem, pietate, ius-
 titiâ, misericordiâ, & beneuolentiâ comprehensam. Nunc
 ad Regis potestatem stylum conuerto.

Cæsarea, & Regalis Potentia. Cap. X.

Imperatorie Maiestatis potestas, quâ quàm potissimum,
 robur de Cælo trahat, humano tamen consilio cælesti
 gratiæ famulante potest, sicut & reliqua humana sub-
 sidia

Et :

fidia comparari, & ea ipsa ratione dilatari. De qua, quoniam moralis Philosophiae, & Theologicae considerationis metas transcendit, non nisi pauca, generatimque perstringam. Atque in primis iuxta Platonis documentum, prudenti opus est in usu potestatis moderamine, ut Regis, & Regni salus, pax, & tranquillitas, diu firma consistat. Nam, & Persarum Imperium propter nimium potestatis excessum Platonis tempore ipso esse declinat, & populus Atticus ex nimia libertate decursu temporis sibi vindicata fuerat in deteriora prolapsus; de cuius interitu inter ceteros de legibus plurimum timebat Plato. Nam quemadmodum nimia regnantis severitas subditorum auferit benevolentiam, ita luxurians subditorum libertas, dominantis frangit potestatem. Nec desunt ex sacris litteris insignia utriusque defectiois exempla. Nam Salomonis filius Roboam, dum relicto Seniorum consilio adolescentium adhaerens iudicio, populo iugileuamen querenti, dura respondit, decem totius sui Regni, quod in duodecim tribus extendebatur, partes amisit. At contra filius Saul Isboset nimia seruatorum suorum libertate depressus, duobus tantum annis Regno potius, latronum manibus interfectus e vita migravit. Ceterum qui sint Regalis Imperatoriaeque potestatis nerui praecipui, commune regnantium studium declarauit; quorum sollicitudo in bellatorum hominum apparatu, qui facile queant in exercitum congregari, in munitionum firmitudine, diuitiarum affluentia, exterarum nationum, ac principum societate, praecipue vero in subditorum, ut antea diximus, benevolentia versatur, de quibus latius differere limites nostros excedit. Verum, quae sit Imperatoriae Maiestatis auctoritas, quatenus a Regali distinguitur, nec plene discutiendum, nec omnino ieiune pertransendum existimo. Neque enim fas est inter fulgentissimos orbis terrarum splendores nescitoracis oculum diiudicare, nec quod praestantissimum est, ut abiectum a praesentis opusculi structura refecare. Porro elegantissimum illud est exemplum, quod Gregor. Summus Pontifex nonus ad explicandam Imperatoriae sublimitatis auctoritatem adhibuit; quo duo luminaria magna in firmamento caeli collocata, Solem videlicet

Plato.

3. Reg. 12.

1. Reg. 4.

Gregor.

delicet, & Lunam, duas interpretatur potestates, Apostolicam Solis instar, & Imperatoriam Lunae simillimam, quarum utraq; vniuersum illustrat terrarum orbem. Aliam adhibet, & quidem ad rem aptissimam similitudinem D. Hieronymus ad Rusticum; In apibus (inquit) Princeps vnus est, & grues vnam sequuntur ordine litterato, Imperator vnus. Quamobrem, & ciuilis lex, Imperatoria inquit fortuna omnes supereminet; & Antonius Imperator se mundi Dominum nuncupare non dubitauit; a quo Caesaris Henrici sententia non longè distat, asserentis in tranquillitate Romani Imperij totius orbis regularitatem requiescere; Quarum sententiarum auctoritas tanta fuit, ut complures illustres viros iuris vtriusque peritos in nobilissimum de Caesarea Maiestate iudicium impulerit; quo totius illi terrarum orbis dominium adiudicarent; quod quam verum sit, non est praesentis instituti determinare, quo simplex, & manifesta proponitur veritas, perplexis, periculosisque difficultatum anfractibus, qui vel temeritatis, vel assentationis notam non euaderent, deuitatis.

Hieroa.

Augusta, & Regalis Clementia. Cap. XI.

Dictum est superius in VII. huius tractatus cap. ex tribus Imperatorijs insignibus, tria quaedam alia quasi nobilissima stemmata deriuari; nimirum ex sapientia leges, ex bonitate clementiam, ex potentia bellum, vel pacis tranquillitatem; Rectus itaque videbatur ordo postulare, ut de legibus primò, subinde de ceteris tractaretur; verum, cum legum ferendarum auctoritas, quae diuinae primum conuenit prouidentiae, Christo Deo, & homini, & per illum Ecclesiasticae conueniat Monarchiae, non nisi post Christi, & Ecclesiae Monarchiam congrua sede potest collocari. Clementia itaque temperantiae pedisequa, mansuetudinis socia benevolentiam regnantis in subditos comitatur; Nam, ut eruditè docet S. Thomas, ex amore in subditos efficitur, ut Principi poenas noxijs infligendas, non poenarum studio, sed correctionis, vel iustitiae causa decernere placeat; atque ideo ex benevolentia promptus

S. Thom.

Ec 3

sic

fit diminuere, aut prorsus dimittere, quod ad Clementiam pertinere, nullus est, qui dubitet. Est autem moralis, & excellentissima virtus Clementia; cum & rationi consonet, quando, & quibus opus est, communis legis pœnas relaxare; & charitati plurimum sit coniuncta, cui in pœnarum rationabili condonatione deseruit. Quæ quantò sit Imperatoribus, ac Summis Principibus ornamento, clarissimorum Imperatorum exempla patefaciunt; qui quo augustiorem in subditos exercere Clementiam, eò feliciter Imperarunt; quod de Iulio Cæsare laetissimè conscriptæ testatur Historia: Et Augustissimi Rudolphi nostra tempestate regnantis, Cæsarea Maiestate, & Christiana pietate dignissima facta declarant. Quapropter etiam antiqui Cæsares in ferendis legibus, aut scribendis litteris, suam frequentissimè Clementiam commemorant, Et Salomon Prou. 16. disertis verbis Regium hoc indicat ornamentum: *In hilaritate (inquit) vultus Regis vita, & Clementia eius quasi imber serotinus*; & Cap. 20. *Misericordia, & veritas custodiunt Regem, & roboratur, Clementia Thronus eius*. Hanc in Ioseph ad Aegypti principatum euecto diuina scriptura commendat, cum iniurios fratres clementer ad amplexus, & oscula narrat inuitasse: Eandem describit vberius in rege illo Sancto David, qui toties insensissimis hostibus dimisit offensas, & mira lacrymarum exuberantia clades eorum doluit; persecutorem suum Saul sæpe suæ traditum potestati illæsum dimisit; Absalon hostilem filium seruari iussit in prælio, & mortuum deplorauit; irrisorem, & contemptorem Semei, occidi prohibuit; Denique confidentur ad Dominum loquens ipse David. *Memento (inquit) Domine David, & omnis mansuetudinis eius*. Res ipsa per se notissima sua euidencia clamat, Clementiam Imperatorio; ac Regali throno dignissimam.

Pax, & Bellum. Cap. XII.

Pax bello multò excellentior est, atque omnibus hominibus exoptabilior; cum Bellum per seipsum turpe, solo Pacis præfixo sine valeat honestari: Sic enim inquit

quit August. ad Bonifacium comitem: Non queritur Pax, ut Bellum exerceatur, sed Bellum geritur, ut Pax acquiratur; esto ergò bellando pacificus, ut eos, quos expugnas, ad pacis vtilitatem perducas, hæc ille. Est enim Pax nobilissimus charitatis partus; quam Christus suis Discipulis, ac proinde nobis omnibus, testamento reliquit: *Pacem (inquit) relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Ioan. 14. quam & Matth. 5. adoptione filiorum Dei decorauit dicens: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*. Est autem ea Pax, de qua loquimur, mortalium ordinata concordia, & tranquillitas ordinis, ut docet August. 19. de ciuitate Dei; nam si in duorum altero ferueat iracundia, aut alter non spontè conueniat; cum nec concordia sit, nec ordinis tranquillitas, pax nullo modo dicenda erit. Sed Christianorum Principum bellum, contra quod bellantur hæretici, cursum perlitremus: Non enim, ut arbitrantur, repugnat bellum vnitati tantopere per Christum commendatæ; cum ad eam potius tuendam, & conseruandam dirigatur. Quare nec Ioannes venientes ad se milites iussit militiam deserere, sed quemquam concutere, aut quidquam indebitè extorquere prohibuit. Nec Christus, qui tam magnificè Centurionis extulit fidem, militari, quem gerebat, ordine se abdicare præcepit; & de censu requisitus, tributa Cæsari (ad militiæ proculdubio subsidium) soluenda respondit. At contrarium inquit præcepit Dominus Matth. 5. *Ego autem dico vobis, non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe ei, & alteram*; Quibus respondit August. id non esse operis præceptum, sed affectus; ut videlicet animus, ita sufferat vnius maxillæ percussione; ut alteram, si opus fuerit, ad Dei gloriam, paratus sit cædendam exhibere. Quam explicationem Dominus coram Anna suo comprobauit exemplo; qui alteram percussori maxilla non exhibuit, sed iniquæ percussione humiliter causam requisit. Verùm qualiscunque sit sensus illius dominici consilij, ad priuatas tantum personas, non ad publicam pertinet potestatem, de qua Rom. 13. Apostolus ait: *Non sine causa gladium portat, Dei enim Minister est, vindex in iram ei, qui malè agit*: Eadem itaque ratione, si quis

si quis publicæ potestati resistat, si commune bonum pacis, virtutis, ac præsertim fidei, conetur destruere, ne dum poterit, sed iure naturæ, gentiumque illatam vim propulsare tenebitur. Sed aiunt; Turcarum bellum aduersus Ecclesiam plaga est, qua Deus nos visitat; patienter erit itaque toleranda. Egregia sanè ratiocinatio: Licebit ergo aduersus Christianorum Principem inuadentem arma capere; immanissimo verò Turcæ irruenti, vt spoliet, diripiat, perpetuæ seruituti subijciat, æstuantem libidinem expleat, percutiat, pessundet, occidat, basilicas, & templa subuertat, religionem destruat, sacrosanctam deniq; fidem negare compellat, & nomen Christianum si posset, ex orbe deleat, non licebit inquam huic malorum agmini viribus, armis, vnguibus, & dentibus repugnare? Siccinè Christiana res, agitur, vt quod naturæ lumen ostendit, quod iustitia postulat, quod Christianorum perpetua consuetudo docet, per nouos Euangelicæ veritatis corruptores, in vitæ, atque animarum nostrarum pernitiem contemnamus, An non fame nos visitat Deus? & quis, ita dissipat, vt sollicitè cibum non querat, vt Iacob Patriarcha, ne consumatur inopia? & quis in periculoso morbo, nisi planè stupidus medicum, & antidota non querat? At infirmitate visitamur à Deo: Non prohibet ergo remedia, nec humanam prudentiam Deus, cuius castigatio, misericordia temperatur. Licet igitur Christianis Principibus aduersus infideles præsertim, bellum suscipere, non ob quamlibet causam, sed legitimam. Neque enim ea sola ratione, quia infideles sunt, licitum erit eos debellare, id enim Christianæ repugnat mansuetudini, & Euangelicæ prædicationis efficacitatem enervat; quæ non armorum strepitu, aut seculari potentia, sed Spiritus Sancti virtute, per Apostolorum prædicationem, & martyrum sanguinem, populorum corda penetrauit: quò etiam spectat dictum Apostoli primæ Corinth. tertio. *Uidetis fratres*

Corint. 3. *uocationem vestram, quia non multi Sapientes, non multi nobiles, non multi potentes, &c. Sed infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia; Quo fit, vt nec etiam externi infidelium populi, vel eorum principes, iure cõpelli possint ad Euangelicam prædicationem audiendam. Et quamuis idololatriæ,*

tria, & plurima in legem naturæ nefanda crimina in infidelibus, præsertim orbis noui regnauerint, & adhuc vigeant: exinde tamen nullum oritur ius Christianis Principibus bellum aduersus illos in scellerum vltionem concitandi; cum nullam inde susceperint contumeliam; alioquin quodlibet regnum posset eadem causa in quodlibet arma conuertere, quod breui totius orbis confusionem parturiret. His itaque reiectis, quatuor præcipua sunt, quæ communi ferè doctissimorum sententia ad bellum legitime fidelibus indicendum sufficiunt. Primum, si Christi fidem, & prædicationem, persecutionibus, & blasphemijs impediunt; æquum est enim, vt Christiana Respub. sicut quælibet alia perfecta, potestatem habeat, illatas sibi, vel suis ministris iniurias vlciscendi. Secundum, si in infidelium Repub. per vim, aut fraudem, inducerentur homines ad Idolorum cultum, aut nefanda crimina; iustum enim est illud bellum, quod pro innocentium defensione mouetur. Tertium; si homines immolerant simulacris, eadem prorsus nunc dicta ratione; nam vnique mandauit Deus de proximo suo; Eccl. 17. & sapiens Prou. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem.* Postremum, si infideles fidelibus dominantur, ea tamen adhibita prudentia, vt scandalum caueatur; quod & Apostolus videtur insinuare, Corinthios fideles reprehendens, quòd lites haberent coram infidelibus; Deinde, & veritas Christianæ fidei firmiter coalescit, & dilatatur scilicet excusso infidelis potestatis iugo. De illo autem infidelium genere, qui semel susceptam per fidei Sacramentum, & regenerationis lauacrum fidem abnegarunt, aliud semper existimauit Ecclesia patrum consensu, & longo plurium sæculorum vsu roborata; cogi scilicet iure posse ad eam sanctæ fidei regulam obseruandam, cui se per Baptismi Sacramentum deuouerunt. Sed hoc ad præsentis opusculi texturam parum attinet.

Prou. 24.

Impe-

*Imperatoria, Regalisq; Gubernationis Intentio.
Cap. XIII.*

Reliquum est, ut post delineata Imperatorie sublimitatis insignia, qualis sit optima illius intentio, proferatur in medium: Non enim decet incassum in tanto gubernatæ multitudinis onere subeundo laborare; nec humane, diuinæque providentiæ consonat. honestis privatorum hominum actibus mercedem cõstitui, Principum verò præclaram sollicitudinẽ debito præmio fraudari. Existimant autem antiquorũ nonnulli Imperatorie, regalisq; gubernationis præmium nil aliud esse, quàm gloriam, quæ per hominum mentes atque ora dispergitur; Quare, & alendum gloria Principem civitatis in libro de Repub. docuit Cicero. At quãtum distet à vero terrenus obtususque eorum sensus, non erit difficultè iudicare. Principio humane gloriæ cupido animi robur, & magnitudinem aufert; nam, qui placere omnibus studet, sit singulorum mancipium; nihil autem Principem, qui ad commune bonum eligitur, magis decet, quàm animi magnitudo; vnde, & idem Cicero de officijs cauendam esse pronunciat gloriæ cupiditatem, eripit enim animi libertatem, pro qua magnanimi viri summa debent contentione decertare. Sanè ad viri boni officium pertinet, humanam gloriam, qua nihil fragilius, sicut, & vitam & cætera mutationi subiecta, pro virtute contemneret, atque inde mirabile quiddam emergit; ut quia virtute decoros actus sequitur gloria, ipsa gloriõse cõtemnatur, & ex gloriæ contemptu gloriosus reddatur homo; quod quidam quatuor verbis expressit inquit: Gloriam, qui spreuerit verã habebit: Et de Catone scribit Salustius; quò minus quærebat gloriam, eò magis illam assequutum: Quod, & in Christianæ legis Discipulis Sole clarius elucet. Non est, itaque probi viri, qualem decet esse Principem, humanam gloriam, ut præmium concupiscere. Quid quòd cupido gloriæ falsitatem, & hypocrisim habet amicam? *ambitio* (inquit Salustius) *multos mortales falsos fieri coegit;*

Cicer.

Salust.

aliud

aliud clausum in pectore, aliud promptum habere in lingua, magisque vultum, quàm ingenium proferre. At enim, nisi Princeps gloriam, & honorem affectet, voluptates quæret, & diuitias; sicque ad rapinas, & subditorum iniurias conuertetur; & qui non timeat bene iudicantibus displicere, per apertissima scelera quæret obtinere, quod diligit. Pulchrè quidem, cum multò tollerabilius sit gloriã quærere, quàm manifestis, perniciosisque sceleribus inquinari, nec inde tamen efficitur, gloriam, ut præmium à principibus exoptandam. Est igitur altior quædam merces, quàm Christiani Principes, ut boni, fidelesque Dei ministri, à Deo ipso bonorum omnium remuneratore præstolentur; hæc verò illa perfecta est, quàm omnes desiderant beatitudo, quæ in Dei perspicua contemplatione, & fruitione consistit; quæ sola humane voluntatis desiderium complet, mentem Deificat, suo coniungens principio, quod verum, summumque est hominis bonum; iuxta illud Prophetæ Regis David: *Mibi autem adhaerere Deo bonũ est, & ponere in Domino Deo spem meam;* à quo verus honor, & gloria veris amicis impenditur; dicente eodem Regio Propheta: *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est Principatus eorum:* Nam, qui gloria, & honore hominem cohonestavit in terris, multò foelicius post meritorum labores gloria coronabit in cælis: quantòque fuerit excellentior virtus, tantò splendidior adipiscetur coronam. Maximam verò Christianis Imperatoribus, ac Regibus inesse virtutem, si suo præclare fungantur munere, ex eo colligi facilè potest, quòd non semetipsum tantum, sed & alios innumerabiles dirigunt ad salutem. Profectò in artificum serie, qui cæteris imperando iuper eminent, maiori conducuntur mercede; & in bellicis rebus ampliorem gloriam de victoriã cõsequitur prudentia ducis, quàm militis fortitudo. Commendant omnes, si quis egenti subueniat, si discordes conciliet, si oppressum à potentiore eripiat, si consilio iuuet anxium, si consoletur afflictum; Præstantissimam igitur inter mortales laudem, & excellentem coram Deo gloriam promerebitur Imperatoria sublimitas, quæ non paucos homines, aut vnius civitatis populum, vel provinciæ multitudinem, sed

Pl. 138.

po-

potentissima regna, in pacis tranquillitate conseruat, violentias cohibet vniuersas, iustitia vbique fouet, legibus dirigit, clementia consolatur. Porro inter homines, immo, & animantia bruta, naturæ studiorumque similitudo conciliat amicitiam; ad diuinam verò similitudinem proximè regnantes accedunt, vniuersale Dei regimen immitantes, dum subiectis sibi populis curam impendant: iure igitur Deo iunguntur amicitia; qua nil debet esse mortalibus optabilius. Denique eò maiori Principes digni sunt præmio, quò periculosius tantæ sibi creditæ multitudinis curam gerunt, etenim, vt Biantis prouerbio fertur; *Principatus virum ostendit*, multi enim ad Principatus culmen ascendentes à virtute deficiunt, qui in populari statu probi videbantur. Huc ergo respiciat necesse est regnantis intentio, vt sempiternam, quam Deus præstat, felicitatē, tanquā mercedem operi reddendam expectet: ad quam, vel non sperata mundana gloria, regni stabilitas, & diuitiarum sequetur affluentia; quod experimento clarius elucescit, quā demonstrationibus egeat comprobari.

Biantis,

Regis Regum Iesu Christi Monarchia.
Cap. XIV.

CVM ex plurium rerum vnā iunctarum compositione vnum aliquod totum conuenitur, ex rebus illis inter se, licet valde distantibus, totius compositi diiudicatur natura; iure itaque Theandrica Iesu Christi Monarchia, cuius persona ex duabus subsistit naturis, vt verè ex vtraque composita, cum diuino, humanoque similitudinem retinens Principatu, huic loco debuit reseruari. Quæ quantò nobiliorem sortita est Monarchia Maiestatem tantò longiori, post se quilibet humanæ potestatis Imperia relinquit interuallo: Est enim Princeps hic maximus Dei Verbum Deus, qui propter liberandum hominem ab æterna morte factus est homo; de quo Iſaias ait: *Et factus est Principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis;*

Isai 9.

pacis; multiplicabitur eius Imperium, & pacis non erit finis. Fluxa sunt humana Regna, & labiles humanæ Monarchiæ; at Christi Regnum perpetua gaudet stabilitate; sic enim de eo prædixit Daniel: *In diebus autem regnorum* (hoc est post illas quatuor Monarchias, Assiriorum, Persarum, Medorum, Græcorum, & Romanorum) *Sustentabit Deus Regnum Cæli, quod in æternum non dissipabitur, & Regnum eius alteri populo non tradetur; comminetur autem, & consumet vniuersa Regna hæc, & ipsum stabit in æternum.* Est enim Principatus hic æterno Regi coniunctus, cum Princeps Christus Deus sit, & homo, vt in Deum, vnde sumpsit exordium humana potestas, quasi completo circulo reuertatur; & in immobili, quæ mobilis est, absque omni mutatione firma consistat. Et quemadmodum tempore non finitur, sic nec locorum spatij, aut gentium certis potest limitibus circuncludi; sed terrarum, cælorumque globum latissimè continet; sic enim de sua post resurrectionem clarius manifestata potestate Christus ipse Discipulis loquebatur: *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in Terra: & Apostolus ad Philip. In nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernarum:* Et Rex Propheta Euangelica tubæ vbique diffusum clangorem insinuans, ita cecinit: *In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Sed qualis fuerit hæc tam excellens Christi Monarchia, spirituali ne tantum auctoritate sublimis, an etiam seculari potestate præfulgens, plures doctissimi viri quibusdam satis euidentibus sacrarum litterarum testimonijs conuicti persuasum habuerunt, nullam in homine Christo fuisse Regni secularis potestatem; quorum argumenta præcipua summam referam. Ac primum illud adduci solet ex Regio vate, qui de futuro redemptore in secundo Cantico sic pronuntiat: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Syon montem Sanctum eius, prædicans præceptum eius;* ac si diceret; Regnum super Ecclesiam à Deo mihi collatū suscepi, ad prædicationis officium exercendum: Et Ioann. 18. quasi explicans dictum Propheta, *Regnum meum,* inquit Christus, *non est de hoc Mundo;* docens Regnum suum alterius omnino rationis esse, quā existimaret Pilatus, quod euidentius

Dan. 2.

1. 2. 3.

Matt. 28.
Philip. 1.

Psal. 18.

Psal. 2.

Io. 18.

Luc. 1.

tius indicant subiuncta Domini verba: *Ego in hoc missus sum, ut testimonium perhibeam veritati*; quia scilicet Christi Regnum in veritatis doctrina, & cœlestis vitæ prædicatione videtur consistere; nec dissimilem sensum præferunt Archangeli Gabrielis ad Virginem promissa: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum*: Quæ, cum intelligi nullo modo possint de sensibili Throno, & seculari in Israel potestate, quam sibi à populis oblatam in deserto Dominus refutauit, necessario de Regno Spirituali, quod solum perpetuum est, videntur intelligenda; ita tamen, ut quoniam spiritualis potestas longè seculari præminet, huiusque finis ad illam ordinatur, ex eo quod Christus redemptionis iure Regum obtinet Cœlorum, ad quod pertinet ea, quæ ad sempiternam spectant hæreditatem disponere, ut Ecclesiam fundare, Sacramenta instituire, Magistratus Ecclesiasticos creare, leges condere, ac demum omnes iudicare, ac cuique pro meritis, præmia æterna, vel supplicia decernere, ex eo, inquam efficiatur, ut excellenti illa sua potestate valeat Reges vniuersos ad suis legibus obtemperandum cogere, eorumque leges, qua parte suis aduersantur, abrogare, vniuersa denique temporis fluxu labentia, quoties ad finem suum spirituale opus esset, in suum vsum assumere.

Prov. 19.
& Eccl. 3.

Verùm quod attinet ad prædicta de seculari potestate, congruè ad solum vsum referri possent, & opposita sententia, quam etiam tenuit S. Thom. in hypostatica duarum naturarum vnitæ fundata, ex qua dignitas, & virtus quædam infinita in humanam deriuatur essentiam, multo rationabilior, & operibus Christi conformior apparet; cum per humanitatem in homines innumera operaretur miracula: Quamquam, ut suauis mundum ad virtutem impelleret, nec Regium assumpsit diadema, nec secularia terrene potestatis indicia prætulit. Humilem enim spiritum suscipiet gloria: *Prov. 19. Eccl. 3. In mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris*, tantoque amplius in Principe humilitas est necessaria, quanto per eminentiam sui status dentibus inuidiæ superiorem non patientis laceratur. Ex dictis anceps valde ea relinquatur quærio, quæ

quæ de Christi Vicario summo Pontifice moueri solet, nam à Principe Christo præter eam, quæ spiritualis, & summa est, secularem etiam in totum vniuersum receperit potestatem. Cuius discussionem (licet præsentis videatur instituti) loco magis opportuno reseruandam existimaui.

Petri Monarchia. Cap. XV.

Postremo superest, ut de Petri, ac summi Pontificis Christi vices inter mortales gerenti Monarchia, ad operis complementum, ex innumeris sacrorum voluminum vniuersalium Conciliorum, & sanctorum Patrum testimonijs, pauca quædam, quasi in breuissimum, gratumque fasciculum deducta, proferamus; quò in vnum collecta maiori odoris fragmentia hæreticorum mortifera venena depellant. Primum testimonium, illudque clarissimum solet prodici ex Matth. 16. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam: Et portæ inferi non preualebunt aduersus eam: Et tibi dabo clauis Regni cœlorum: Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum, & in Cœlis; & quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in Cœlis*. Quorum verborum partes singulæ, ut obseruant omnes serè Catholici Doctores, ad singularem, solamque Petri personam, non ad eius qualitatem, ut propriam, & formalem, ut aiunt, rationem conferendi, non ad Ecclesiam, non ad ceteros etiam Apostolos indicant hoc tam insigne priuilegium esse referendum; adeo. n. diligens fuit hæc à singulis proprietatibus Petri descriptio; ut excedere merito quibusdam videatur designationes illas, quas testamentorum scriptores ad singularem aliquam personam definiendam adhibere solent; Nam antea dixerat: *Beatus et Simon Bariona, id est, filius Ionæ; quibus verbis exprimitur, & nomen proprium personæ Petri, & nomen patris; & adhuc additur pronomen, Tibi; Quia caro, & sanguis non reuelauit tibi; Et ne fortè videatur, vel incertum, vel ad aliquem alium, vel ad omnes præsenes sermonem dirigere; Secundo repetito pronomine, Petri personam designat subdens; et ego dico tibi; Ut verò personam, quatenus*

Matth. 16.

1. 1. 1.

1. 1. 1.

nus

nus à qualitate distinguitur, aperte significaret, adiunxit pronomen; *Tu*, non beatitudo tua, fidei virtus, sanctitas, aut aliquid tale; *Tu*, inquam, es *Petrus*: quod recens nomen per copulam pronomini coniunctum, peculiari quadam energia personam exprimit singularem. Iam verò quæ sequuntur, perspicuam præcedentibus omnibus lucem afferunt; ut nullus, nisi apud ignaros, vel proteruos dubitandi locus relinquatur. Addit enim Dominus: *Et super hanc petram*, Simonem petre nomine decorauerat, nunc eodem repetito postremam per illud pronomen *Hanc* adiungit definitionem; neque enim potest referre, nisi petram, quo nomine Apostolorum Principem appellauerat. Est ergo Petrus primum post Christum Ecclesie fundamentum, ratione ordinariæ potestatis ad Ecclesie structuram vniuersam aduersus inferorum portas sustinendam, sicut & rei probauit euentus, cum in Romana Sede Petri sincera semper fidei veritas, cum perpetua Summorum Pontificum successione fuerit conseruata. Claves etiam suscepit Ecclesie per totum orbem diffuse; nam locorum, personarum, vel temporum, in dominicis verbis nulla prorsus fit limitatio; Sed manifestè potius absoluto Ecclesie sue nomine vniuersum fidelium cœtum cuiuscunque loci, vel temporis declarauit; nulla enim loci, vel temporis distantia potest Ecclesiam Christi, quæ vnum Regnum est, vna ciuitas, vna sponsa, in plures distinguere. Quare & in Apostolica Sede, perpetuæ successione necessitas euidenter colligitur, de qua dicemus inferius. Sed non erit inutile præmissa firmiter stabilire. Fundamentum nemo dubitat in ædificio idem esse, quod in corpore caput, & Regem in Regno; hæret ergo Ecclesia vniuersalis Petro, vt domus fundamento, & capiti corpus. Et quoniam Regi, & capiti suprema debetur auctoritas, hanc meritò Christus promisit Petro dicens;

Matt. 16.

Isa. 22.

Tibi dabo claves Regni Cælorum, &c. claves enim manifestè auctoritatem significant: quare & Regibus in auctoritatis signum claves offeruntur: & *Isa. 22.* de Eliachim summi Sacerdotis plena potestate dicitur: *Et dabo clavem domus David super humerum eius, & aperiet, & non erit qui claudat, claudet, & non erit, qui aperiat: & de suprema Christi potestate scri-*

scribit Ioannes Apoc. 3. *Qui habet clavem David, aperit, & nemo claudit, & claudit, & nemo aperit; esse autem eundem sensum in his Domini verbis: Quæcunque ligaueris, &c.* nullus sanæ mentis potest dubitare: Est enim perpetua omnium Patrum, & totius Ecclesie interpretatio, tam huius de clauibus, quàm superioris de fundamento promissionis. Nam Origenes Hom. 5. in Exod. Athan. in Epist. ad Felicem. Basilius lib. 2. in Eunom. Greg. Naz. in orat. de moderatione seruanda in disputationibus, Epiphanius in Anchorato. Chrysof. Homel. 55. in Matth. Cyrillus in Ioannem libro 2. cap. 2. Pfellus in cap. 5. Cant. Theophylactus in cap. 22. Luc. Euryimius, Hylarius, Hieronymus, in hunc locum. Tertull. lib. de præscriptione. Cyprianus in Epistola ad Quirinum. Ambrosius serm. 47. August. serm. 15. de sanctis. Max. sermone primo de sanctis Petro, & Paulo, Greg. Magnus lib. 4. Epist. 32. Leo ser. 2. de anniuers. assump. sue. Hi omnes aduersus hæreticorum pertinaciam vno consensu per dicta verba intelligunt Petro promissum, ac proinde à promittente veritate exhibitum regimen Ecclesie, cum plenissima tam ordinis, quàm iurisdictionis auctoritate. Sed iam secundum locum videamus, vbi tanquam fidelis Christus exhibuit, quod promisit. Igitur *Ioannis 21.* Ter Dominus Apostolorum Principem interrogat de dilectionis excellentia, & tres ab eo sanctitate, & humilitate conspicuas audit responsiones, & toridem vicibus Ecclesie sue sub onium, & agnorum similitudine curam commendat dicens: *Pasce oves meas; Pasce agnos meos;* vt tam maiores, quàm minores, Petrum vt præsidem, & Pastorem agnoscerent, Dirigi autem hæc verba ad singularem Petri personam textus ipsæ adeò aperte clamat, vt aliò trahi absque manifesta impudentiæ nota minimè possit. Adeo enim exactè singularis Petri persona definitur, à nomine, à patre, à comparatione ad cæteros, per ea verba: *Diligit me plus his,* & ex pluribus alijs præcedentibus, & subsequenter; vt facilius sit cuilibet vel mediocriter erudito ex sola lectione textus, quem indicauimus, sensum exprimere, quàm argumentationibus persuaderi; rem enim per se clarissimam argumentorum sæpe subtilitates obumbrant. Omit-

Apoc. 3.

Athan.
Basilius.
Gregor.
Ediphan.
Chrysof.
Cyrillus.
Pfellus.
Theoph.
Eurym.
Hilarius.
Hieron.
Cyprian.
August.
Maxim.
Leo.
Gregor.
Mag.

Io. 21.

August.
Cyrillus.
Ambros.
Leon.

Epiph.
Chrysoft.
Ambros.
Gregor.
Bernardi.

Marci 1.

Lucæ 8.

Act. 1.

Act. 5.

Lucæ 22.

to Patrum expositiones August. Cyrilli, in hunc locum. Ambros. in cap. ult. Lucæ Max. loco superius allegato, Leonis epist. 89. & aliorum. Est autem Pastoris officium non tantum pabulum, quibus ministrare, sed etiam ducere, reducere, regere, præesse, tueri, castigare, & ad parendum cogere; neque enim hæc à perfecti Pastoris officio separantur. Atque hæc est communis Doctorum expositio. Epiphanius in Ancor. Chrysoft. in hunc locum, Ambrosius in Lucam ultimo cap. Leonis serm. 3. suæ ass. Gregor. lib. 4. Epist. 32. Theophylacti in cap. ultimum Ioannis, Bernardi lib. 2. de confid. Denique Primatum hunc Petri tanquam sibi notissimum scriptores sacri in nouo testamento ubique significant; Nam Apostolorum numerum recensentes, primum semper collocant Petrum; cum tamen aliorum inuertant ordinem; Immo cum duo, vel plures nominantur, primo loco semper statuitur Petrus; & quod amplius est, ut Dux, & Princeps reliquorum describitur; Vt Marci primo, *Prosequutus est cum Simon, & qui cum eo erant*; & Lucæ 8. *dixit Petrus, & qui cum eo erant*; & 4. cap. *Petrus verò, & qui cum illo erant*. Act. 2. *Dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos*; & 5. cap. *Petrus, & Apostoli dixerunt*; & alibi sæpe. Quare, ut Princeps nomine omnium loquebatur, & ob eandem causam singulare præ cæteris privilegium accepit à Christo, ut aduersus inferorum portas, sedes illius præualeret, & Lucæ 22. orat Dominus, ut non deficiat Petri fides, sed pro fratrum confirmatione firma persistat; Sic enim habet sacer textus: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*: Quibus verbis luce clarius cæterorum Apostolorum Petrus Princeps declaratur, ut expositores omnes, tam Græci, quam Latini in hunc locum testantur; Quod, & dictio illa conuersus videtur insinuare; Nam dicitur Dux ad milites sequentes conuerti; non autem ad Ducem milites, quem præcedentem intuentur. Eodem etiam pertinet, quod primo ante cæteros Apostolos post Resurrectionem Dominus apparuit Petro, ut declarat Apost. 1. Cor. 15. Quod Petro Primum, ut inquit August. cap. 13. in Io. Dominus in cœna lauit pedes; Quod soli Petro mortem suam similem prædixit:

dixit: Ioan. 21. Quod solus ad electionem Apostoli in locum Iudæ proditoris Discipulos congregauit primus omnium loquens: Act. 1. Quod accepto Spiritu Sancto primus omnium promulgauit Euangelium: Act. 2. Quod primum miraculum in confirmationem fidei edidit: Act. 3. Quod, ut supremus Iudex agnouit, & damnauit fraudem Ananiz, & Saphiræ eos verbo occidens: Act. 5. Quod primus gentibus prædicat diuina admonitus visione: Act. 10. Quod primus in Concilio de legalibus loquitur, & omnes eius sententiam sequuntur. Quod Paulus anno suæ conuersionis tertio solum Petrum inuisit: Gal. 1. Quod Simonem Magum primum hæreticorum Principem damnauit. Act. 8. Quod Patriarchales Ecclesiæ illæ solæ semper habitæ sunt, quas fundauerat Petrus: Tres verò duntaxat Patriarchales fuisse apud antiquos, videlicet Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam, Nicæna Synodus Can. 6. & Calcedonensis: Act. 16. & Anacletus in prima Epistola, & Leo Epist. 53. & Greg. Epist. 37. lib. 6. declarant. Quæ ideo Patriarchales dictæ sunt; quia eas fundauit Petrus, & in eis sedit, per seipsum quidem Romæ, & Antiochiæ; immo, & Alexandriæ, ut scribit Nicephorus lib. 14. cap. 3. vel potius per Discipulum, & Euangelistam Marcum, quem commisit, ut fundaret Ecclesiam, ut scribunt Greg. & Leo locis notatis. Quare primus locus debetur Romæ Sedi, quam per seipsum administrauit, secundus Alexandrinæ, quam per Marcum Euangelistam rexit, tertius Antiochenæ, quam per Euodiam, neque Apostolum, neque Euangelistam gubernauit. Quibus post quingentesimum annum à natiuitate Domini permissu Summorum Pontificum accesserunt aliæ duæ, scilicet Constantinopolitana, & Hierosolymitana; quæ & ipsæ fuerunt Patriarchales nominatæ.

Summum Pontificem Petro succedere in Monarchia Ecclesiæ. Cap. XVI.

Iam verò Summum Pontificem Petro succedere in Ecclesiastica Monarchia non multo negotio poterit demonstrari; Nam eadem perseuerat in Ecclesia vnus Pastoris

1. Cor. 12.

ris necessitas, quæ initio de manu Domini Principem unum fidelibus postulabat. Vna est enim, eademque semper Ecclesia eadem utens regiminis forma, idem est corpus, suo indigens visibili in terris capite, ut insinuat Apost. 1. Cor. 12. Idem Christi præceptum ad Petri successores extenditur: *Pasce*, inquit, *Oves meas*: In Ovis proculdubio Ecclesie congregatas; At perpetuum est ovile, perpetuus igitur est pastor à Christo institutus; Itaque perpetua successio, quod etiam ipsa indicant verba; commisit enim oves suas omnes Petro, non solum ratione loci, sed etiam respectu temporis; nam, & qui nunc sumus, Christi oves sumus; quibus eodem iure prospicere debuit, quo & tunc presentibus; non erat autem perpetuo victurus Petrus, necessaria est itaque successio. Enimvero indecorum valde esset, præstantiorem esse figuram re ipsa, cuius faciem refert, certum est autem, summum antiquæ legis Sacerdotium, in quo erat carnalis succedentium series, figuram fuisse Summi in Ecclesia Pontificatus. Porro legitimum Petri successorem non alium esse, quam Romanum Pontificem, expeditiori methodo potest demonstrari. Nullus enim fuit unquam, qui se Petri successorem professus fuerit, aut pro tali sit habitus, vel haberi potuerit, præter Romanum Pontificem, & Antiochenum; sed Antiochenus, nec fuit, nec haberi potuit, ut Petri successor in Pontificatu totius Ecclesie, cum successione ius mortem præexigat naturalem, vel legitimam; quæ depositio est, vel renunciatio; quorum neutrum in Antiochenum convenit Episcopum; nam Petrus adhuc vivens, & Pontificatum gerens, priori illa Antiochiæ sede relicta, Romæ sedem fixit, quam etiam morte sua consecrauit: quod, ne dum annalium, & Sanctorum ferè omnium scripta testantur, sed ipsius Urbis ædes, monumenta; præterea, mœnia ipsa, & tandem uniuersus Christianus orbis à Sede Petri vsque in hodiernum diem constantissimè prædicat. Quamobrem Nicænum Concilium Episcopum Antiochenum tertium Patriarcham declarauit, can. 6. Nec unquam Antiocheni Episcopi eminentiorem locum postularunt Sanè sanctissimorum Conciliorum auctoritas controuerfiam omnem, si quæ superesset, plenissimè dirimit, supre-

Concil.
Nicen.

supremum in Romano Pontifice totius Ecclesie principatum agnoscens; nec erit ab re loca quædam summatim indicare; occurrunt autem quatuordecim generalia Concilia. Primum Nicænum: Act. 6. Cuius verba sincere recitantur in Calcedonenfi: Act. 16. Secunda Synodus Generalis in Epistola ad Damasum. Tertia in Epistola ad Cælestinum Pontificem. Constantinopolitana: Act. 4. Septima: Act. 2. Lateranensis sub Innocentio tertio cap. 5. Florentina ex Græcis, & Latinis, Lugdunensis, Viennensis, Constantiensis, Lateranensis sub Leone decimo, & Tridentina postrema. Missas facio innumeras Sanctorum Patrum, & Doctorum, tam Græcorum, quam Latinorum, auctoritates, perpetuum Ecclesie consensum, Acta Summorum Pontificum, in Episcoporum, Patriarcharum, Regum, & Imperatorum depositione, summam in Ecclesia iudicandi facultatem, cum vsu semper florentissimo, præfidentiam in omnibus Concilijs, cum iure, & vsu conuocandi, & eadem confirmandi, vel etiam irritandi, ut ipsamet Conciliorum acta declarant, Summorum Imperatorum scripta, & gesta, quibus supremam in Petri successoribus agnoscunt auctoritatem, signa, prodigia, atque portenta, quibus Romanæ Sedis Primatum à se institutum dignatus est Deus stabilire. Hæc enim latissimè tradidere doctissimi viri, in religione Catholica fulgentissima sydera; quorum doctrinam, si considerarent hi, qui nona sectantur heresum dogmata, haud dubito, quin illustrante diuina gratia, crassissimos errores suos manibus, pedibusque palparent; quos ignorantium hominum inuexit ambitio, temeritas auxit, mendacia dilatarunt, indoctè plebis rerum nouarum, ac libertatis cupidæ consuetudo firmavit. Sed non mirari non possum ingenuos, & secularium litterarum eruditione conspicuos, adeo perspicuas falsæ doctrinæ notas non agnoscere, Sectarum nomina, cætus exiguos, Diuini Verbi corruptionem; Sanctorum Patrum, lacrorum Conciliorum, uniuersalis, & perpetuæ Ecclesie consuetudinis, & diuinarum traditionum, contemptum, sectarum suarum innumeras dissensiones, seductorum suorum mendacia impudentissima, malorum omnium colluuiem inter ipsos regnantem,

Concil.
Nicæn.
Concil.
Calced.
2. Synod.
Concil.
Constit.
7. Synod.
Cœc. Lat.
Cœc. Flo.
Cœc. Lug.
Concil.
Constit.
Concil.
Viennæ.

tem, dogmatum nouitatem nunquam antea agnitam, nisi ab hæreticis, quos multa ante retro secula Ecclesia Catholica condemnarat; perditos suorum perfendo Apostolorum mores, cum eorum exitu infelicissimo; denique deformatam penitus inter ipsos ordinis Ecclesiastici formam, sublatum Sanctæ Religionis cultum, relegato vero antiquorum Patrum, & totius Ecclesiæ sacrificio, quod Christus sanxit, Apostoli tradiderunt, & per tam longos sæculorum tractus summa cum ueneratione semper celebravit Ecclesia, quod denique indiuisam, Christianæ religionis seruat unitatem. Sed iam tandem legibus cuique Monarchiz communibus manum apponamus.

Amplissima legum ratio. Cap. XVII.

Justinian.

Ferendarum Legum authoritas, sicuti communis est cuilibet Monarchiz, ita inter mundanos Principatus peculiari quadam, & eminentiori ratione, Casareæ videtur Maiestati congruere; ut quæ terrenam omnem longè superexcedit potentiam, suprema etiam in legum sanctione præfulgeat potestate: Quod elegantissime Iustinianus Augustus suarum institutionum initio his verbis expressit: Imperatoriam Maiestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam; ut utrumque tempus, & bellorum, & pacis rectè possit gubernari; & Princeps Romanus, non solum hostilibus prælijs victor existat, sed etiam per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat; & fiat tam iuris religiosissimus, quam victis hostibus triumphator magnificus. Sed, quoniam legis auctoritas potestatem sequitur dominantis, operæpretium erit præstitutam principatum seriem obseruare, & suas, cuique ferè leges adaptare: Caterum priusquam ad singularum legum genera descendamus, è re esse duxi, de communissima primum legum ratione nonnulla præmittere. Sanè legum peritiam Theologis pariter, ac iuris prudentibus necessariam, his quidem quatenus ad humanæ reipublicæ pacem, illis verò quatenus ad felicitatem perennem nos dirigunt, sicut amplissimam, ita nobilissimam

intel-

intellexit Plato; qui primo de legibus Dialogo Deum ipsum, vel humanarum legum auctorem agnoscit: Cui elegantissimè concinit, quod apud antiquos tria legimus nomina, in quæ suas retulerunt leges, Iouem, scilicet, Apollinem, & Mineruam; siquidem Sol Planetarum dominus potentiam, Iupiter clementiam, Minerva sapientiam continet, in quibus tota legis perfectio videtur consistere. Quod, ut facilius demonstremus, à legis diffinitione sumemus exordium, Est itaque lex rationis ordinatio, & præceptio, ad commune bonum, ab eo, qui reipub. præest, ordinata. Cum enim lex mensura sit actuum, & regula, quod rationi maximè congruit, cuius est ad finem ordinare, consequens certè sit, legem ad rationem maximè pertinere, finis verò in ratione primum est humanorum actuum principium. Huc igitur præsertim lex spectabit; vniuersalem enim necesse est beatitudinem, ut lex aspiciat, ad quam pro suo quæque modo vniuersa disponat: Quamobrem cessante communi hac legislatione, legem ipsam necesse est omnino cessare; Verùm, quoniam ad bonum commune dirigere non ad quemlibet spectat, sed totius interest multitudinis, vel curam illius gerentis Principis, sola proinde multitudo, vel Princeps poterit legem ferre. Fertur autem, siue imponitur lex per modum regulæ, & mensuræ, cuius impositio est applicatio; quæ in lege fit per manifestam illius promulgationem, per quam deuenit in subditorum notitiam. Hinc tria illa facilè penetramus symbolica nomina. Sol etenim, siue potentia legislatorem, aut publicam potestatem, Minerva, vel sapientia, cuius est ordinatio, rationis ordinationem, Iupiter, aut clementia promotionem ad commune bonum, legis præcipuas partes insinuant. Porrò ad intentum finem, quod est facere homines bonos, vel simpliciter, ut lex diuina, vel politica bonitate, ut lex ciuilis, peruenit lex per varios sibi proprios actus; quorum tres Isidorus in 5. Etymol. omisso primo, quod est Imperium, his verbis enumerat. Omnis lex, aut permittit aliquid, ut quod vir fortis præmium petat, aut vetat, ut quod sacrarum Virginum nuptias nulli liceat petere, aut punit, ut qui cædem fecerit, capite plectatur.

Plato.

Isidorus.

Ff 4

Lex

Lex Aeterna. Cap. XVIII.

Rom. 7.

SANÈ multiplex est legum diuersitas, cum sit quaedam aeterna, naturalis alia, humana item alia, diuina duplex, vetus, & noua, demum lex fomitis, de qua Rom. 7. quærebat Apoſtolus: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae*. Est autem lex aeterna ratio gubernationis rerum in Deo, sicut in Principe vniuersitatis existens, quatenus illa ratio regula est, & mensura obligatiua rerum omnium ad suos actus, in ordine ad commune bonum; quam describens Augustinus aiebat, legem eternam summam esse rationem, cui semper obtemperandum est. Cuius notio, eodem Augustino, teste in libro de libero arbitrio, naturaliter nobis est impressa, non quidem, vt in se ipsa videatur, sed in aliqua quantumuis parua suæ lucis irradiatione, ad instar ægrotantis oculi, cui in sua substantia Solem videre non licet, emicantis lucis radios sua debili virtute conuentis. Et quemadmodum artificialium actuum ratio ab architecto ad inferiores artifices, qui manu operantur, deriuatur, sic & recti regiminis ratio, a supremo ad infimos vsque gubernantes descendit. At verò lex aeterna nil aliud est, quam gubernandi ratio in supremo gubernante, leges verò reliquæ gubernationis quaedam peculiare rationes existunt; pendent igitur omnes ab aeterna lege. Quo fit, vt in temporali lege nihil sit iustum, ac legitimum, quod non ex aeterna lege homines sibi deriuarint. Sanè legis huius ea est amplitudo, quæ necessaria pariter, & contingentia, rerum item humanarum vicissitudines, modos, fortunas, atque hominum mores suo completatur Imperio; nullo etenim modo, inquit August. 19. de ciuitate Dei, cap. 22. aliquid legibus summi creatoris, ordinationique subtrahitur, a quo pax vniuersitatis administratur.

August.

Lex Naturæ. Cap. XIX.

DIRIGIT quidem aeterna lex vniuersa in proprios cuiusque fines, sola tamen rationalis creatura illius impressionem intelligentem suscipit, scilicet, vt sibi ipsi, & alijs provideat. Quamobrem, cum lex aliquid sit rationis, in ea sola aeternæ legis impressio legis rationem habebit. Quam quidem legem sacris doctoribus placuit naturalem nuncupare; per quam quærentibus, vnde nobis bonorum cognitio, respondit David: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*: Quo scilicet per legem, quid bonum, quidue prauum sit, discernamus. Nec propterea arbitretur aliquis, legem naturæ essentialiter nil aliud esse, quam habitum. Est enim lex isthæc quidpiam per rationem constitutum, quippè, quæ iudicium est, & dictamen productum, quod est ipsemet conceptus formatus; hæc enim lex ipsa est actu in esse intellecto. Quemadmodum verò actuali cessante consideratione manet eadem in sua radice, scilicet in habitu; ita & lex ipsa in habitu syndereſis continetur; cuius virtute principia legis naturæ iudicamus; itaque habitu quidem teneri poterit; habitus verò non erit. Sed ais, vna ne, an plures est lex ista naturalis? Vtrumque sanè absque vilo veritatis præiudicio, haud violentus admiserim. Si namque multitudinem aspicias præceptorum, sese statim offert multiplicitas; quod si naturalis luminis, summi practici principij, atque vltimi finis, contemplatus fueris vnitatem, legem pariter vnã contueberis. Hinc dignosci facile potest, sint ne omnes actus virtutum de lege naturæ: Quatenus etenim honesti, ad legem naturæ pertinent; cum natura quemlibet hominum ad agendum secundum rationem inclinet; at verò secundum propriam actus, cuiusque rationem sub lege naturæ minimè concluduntur: quam plurima siquidem secundum rationem operamur, quæ per subtile determinamus rationis iudicium; nequaquam autem ad ea sola naturæ ducimur inclinatione. Quamobrem rectè dixit Isidorus Ety. lib. 5. cap. 4. Ius naturale commune est omni nationi; quod de

Psalm.

Isidorus.

de primis quidem Principijs certissimum est. Ea verò, quæ per facilem rationis discursum ex eisdem deducuntur, ut depositum esse reddendum, à furto abstinendum, ut plurimum eadem sunt apud omnes, tum quo ad rectitudinem, tum quo ad notitiam. Undè quo ad illa nunquam, quo ad ista rarò mutantur; illa ab hominum corde euelli est impossibile; hæc malis persuasionibus, praua consuetudine, vel corruptis habitibus rationis splendorem obnubilantibus, ab humano corde poterunt aboleri, teste Germanorum illustri, & antiquo genere; cuius olim æstimatione latrocinia, quæ extra ciuitatis fines committebantur, non reputabantur peccata. Ut refert Iulius Cæsar in Commentarijs de bello Gallico lib. 6.

Lex Humana. Cap. XX.

EX prædictis necessitatem instituendarum humanarum legum quis nõ videat? Aptus quidem enim suapte natura est ad virtutem homo; Virtutis tamen perfectio non nisi per disciplinam eidem aduenit, ad quam reluctanter prauis ad vitia inclinationibus nullus sibi sufficit, proteruis verò, & in peccata valde procliuus paterna non sat est admonitio. Legum igitur vi, atque metu cogente opus est disciplinæ: teste siquidem Isidor. factæ sunt leges, ut earum metu coerceatur audacia, tutaque; sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio refrenetur nocendi facultas. Et quoniam humanæ leges, eatenus leges sunt, quatenus iustitiam continent, iustitiam verò sapiunt, quatenus rectæ consonant rationi, cuius prima regula lex est naturæ, consequens est leges omnes humanas ab vna lege naturæ derivari; quod eleganter explicuit Cic. libro secundo, de inuentione. Res inquit, à natura profectas, & à consuetudine probatas, legum metus, & religio sanxit. Cum autem ex fine eorum, quæ ad finem sunt, & ex mensura mensurati petenda sit ratio, legisque positivæ certus quidam sit finis; excellentesq; mensuræ, ex ambobus non erit difficile cum Isidoro necessarias legis humanæ conditiones colligere. Porrò diuina, natu-

Isidorus.

Tullius.

Isidorus.

rali.

ralisque lex humanam, & regulant, & mesurant, cuius finis hominum est utilitas, & commune bonum. Necessè est ergo legem religioni congruere, ut diuinæ sit legi proportionata; disciplinæ conuenire, ut legi adapteretur naturæ; salutari proficere, ut communem respiciat utilitatem. Quas tandem latius alibi sic explicat Isidor. dicens: Erat lex honesta, iusta, possibilis secundum naturam, secundum consuetudinem patriæ, loco, temporisque conueniens; necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat, nullo priuato commodo, sed pro communi utilitate ciuium scripta. Nec tamen humanæ legis authoritas (sic hominum ingenio, imperfectaque virtute postulante) ad omnium peccatorum prohibitionem extenditur, sed grauiora duntaxat inhibendo, à quibus maiorem multitudinis partem abstinere possibile iudicabit, gradatim subditos ad perfectionem promouet; nam, qui nimis emungit, elicit sanguinem, Prou. 30. Atque eadem ferè est de virtutum actibus ratio; de omnium namque virtutum actibus, quanquam non de omnibus, præcipit lex humana; soli enim hi ad illius attinent præceptionem, qui ad commune bonum, vel immediatè, vel mediatè, saltem sunt ordinabiles; sicuti quæ ad bonam pertinent disciplinam, per quam ciues informantur, ut commune bonum iustitiæ, & pacis conseruent. Sed nunquid tanta est humanarum legum authoritas, ut ad intima conscientie latibula eius obligatio perueniat? Tanta prorsus, si de veris, & iustis loquamur legibus, quæ scilicet ad commune bonum sunt institutæ, ab habente authoritatem latæ, seruata proportionis æqualitate, onerum in subditos, atque hanc ab æterna, à qua promanarunt, lege participant, iuxta illud: *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Nec tamen poterit Princeps per legem exprimere, quòd obliget, vel eximat à mortali, cum id ex rei præceptæ, & pœnæ grauitate potius pensandum sit, quàm ex legis latoris intentione, quibuscumque verbis expressa. Caterum non omnes pariter qualibet obligat lex; sed eos vi quidem sua regulatiua, qui ferentis legem potestati subduntur cum ipso legislatore, dicente Sapiente: *Patere legem, quam ipse tuleris:*

Isidorus.

Prou. 30.

Prou. 8.

1. Tim. 1.

lex: At potestate cogente solos facinorosos, malosque constringit; iusto namque non est lex posita, sed iniustus, & non subditis, impijs, & peccatoribus. sceleratis, & contaminatis, patricidijs, & matricidijs homicidis, fornicarijs, masculorum concubitoribus, plagiarijs, mendacibus, & periuris, & si quid aliud sanę doctrine aduersatur 1. Tim. 1. Et quemadmodum non omnes indiscriminatim obligantur leges, sic nec subditos in certis quibusdam casibus virtutem habent obligandi, deficiente scilicet eiusdem ordine ad commune bonum; quare tunc summopere proderit epicheiæ virtus, qua præter verba legis agimus ad legis intentionem rectius obseruandam. Iam verò ad huiusce capituli complementum reliquum est, vt de legum mutatione nonnulla dicamus. Cum enim lex, de qua modò sermonem facimus, sit quoddam rationis dictamen, quo diriguntur, ac sua veluti regula mensurantur actus humani, mutari nonnunquam contingit, tum ex variato in meliusque mutato rationis, cognitionisque splendore; quæ ad firmiora, magisque rationabilia decernenda sufficiat; tum ex mutatis hominum conditionibus, quorum varietati varia manifestum est expedire; vnde August. libro primo, de libero arbitrio; Lex temporalis, quamuis iusta sit, commutari tamen per tempora iuste potest. Sed quoniam legis mutatio absolutè considerata in detrimentum est communis utilitatis, cum ad legis obseruantiam plurimùm conferat consuetudo, quæ per legis mutationem tollitur; hinc fit, vt nisi tantundem communi recompensetur salutem, vt puta, si maximum, & euidentissimum ex nouo statuto proueniat emolumentum, vel consueta lex manifestam contineat iniquitatem, ac nocumentum, nullo pacto sit lex vnquam vetus immutanda. Verùm non sola legislatoris auctoritas leges tollit antiquas, & nouas condit, sed & multitudinis, subditorumque consuetudo non ab similem retinet potestatem; potest enim nedum verbis, sed & factis, legem ferentis voluntas declarari, potest subinde eadem via exponi lex, mutari, & institui. Postremò de legum dispensatione verbum apponamus; quæ cum idem sit, quod alicuius communis ad singulos coaptatio, ad rectorem profectò multi-

August.

tudinis pertinebit, qua ratione quodlibet, præceptum à singulis adimplendum sit, ordinare; ita tamen, vt non pro sola voluntate, sed ratione ductus, & ad commune respiciens commodum, licentiam tribuat, vt legis præceptum non seruetur, aliter dicto Domini non obsequitur dicentis: *Lucæ 12. Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* Lucæ 12.

Legis Diuinae Ratio. Cap. XXI.

AT quoniam ea est humanæ naturæ nobilitas, vt sine suæ naturali facultati proportionato minimè sit contenta, sed altiore, qui propriam illius virtutem longè superexcedit, exquirat; necessaria omninò fuit præter ante dictas, legis diuinæ directio; qua & humani iudicij circa contingentiæ suppleretur incertitudo, & interiora cordis in malum prona cohiberentur, deordinata verò ordinarentur, nullum denique non vitium, impunitumque malum remaneret. Quæ, sicut breuissimè, sic diuinè recensuit propheta illo vno versiculo: *Lex Domini immaculata*, id est, nullam peccati turpitudinem permittens; *conuertens animas*, quia non solum externos, sed, & internos actus dirigit; *testimonium Domini fidele*, propter certitudinem veritatis; *sapientiam præstans paruulis*; quatenus ordinat hominem ad supernaturalem, diuinamque felicitatem. Et si quidem vnus, atque idem semper fuisset humanæ naturæ status, vna atque eadem lege diuina potuisset optimè gubernari: At præcedentium patrum mediatorem Christum expectantium, præcedentiumque populorum vita ad Evangelici status perfectionem attingere nequaquam potuit; quamobrem Apostolus ad Galatas tertio Iudæorum populum ante Saluatoris Aduentum puerulo comparat sub prædagogi disciplina degenti. Qua propter sicuti non eadem pueris, quæ viris iam ætate prouectis, iniunguntur præcepta; sic non eadem, sed imperfecta quidem imperfecto Iudæorum populo, perfecta verò, perfecto Christianorum statui fuit lex imponenda; de quorum ordine, ac successionem diserte loquebatur Apost. ad Galatas quarto: *Quantò* Galat. 4.
tempo-

Psal. 118.

Galat. 3.

Galat. 4.

tempore haeres parvulus est, nihil differt à seruo, cum sit Dominus omnium, sed sub tutoribus, & auctoribus est, usque ad praesentium tempus à Patre, ita & nos, cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes; at ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Per quae facilius dicta ab eodem Apostolo in praecedenti capitulo intelliguntur, ubi dixerat. Priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, qua revelanda erat, itaque lex pedagogus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificemur; at ubi venit fides, iam non sumus sub pedagogo, omnes enim filij Dei estis per fidem in Christo Iesu.

Galat. 31.

Lex Divina Vetus. Cap. XXII.

Ioan. 1.

ET quoniam, ut dicitur Ioan. 1. Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est; per antiquam illam legem non totaliter homo reddebatur idoneus ad aeternae felicitatis participationem, quae proprius est finis divinae legis; id enim non aliter evenit, quam per Spiritus Sancti gratiam, quae non per veterem, sed per novam legem potest conferri. Quamobrem Ezech. 20. dicitur in persona Domini: Dedi eis praecepta non bona, & iudicia, in quibus non vivunt, & mortifera pronunciantur ab Apostolo ad Hebraeos 7. Sed nunquid Ideo mala, lex à Deo data, rationi valde consona, eum univ ersa prohiberet peccata, illicò erit à nobis iudicanda? Minime gentium, ait enim Apostolus. Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum iustum, & bonum. Rom. 7. Sed imperfecta simpliciter; Nihil enim ad perfectum adduxit lex: temporis autem, & personarum pensata conditione valde consona, atque perfecta erit à nobis suscipienda, ac veneranda. Atque haec ipsa propriissima ratio fuit, quare per Angelos data fuerit in manu mediatoris. Solent enim principales artifices, quod praecipuum est in effectu producere, praevidias verò dispositiones per inferiores operantur artifices; perfecta quidem igitur novi testamenti lex per Dei filium Deum ipsum debuit promulgari; imperfecta verò Hebraici populi per Angelos congruè

Ezech. 20.

Hebr. 7.

Rom. 7.

gruè fait ad Dei populum è caelo delata. Quae ideo soli Iudaeorum populo data fuit, dicente Propheta: Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestavit eis: quia ut inquit Apostolus ad Galat. 4. Abrahama dicta sunt repromissione, & semini eius; non dicit seminibus quasi in multis, sed quasi in uno, & semini tuo, quod est Christus, Legem ergo, & univ ersa alia beneficia praecipua illi populo exhibuit, propter promissionem eorum Patribus factam, ut ex eis Christus nasceretur. Decebat enim, ut ille populus, ex quo Christus nasciturus erat speciali sanctificatione polleret. Solum itaque Iudaeorum populum, cui in specialem sanctificationem data fuerat, obligabat antiqua illa lex. quemadmodum & sub nova lege, qui divino mancipantur ministerio, ad peculiaris quaedam tenentur, quae laicos non attingitur. Poterant nihilominus Gentiles in lege naturae, divina favente gratia aeternae vitae salutem consequi, quam tamen multò facilius per Iudaicam circumcisionem, ac divinae legis observantiam assequi valuissent. Sed cur non statim à primorum parentum lapsu, vel saltem Abrahama tempore, proposuit Deus sua illa iam praecogitata praeccepta? Congruentius certe tempus excogitari non potest eo, quo data fait. Imponitur siquidem lex duobus personarum generibus; duos enim, & superbos premit, ut domentur; Extolbatur autem hominum genus in primis quidem de scientia, quasi sua sibi ratio naturalis sufficeret ad salutem; quare suae rationis sine lege scripta permissus est regimini; cumque in gravissima incidisset peccata, in remedium humanae ignorantiae legem scriptam recepit; intumuerat rursus de potentia, sed per legem, suam experimento didicit infirmitatem, dum implere non poterat, quod cognoverat. Sed, & bonis lex adhibetur, ut per illius instructionem ad bonum inveniatur; tunc verò praesertim data fuit, cum naturalis lex propter exuberantiam peccatorum, suum amisisset splendorem. Non statim itaque post peccatum, propter praedicta, nec etiam tempore Abrahama, imponenda fuit; non enim erant populus Dei cultores, sed familia; cui sola familiaria congruebant praeccepta. At nec servientibus in Aegypto, nam serui de populo minime censentur, teste

Psal. 147.

Galat. 4.

Arist.

Arist. 3.

Polit. Statim ergo abiecta seruitutis ignominia in libertatem vendicatis, in populumque reductis, concedens fuit legem promulgari. Sed iam summam de his, quæ in ea continentur, præceptis differamus. Quæ quidem, si ordinem attendamus, quo vnum respiciunt finem, vnus habent rationem præcepti; quod si ordinatorum consideramus diuersitatem, in multiplicia distinguuntur præcepta. Est autem charitas proprius diuinæ legis finis, quæ propter Rom. 13. ad dilectionis præceptum vniuersam redigit legem dicens: *si quod est aliud mandatum, in hoc verbo inauratur, diliges proximum tuum sicut te ipsum*; in hoc siquidem, & Dei dilectio, & regula illa dilectionis proximi, quam Saluator expressit, Matth. 7. *Omnia quaecunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis; hæc enim est lex, & Prophetæ*: In hoc inquam, vno præcepto continentur implicita. Quoniam itaque proprius diuinæ legis finis est hominis ad Deum amicitiam constituere, quæ per bonitatem, quæ perfectio est, per quam Deo assimilamur, optimè comparatur, oportuit præcepta legis veteris etiam de actibus virtutum dari; hæc verò sunt moralia legis præcepta. Sed ex præcepto fundamêto, quod scilicet hæc lex diuina principaliter sit instituta ad ordinandum homines ad Deum, non erit difficile cæremonialia eiusdem legis præcepta colligere. Ordinantur siquidem homines ad Deum non solis internis actibus, qui sunt, credere, sperare, & diligere, sed & externis quibusdam operibus diuinam profitentur seruitutem; quæ ideo ad diuinum pertinent cultum, & cæremoniæ nuncupantur. Quemadmodum verò præcipua diuinæ legis intentio, est homines ad Deum dirigere, sic posterius eiusdem institutum est homines ad inuicem ordinare. Eius itaque intererit commune naturæ præceptum de iustitia inter homines conseruanda per specialia quædam præcepta, quæ iudicialia nuncupantur, determinare. Quæ quoniam à ratione deriuantur, cum moralibus conueniunt; quia verò non ex ea sola vim habent, sed ex institutione robur trahunt; hinc & cæremonialibus affinitate quadam copulantur. Præter hæc autem tria præceptorum genera, scilicet, moralium, cæremonialium, & iudicialium, nulla alia arbi-

arbitramur contineri præcepta; sed plurima ad præceptorum obseruantiam ordinata; de quorum numero sunt rerum temporalium promissiones, ac pœnarum comminationes, optima nimirum media iuxta Hebraici populi ruditatem, quibus ille ad Deum veluti per importuni pedagogi, nunc blanda, nunc aspera monita, manu duceretur. Quod breui compendio pronunciat ex persona Dei, Isa. 1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terra comedetis, quod si nolueritis: & me ad iracundiam promoueritis, gladius deuorabit vos.*

Isa. 1.

Moralia Præcepta. Cap. XXIII.

SANÈ moralia dicuntur Præcepta, quæ secundum se ad bonos attinent mores; qui eatenus boni censeantur, quatenus consoni sunt practicæ rationis iudicio; quod ex principijs quibusdam naturaliter notis procedit ad iudicandum diuersimodè de diuersis: Nam quædam cum modica consideratione deducit; vt non occides, non furtum facies, &c. quædam subtiliori, quadam indagine à sapientibus indicantur; vt illud: *Coram cano capite consurge*: De quibus ceteri per disciplinam instruuntur. Sunt demum nonnulla, ad quæ diiudicanda non sufficit humana ratio; sed diuina egent instructione, vt facilius, meliusque dignoscantur; sicut: *Non facies tibi sculptile, & Non assumes nomen Dei tui in vanum*. Quia propter tamen nunquam essent lege statuta, seruanda tamen essent ex naturali ratione, vel sola, vel supernaturali adiuta lumine; quare & de lege dicuntur naturæ; quo fit, vt decalogus in noua lege suum retineat robur. Traduntur autem diuinæ legis moralia præcepta, de omnibus virtutum actibus; omnes siquidem ad rectum ordinem, perfectamque ad Deum communicationem, quæ finis est diuinæ legis præcipuus, plurimam habent efficaciam; ita tamen, vt eorum nonnulli sub obligatione cadant præcepti, illi nimirum, sine quibus rationis ordo seruari nequit; nonnulli verò sub sola tradantur admonitione consilij. Virtutis verò modus, sicut & charitatis, vna quidem ratione sub vinculo præcepti contringitur,

Leuit. 19.

Exod. 20.
Deut. 5.

Gg

cur,

tur, alia verò ratione ab eodem remanet absolutus; Sed enim præceptorum moralium non vna est ratio, quibusdam decalogo conclusis, alijs verò quibusdam extra illius ambitum late vagantibus; illa per semetipsum Deus, hæc verò per Moysen sanxit; illa modica consideratione ex communibus principijs, aut statim ex fide diuinitus infusa dignoscuntur; hæc maturiori indigent pensitari iudicio; in illis tamen, & hæc, & communissima concluduntur; illa sicut in conclusionibus principia, ista vice versa sicut conclusiones in principijs. Continent autem decem præcepta decalogi ipsam leg. statoris intentionem, quæ primò ad bonum fertur commune, deinceps ad ordinem virtutis, & iustitiæ: Quæ prioris ordinis sunt, quæ primæ inscribuntur tabulæ, ordinem ad commune bonum, quod est ipse Deus, quæ posterioris ordinis sunt, quæ etiam secundæ tabulæ nuncupantur, iustitiæ, & virtutis ordinem continent. Quare, nec ista, nec illa, dispensationem admittunt. Quæquàm, quæ posterioris sunt ordinis, secundum applicationem ad particularem aliquem actum, & sint dispensabilia, & fuerit in eis diuina autoritate quandoq; dispensatum, sicut in actu immolationis Isaac, ne esset homicidium. Superest postremò, ut quam afferat utilitatem moralium præceptorum obseruancia, breuibus absoluamus. Maxima verò viatorum utilitas est à peccatis iustificatio, de qua circa præcepta illa moralia sic statuendum arbitror. Primò iustificasse, id est, iusticiam significasse, atque ad eandem disposuisse. Erat enim, ut inquit August. contra Faust. vita illius populi prophetica, & Christi figuratiua. Secundò, iusticiam apud Deum non effecisse, nam ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Tertiò, iustificasse, id est, executam fuisse iusticiam, eandemq; apud Deum auxisse, ut potè, quæ in gratia facta, erant æternæ vitæ meritoria, sicut & quodcunq; bonum opus. Quartò, iustificasse humana quadam, & acquisita iusticia; habitus etenim humanus bonus per actus acquiritur; vnde Apostolus Rom. 4. *Si Abraham ex operibus legis iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Quintò, plurimum interesse inter moralium, & caeremonialium iustificationem; nam ista in speciali nul-

August.

Rom. 4.

lam

lam secundum se continebant rationem iustitiæ, sed ex sola diuina determinatione; vnde ex sola obedientia, & deuotione facientium iustificabant, iuxta tertium dictum. At verò moralia in sua speciali ratione, quod secundum se iustum est, comprehendebant; quamobrem, & prædicto modo iustificabant.

Caeremonialia Præcepta. Cap. XXIV.

Post eum, qui de moralibus institutus est sermo, consequens est, ut quæ ex caeremonialibus potiora sunt, breui oratione perstringam. Sunt autem caeremonialia præcepta quædam moralium determinationes in ordine ad Deum, sicut & iudicialia in ordine ad proximum: Ad Deum verò ordinant, per debitum illius cultum, vnde Exod. 18. *Adesto in his, quæ ad Deum attinent, ostendasq; populo caeremonias, & ritum colendi;* In hoc ergo consistit eorum ratio, quod ad cultum Dei pertinent. Huc spectant, & leges de vestibus, & cibis, & quæcunque præparatoria ad colendum Deum. Quæ omnia nondum reuelata via ad beatitudinem perducente, quæ via Christus est, ut eiusdem symbola rudi populo proponebantur, sicut testatur Apostolus Hebr. 10. *Umbra habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum;* Minus enim est umbra, quàm imago, siquidem imago ad nouam, umbra verò ad veterem pertinet legem; præfiguratur enim noua ea tantum, quæ sunt in patria, vetus autem, quæ in noua sunt, præmonstrabat. Et quoniam plurimæ ex mysterio Christi deriuantur utilitates, & à multiplici falso Deorum cultu erant auocandi Israelitæ, & frequens bonis congruebat in Deum mentis eleuatio, numerosam decuit esse caeremonialium multitudinem; quorum tamen series ad quatuor præcipua reducitur capita, quæ sunt: Sacrificia, Sacramenta, Sacra, & obseruantia. Ordinant namque caeremonia ad cultum Dei, in quo quidem primò est cultus ipse, qui consistit in sacrificijs; Deinde instrumenta colendi, quæ pertinent ad sacra; post hæc consecratio colentium Deum, quæ spectat ad sacramenta, demum singularis Deum colentium consuetudo,

Exod. 18.

Hebr. 10.

Gg 2

qua

Galat. 2.

quae ab alijs secernantur; ad quam attinent obseruantia. Prædictis tamen omnibus ea fuit communis imperfectio, de qua Apostolus dicit ad Galatas 2. *Si data esset lex, quae posset iustificare, Christus gratis mortuus esset.* Verum cum duplex in lege obseruaretur immunditia, vna spiritalis, quae per peccatum contrahitur; altera carnalis, quae ineptum reddebat ad cultum diuinum; quae nil aliud erat, quam irregularitas quaedam, caeremoniae illae virtutem habebant expurgandi à posteriori hac immunditia; erat enim ex legis statuto; vnde per alia legis decreta poterat tolli; sed à priori minimè poterant emundare; id namque soli reseruatum est Christo, Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei, qui tollis peccata mundi:*

Ioan. 1.

Hebr. 10.

& Hebr. 10. *Impossibile est sanguine taurosum, & hircorum auferri peccata, nondum autem Christus redemptionis pretium exhibuerat.* Erant tamen sacrificia tunc pro peccatis oblata quaedam fidei protestationes, per quam iustificabantur. Quare, & tunc pie offerebantur sacrificia pro peccatis; At redemptione facta per Christum cessauerunt legalia; sicut in ipso mortis articulo significauit Dominus per illa verba:

Ioan. 20.

Consummatum est. Sicut enim primò fidem habuere Patres, non solum de caelestibus bonis, sed & de his, per quae in caelestia ipsa introducimur, tanquam de quibusdam futuris, & haec quibusdam caeremonijs protestabantur; sic post Saluatoris Aduentum, de bonis quidem caelestibus fides habetur, & spes, sicut de futuris quibusdam; sed de his, per quae in ea introducimur, fidem habemus, sicut de quibusdam praeteritis, vel praesentibus. Congruit, itaque, vt & alijs vtamur caeremonijs, atque alia proinde sit noua lex ab antiqua, iuxta illud Apostoli. *Translato sacerdotio necesse est, vt & legis translatio fiat.* Breuiter autem profundissimae huius doctrinae nodus quatuor explicatur propositionibus. Prima est lex vetus vsque ad mortem Christi obligabat; Nam & ipse, dum vixit legem diligenter obseruauit. Secunda, baptismus vsque ad mortem Christi fuit in consilio, praesertim Israelitis. Tertia, lex vetus mortua fuit, tum quo ad obligationem, tum quo ad utilitatem in morte Christi; nam tunc eiusdem auctoritate fuit reuocata. Quarta, lex antiqua post sufficientem Euangelij promulgationem

fuit

fuit mortifera. Quamobrem potuerunt quidem ante sufficientem Euangelij promulgationem seruari legalia, non quidem simpliciter, sed vt mortua; nam & persona mortua vsque ad tumulum custoditur. Propterea, vt sinagoga cum honore ad tumulum deferretur, per Spiritum Sanctum concessum est, vt legalibus illis, non vt viuis (id enim esset significatione mentiri) sed vt mortuis, vsque ad illius sepulturam; quousque scilicet sufficienter promulgatum esset Euangelium, postea verò criminosa fuit antiquae legis obseruantia.

Iudiciaria Praecepta. Cap. XXV.

IAM verò de iudicialibus, quae sunt praecipua, secernamus. Sunt autem duo, in quibus consistit ratio iudicialium praceptorum. Primum, vt pertineant ad ordinationem hominum ad inuicem; alterum autem, vt obligationis vinculum non ex sola ratione, sed ex institutione forciantur; quo fit, vt secundae tabulae praepcepta non sint inter iudicialia numeranda. Et quemadmodum caeremonialia, sic & iudicialia, cum nouae legis Principe Christo, spiritum exhalauerunt; erant enim ad statum illius populi, qui ad Christum ordinabatur, disponendum instituta; quo quidem per Aduentum, & mortem Saluatoris murato, obligationem amiserunt. Fuit enim lex praedagogus in Christo. At quia non erant ad figurandum principaliter instituta, sed ad agendum; ideo simpliciter loquendo eorum obseruantia fidei non praedicit, posset itaque Princeps in regno suo illa praecipere. Veruntamen intentio eadem ex obligatione legis obseruandi plurimum veritati fidei derogaret; infinuaret enim prioris adhuc populi statum perseverare, promissumque nondum venisse redemptorem; cum praesertim, saltem per accidens, huiusmodi praepcepta essent figuralia; data sunt namque Iudaeorum populo, cuius totus status, verba pariter, & facta, erant symbolica; erat enim propter Christum ex eo nasciturum; vnde omnia in figura contingebant illi. Porro iudicialium distinctio ex vario inter se mortalium ordine est colligenda. Est autem qua-

Gg 3

dru-

duplex ordo. Primus principum ad subditos; Secundus subditorum adinuicem; Tertius eorum, qui sunt de populo, ad extraneos; Quartus, ad domesticos. Iuxta primum traduntur præcepta de officio, & reuerentia principum, Penes secundum dantur præcepta de contractibus, de iudicijs, de pœnis; Tertium respiciunt iussa de bellis, de susceptione peregrinorum, & aduenarum; ad quartum diriguntur præcepta de seruis, de vxoribus, & de filijs.

Lex Euangelica. Cap. XXVI.

Nunc legem ingrediamur Euangelicā; quæ, quoniam perfectione superexcedit, quid mirum, si & mysteriorum dignitate præcellat? Certè nil apud mortales nobilius, humanæ salutis conducentius; magisque necessarium est diuina gratia; per quam diuinæ datur esse adhuc in via, consortes naturæ; & hæc lex ipsa est Euangelica, de qua Hierem. 3. *Hoc est testamentum, quod disponam domui Israel, dabo leges meas in mentes eorum, & in corda eorum superscribam eas;* Quod exponens August. de spiritu, & littera, cap. 21. inquit. *Quæ sunt leges Dei, ab ipso Deo scriptæ in cordibus, nisi ipsa præsentia Spiritus Sancti? & Apostolus ad Rom. 8. Lex fidei nuncupatur; id est lex, quæ est ipsa fidei gratia.* Quod, si verum est, consequens utique fit, legem ipsam nouam, sicut & gratiam ipsam, viuificare; unde Apostolus 2. ad Cor. 3. *Littera occidit, Spiritus autem viuificat,* & ad Rom. 1. *Non erubescio Euangelium, virtus enim Dei est, in salutem omni credenti.* Sunt tamen præter gratiam ipsam, dispositiua quædam, ad usum gratiæ spectantia, quæ secundaria sunt in lege noua; de quibus, & verbis, & scriptis oportuit fideles erudiri. Et quia non prius, quod animale est, sed quod spirituale, 1. Cor. 15. nouam legem maximè spirituales debuit antiqua præcedere, non enim abundanter effundi debuit gratia Spiritus Sancti, quæ est lex noua, nisi sublato prius per Christi redemptionem impedimento peccati. Quare Ioan. 7. dicitur, *nondum erat Spiritus datus, quia nondum erat Iesus glorificatus.* Unde nec deest humanum genus altiorem legem expectare. Non enim

Hier. 3.

Rom. 8.

2. Cor. 3.
Rom. 1.

1. Cor. 15.

Ioan. 7.

in

in hac mortali vitæ potest esse status eo, qui nouæ legis est, perfectior; cum nil ultimo fini propinquius dari possit eo, quod immediatè ad ipsum introducit. Clarius autem elucet Euangelicæ legis perfectio, si cum antiqua multò imperfectiore conferatur. Si quidem vetus per nouam impletur, iuxta illud Matth. 5. *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Primò, quo ad gratiam, quam non efficiebat, sed figurabat, & promittebat vetus testamentum. Secundò, quo ad præcepta, quæ Christus adimpleuit opere, & doctrina, tum verum intellectum legis exprimèdo, tum etiam demonstrando, qua via tutius obseruentur. Tertio, superaddendo cõsilia perfectionis; sic namque imperfectum omne adimpletur adueniente perfectio, quod supplet id, quod deest imperfecto. Continebatur tamen noua in veteri, sicut rota in medio rotæ. Ezech. 1. *Sicut arbor in semine granum in spica.* Nec ex prædictis probè deducitur, grauiorem esse legem nouam, quàm fuerit antiqua; nam si quæ superaddit, ea ad faciliorem conferunt obseruantiam, sed & numero pauciora sunt nouæ legis præcepta, & gratia, quæ charitatis, & virtutum est radix, vnueria reddit facilia, teste Domino Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, iugum enim meum suauè est, & onus meum leue;* quo fit, vt in hac parte virtutem non habenti, qua promptè, & delectabiliter operetur, lex noua reddatur onerosior.

Matth. 5.

Ezech. 1.

Marc. 11.

Lex Pontificia. Cap. XXVII.

Quemadmodum iuris æqua descriptio, Principis, aut populorum iussu promulgata, ab ea, quæ insita est, naturæ lege, medio rationis iudicio deriuatur; sic certa viuendi disciplina, Christiano populo Summorum Pontificum iussu, aut factorum Conciliorum deliberatione præscripta, ex communibus diuinæ legis præceptis mentis ratiocinatione ministrante deducitur. Quare, quamuis diuinum quid sapiant, inter humanas tamen leges collocantur; eòq; maiori ad obligandam efficacitate lætantur, quò, & proximius ad diuinæ legis accedunt similitudinem,

cx

ex qua trahunt ligandi, atque soluendi facultatem. Quomobrem ex antiquæ legis decreto morti adiudicabantur summo sacerdoti rebelles Deut. 17. *Qui superbievit nolens obedire sacerdotis Imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel.* Sed expedit pauca ex sacro nouæ legis volumine in huiusce Catholici dogmatis confirmationem proferre. Lucæ 10. *Qui vos audit, inquit Christus, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Communis Sanctorum Patrum expositio, ad Apostolos, eorumque successores refert hæc verba. Quicumque igitur Pontificum, & Conciliorum præcepta contemnit, hunc Christi Domini contemptorem Euangelica verba pronunciant. Act. 15. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra vobis imponere oneris, nisi hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, à suffocato, & sanguine, & fornicatione.* Hoc loco Petrus cum alijs Apostolis in concilio congregatis nouam statuunt legem, quam onus, siue præceptum obseruatum necessarium appellant; non ex antiquæ legis iugo ab illis iam dudum excusso; non sola vitandi scandali causa, quæ finis exitit illius præcepti, non autem materia, ut in præcepto Domini de non furando, cuius finis charitas est, materia verò aliena non rapere, sed præsertim ex Apostolicæ potestatis mandato, quo immolatorum, sanguinis, & suffocatorum esus prohibebatur. Atque hæc est communis Sanctorum Patrum interpretatio. Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; nõ enim est potestas, nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinatae sunt; itaque, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: & paucis interiectis: Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Loquuntur in primis verba hæc de qualibet potestate, tam seculari, quam Ecclesiastica; nam utraque est à Deo; Deinde subiectionem præcipiunt, proculdubio ad eorum leges, & præcepta; nam qui leges, & præcepta non recipit, nulla ratione subiectus iudicatur. Postremo intimum conscientie vinculum aperit, ne solo pœnarum metu parendum quis existimaret, sed magis coram Deo præuaricator se reum agnosceret. Primæ Cor. 11.

Cor. 11.

Lan-

Lando vos, quod præcepta mea tenetis: Pr. Thes. 4. Scitis, quæ præcepta dederim vobis; de quibus paulò post subdit: Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui Spiritum suum Sanctum nobis dedit. Hebr. 13. Obedite prepositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant, tanquam pro animabus vestris rationem reddaturi. Omitto auctoritatem vniuersalem ligandi, soluendi, pascendi, fratres confirmandi, Petro, & successoribus collatam; nec commemorabo cum August. Ad inquisitiones Ianuarij Apostolicos ritus, & traditiones, de Annuario Dominicæ Passionis, Resurrectionis, Ascensionis; Quadragesimæ obseruationem, ricum sumendi ieiunio stomacho corpus Domini, commutationem Sabbathi in diem Dominicum, antiquorum Conciliorum Canones, qui plurima sub grauissimis pœnis præcipiunt, aut etiam interdiciunt; hæc enim omnia, nullus, nisi planè cæcus, non videt Ecclesiasticam potestatem in ferendis legibus demonstrare. At inquit: Præcepit Deus Deut. 4. *Non addetis ad verbum, quod ego loquor vobis, neque minuetis ex eo.* Sed dicant cur Ester. 4. Ad legis ceremonias Mardocheus addidit, quintam decimam diem mensis Adar, cui Iudith vltimo victoriæ celebritas numero Sanctorum dierum adiungitur? cur 1. Reg. 10. Regis David sententia de prædæ diuisione, pro lege suscipitur? loquebatur ergo Deus de noui operis, vel legis, additione diuinam legem corrumpentis; sic enim Matth. 15. & Marci 7. condemnat Dominus Phariseorum traditionem, & mandata, quia diuinæ legis præceptis repugnabant, & inutiles, ac vanas quasdam obseruationes continebant. Et quamuis non simus ancilla filij, sed libera, ut inquit Apost. ad Galat. 4. Hæc tamen libertas, non à qualibet lege, sed ab antiqua solum, non à quacunque seruitute, sed peccati duntaxat intelligitur; hæc est enim vera filiorum Dei libertas. Nec præceptorum multitudine veteris legis difficultatem excedet noua ut calumniantur hæretici. Nam, quæ vniuerso populo Christiano obseruanda proponuntur, ad pauca quædam capita reducuntur, quæ iuris diuini sunt determinationes, & clementissimam habent obligationem; hæc verò sunt præcepta de ieiunijs, de confessione singulis annis facienda, de sacra

com-

communione in Pascale sumenda, & de festis colendis; que varijs etiam personarum, ac negotiorum opportunitatibus adaptantur. Quæ verò diuino cultui consecratis imponuntur, eos tantum afficiunt, qui spontè statum illum assumpserunt; quos etiam, vt Dei ministros, peculiaris sanctitas decet. Reliqua, vel admonitiones sunt, & consilia, vel pœnæ aduersus diuini iuris violatores. Ab vno ergo supremo legislatore, & iudice Deo, sicut terrenæ, sic & spiritalis potestatis auctoritas deriuatur, cuius legibus, & Imperio, Dei filios, dum vitam agunt, decet esse subiectos; sicut & Apostolorum Princeps aiebat Pr. Petri 2. *Subiecti estote omni humana creatura propter Deum; & paulò inferius: quasi liberi, non quasi velamen habentes malitiæ libertatem.* Et 2. Petri 2. de hæreticis loquens: *libertatem illis promittentes, cum ipsi serui sint corruptionis.* Quemadmodum igitur iuris naturæ præcepta ob eorù nimiam amplitudinem, indigent per Principum leges coarctari, vt humanis actibus dirigendis sufficiant; sic & diuinæ legis iussa, necesse est particularibus quibusdam præceptis ad Christianæ multitudinis regimen adaptari. Nam Dei cultum præcipiunt sacræ literæ noui testamenti; at temporis differentias, vel cæremoniarum modos, non præscribunt. Legibus itaque Pontificijs reseruabantur, vt Deo facilius debitus honor, & gloria redderetur, & illius Ecclesia hic in terris splendesceret sanctarum cæremoniarum circumamicta varietate. Cui, & capiti eius summo Pontifici. Humiliter vniuersa mea, vel dicta, vel scripta examinanda subijcio. Sæctarios autem admoneo, vt si quid ob nimiam breuitatem obscurum offenderint, ad Sacrorum doctorum fontes recurrant, quos indicavi; ne temere, quod ignorant, vt frequenter euenit, eos impugnare contingat. Pragæ Anno 1592. aetatis vero meæ 36.

F I N I S.



ERRATORVM CORRECTIO.

Pagina.	Linea.	Error.	Correctio.
12	14	hoc	hos
18	7	sicq;	sicque fieri potuit, vt
21	14	ratio. Dubitandi	ratio dubitandi
23	9	in textu	in textum
25	2 & 3	& de Regimine Principū	dele totum
28	37	appellat	appellatur
32	36	iniuria	incuria
39	19	dicitar	dicitur
40	2	omittantur	omittuntur
60	7	lucubrationem	lucubrationum
66	6	pertinent	pertinet
68	2	contiget	continget
ibidem	7	prabere	præbere
99	15	contineter	continetur
132	37	liberis	libris
139	6	nullus	nullius
142	9	solus	salus
167	8 & 9	urbuntas	voluntas
174	22	sequelè	sequelam
179	2	cas	cas
192	38	tonet	tenet
196	26	promissionis	permissiois
200	12	ipsi	ipse
ibidem	24	eriptam	ereptam
208	2	perniciis	perniciem
209	19	alucescet	elucescet
212	3	in	vi
224	23	vbi	vt
248	17	verias	veritas
252	21	accedente	accidente
257	37	Thomo	Thomæ
268	27	identificè	identice
279	26	quæst.	à quæst.
288	1	fuertot	fuerant
291	7	no anullas	nonnullas
297	4	aspectum	aspectus
305	27	quandoq;	dele
307	19	ignis	ignis
310	6	vilam	villam
312	23	procedendos	producendo
319	13	secunq;	Secundo
ibidem	16	existiment	existimant
ibidem	21	dissimolant	dissimulant
322	15	voti	tali
324	24	ipso	ipsi

Pagina.	Liact.	Error.	Correctio.
329	28	ii	in
337	26	confirare	confutere
338	27	potà	putà
339	23	configento	confingente
352	2	paulò	Paulo
355	28	mera	mira
368	37	in Matth.	dele in
372	21	omnia	omina
378	18	calore	colore
ibidem	32	infra	P. p.
420	19	cuncti	conctis
421	5	Repleta	Replete
422	36	dominantur	dominatur
426	26	qua	quam

REGISTRVM.

† † A B C D E F G H I K L M N O P
Q R S T V X Y Z


Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg

Omnes sunt Duerniones excepto Gg quod est fo-
lium cum dimidio.



118636

Biblioteca comunale dell'Archiginnasio



SCAFFALI ONLINE
<http://badigit.comune.bologna.it/books>

[Opuscula varia theologica, et philosophica adm. reuerendi patris fratris Io. Pauli Nazarij cremonensis Sacrae Theologiae magistri ordinis Prædicatorum, ... Tomus operum auctoris septimus. - Bononiæ : typis Francisci Cataniij, 1631](#)

Collocazione 3. H. IV. 12

<http://sol.unibo.it/SebinaOpac/Opac?action=search&thNomeDocumento=UBO4504671T>

Questo libro è parte delle collezioni della Biblioteca dell'Archiginnasio.

L'ebook è distribuito con licenza Creative Commons solo per scopo personale, privato e non commerciale, condividi allo stesso modo



4.0:<http://creativecommons.org/licenses/by-nc-sa/4.0/legalcode>

Per qualsiasi altro scopo, o per ottenere immagini a risoluzione superiore contattare: archiginnasio@comune.bologna.it